E IV



N9.
a

<36606614850017
<36606614850017
Bayer. Staatsbibliothek

8° Germ. g. 179-1
Hah
R
1069

D. SIMONIS FRIDERICI HAHNII,

HISTORIARVM IN ACADEMIA IVLIA PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII,

COLLECTIO MONVMENTORVM,

VETERVM ET RECENTIVM,
INEDITORVM,

AD CODICVM FIDEM

RESTITVTORVM, SELECTIORVM, ET RARIORVM,

DIPLOMATVM NEMPE,

SIGILLORVM, LITTERARVM,
CHRONICORVM, ALIORVMQVE
INSIGNIVM SCRIPTORVM,

ANTIQVITATES,

GEOGRAPHIAM, HISTORIAM
OMNEM, AC NOBILIORES
IVRIS PARTES
HAVD MEDIOCRITER ILLVSTRANTIVM.

TOMVS I.

BRVNSVIGAE,
Ex Officina FRID. WILH. MEYERI.
1724.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Præfatio ad Lectorem.

N. I.

Qui priſca monumenta denſiſſimo pulvere obſita, & ex diutino ſitu ſqualentia eruerunt, erutaque laudabili inſtituto protraxerunt in lucem, nunc hos, nunc alios titulos voluminibus præfixerunt ſuis. Nobis ſola & modeſta collectionis inſcriptio ſufficere poſſe viſa eſt. Id nempe conſilii habeo, laborem, quem modo ſuſcipimus, per intervalla continuare, neque tantum ineditos, ſed etiam impreſſos, rariores tamen, & ad manuſcriptorum codicum fidem emendatos, reſtitutos, vel ſaltim reviſos auctores faſciculis noſtris inſerere. Quod igitur cum lecturis, tum mihi feliciter evenire jubeat immortale Dei numen, primo ſtatim loco rei militaris ſcriptorem, eumque Auguſtinianum eremitam exhibemus. Horum ordinem medio ſæculo XIII. ſeu a. MCCLVI. Alexandri IV. Papæ auſpiciis cœpiſſe, aliunde ſatis conſtat. Paulo poſt AEGIDIVS noſter floruit, ex Columneſia illuſtriſſima gente Ro-

manus, Aquinatis Thomæ diſcipulus, memoratique ordinis generalis prior, tum Aquitaniæ primas, & Bituricenſis Archi-Epiſcopus ſeptuageſimus quintus, opuſculi hujus auctor, vtpote quod Philippi pulchri, Francorum Regis, aut illa ætate regii principis, cujus didaſcalus erat, rogatu ſcripſit. (a) Et veteres & recentes multi meminerunt ejus cum magna laude, GVILIELMVS (b) NANGIVS inprimis, IACOBVS PHILIPPVS (c) BERGOMENSIS, TRITHEMIVS, (d) SVLPICIANVS MONACHVS, BONA, (e) RAYNALDVS (f) alii. Univerſum opus de regimine principum, quo AEGIDIVS præcipue inclaruit, & cujus fragmen-

(a) Videatur *MONACHVS SANSVLPITIANVS in patriarchio Bituricenſi, cap. LXXV. p.* 121. Conf. *AVBERTVS MIRAEVS in auctario de ſcriptoribus eccleſiaſticis n.* CCCCIX. *p.* 75.

(b) *In Chronico ad a.* 1295. *p.* 51. *T. III. Spicilegii Acheriani. C.* CONTINVATOREM GVILIELMI DE NANGIACO PRIOREM *ad a. MCCCXVI. p.* 72.

(c) *In repercuſſionibus Hiſtoriarum omnium noviſſimis, ſeu ſupplemento ſupplementi Chronicorum, ad an. M CC LXXXV. p.* 321. editionis Venetæ.

(d) *In libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap.* CCCC XC. *p* 121.

(e) *In notitia auctorum in operibus ſuis notatorum & illuſtratorum p.* 946.

(f) *T. XIV. Annalium eccleſiaſticorum ad a.* 1285. *n.* 76. *p.* 381.

gmentum libellus noster est, Romæ a. MCCCC LXXXII. iterumque Venetiis a. MDXCVIII. prodiisse (g) CAVEVS quidem testatur. Cum vero binas istas editiones, diligenter licet quæsitas, in instructissimis etiam bibliothecis offendere nequiverimus, operæ utique pretium facturos nos esse credidimus, si tertiam tertii libri partem, de re militari veterum agentem, & bellicas majorum nostrorum antiquitates haud mediocriter illustrantem, ex manuscripto daremus. Ipse codex, ex quo desumpsimus libellum, est membranaceus, optimæ notæ, XLIII. foliis in quarta forma constans, hinc inde minio coloratus, litterisque argenteis artificiosis in fine & principio eleganter distinctus. Fuit olim *Roberti* cujusdam *Konigsmanni*, ad quem pridie Idus Majas a. MDCXVIII. *Joannis Reinhardi VVidtii*, cognati & amici sui donatione pervenit. Tum ex Obrechtina bibliotheca a. MDCCXXII. Argentorati vendita, celeberrimus noster D. POLYCARPVS LEYSERVS, Collega conjunctissimus, honoratissimus, ære suo redemit, & pro sua juvandi bonas litteras prolixissima voluntate benigne communicavit.

N. II. III. IV.

Diplomata Regum & Principum, Pontificum item bullas, donationum instrumenta, & cæteras chartas omnes, antiquitatis memoriam

 ad-

(g) *In Historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum p. 522.*

adſervantes, inſignem habere uſum, vel ipſi jam tum veteres ſcriptores, PEREGRINVS (h) inprimis FONTANENSIS ABBAS, agnoverunt, nec hodie dubitabit quisquam. Adeoque & hæc noſtra ex multis angulis ſtudioſe conducta monumenta, quæ poſt Romanum AEGIDIVM conſpicuo ſatis numero ſequuntur, cum in Hiſtoria omni, tum in Geographia etiam, medii præſertim ævi, largiſſimos vt opinor, utilitatis fructus præbebunt. Sunt quidem in priori faſciculo, ingenue enim fateor, nonnulla, quæ apud SCHANNATVM quoque, doctiſſimum virum, *collectione prima vindemiarum litterariarum*, & in publicato ibi *Reinhardtsbonenſi chartario* reperiuntur. Cum vero ſigilla ibi & cætera ſubſcriptionum ornamenta deſiderentur, & quædam præterea tabulæ vitioſæ, corruptæ ac mutilæ ſint, qualis nempe illa eſt, quæ *n. XXXV. p. 125.* legitur, repetere & ſupplere iſtas, & integrare quaſi, conſultum viſum fuit. Reliquas chartas omnes, nulla prorſus excepta, a me nunc primum edi ſpero quidem & credo, aſſeverantius tamen dicere, & confidentius affirmare vix audeo. In tam immenſa copia documentorum enim partim publice proſtantium, partim adhuc latentium, ſingula ita in numerato habere, ut, quid edi-

(h) *In Hiſtoria prælatorum monaſterii de Fontanis parte I. c. XIII. & in proœmio partis alteræ* apud LVCAM d' ACHERY *T. II. ſpicilegii p.* 577.

editum, quidve ineditum ſit, extemplo indicare, uno ſtatim obtutu pervidere, ſineque hæſitatione & ſine ulla oppoſiti formidine judicare poſſis, id divinitatis profecto magis, quam humanitatis foret. Ego autem homo ſum, & humani nihil alienum a me puto, multominus quidquam eorum, quæ viris ſummis (i) DACHERIO, MARTENEO, DVRANDO, (k) pariter acciderunt, ut ſcilicet operibus in magnis, canente Poëta:

- - fas eſt obrepere ſomnum.

N. V.

Dictatoris & dictaminis voces, quemadmodum in medii ævi Hiſtoria frequentisſimæ ſunt, ita vel epiſtolicas inſtitutiones, vel manuductionem ad ſtilum, vel ipſum litterarium commercium potisſimum ſignabant. (l) Præter

(i) Vide ACHERIVM *v. g. T. III. ſpicilegii n* 601. *ac p.* 788. & confer PETRVM de VINEIS *l.* III. *epiſtol. n. V. p.* 379. *ſequ.* Itemque HILARIVM DRVDONEM *in practica artis amandi, Urſellis a.* 1606. impreſſa *p.* 99. *ſequ.*

(k) Vid. *T. IV. Hiſtoriæ meæ Germanicæ cap. I.* §. 1. & paſſim.

(l) Vnde GAVFRIDVS *in ſumma de arte dictandi Mſſ. Dictamen*, inquit, *eſt orationum ſeries perfectarum, intervallis interciſa diſtantibus, nullis metrorum legibus obligata. Dictamen aliud eſt epiſtolare, aliud non epiſtolare. - - Epiſtolare dictamen idem eſt quod epiſtola.* C. PETRVM DE VINEIS *l. III. epiſt. n. XXVII-XLII. pag.* 435 - 49.

ter AVCTOREM LIBRI *de ſtylo Romani dictaminis*, MATHAEVM, TRANSMVNDVM, & GVILIELMVM DE MANDAGOTO, quos CAROLVS DVCANGIVS, (m) commendat & laudat, uno ſoloque ſæculo XIII. tres docti & præclari viri, dictatoriæ artis notitia ingenium famamque nobilitarunt, GAVFRIDVS ſcilicet (n) BONONIENSIS, PETRVS DE VINEIS,

(m) *T. II. Gloſſarii ad ſcriptores mediae & infimae Latinitatis p.* 98.

(n) Huius nunc prologum & epilogum ex Msſ. dabimus. Et prologus quidem ita ſe habet:

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Taxavique diu mecum ſociisne valerem
Dictandi reſerare viam? Sed me titubantem
Veſter cogitamor tanto ſervire labori.
Ergo diu trepidus, vix tandem veſte pudoris
Abiecta, vobis referam, quo ſidere veſtrum
Dictamen lucere queat, quo clauſula poſſit
Laſcivire gradu, quis ſit dictaminis ordo,
Quæ partes, ubi feſſa ſuum diſtinctio ſiſtat
Vel remoretur iter, quæ ſint connubia vocum
Et quibus auxiliis verbi redimatur egeſtas.
Tabeſcens igitur livor marceſcat in ævum,
Nec præſens corrodat opus, nec clara lituret
Dictis dicta ſuis, nec verbum verba venenet;
Nec pudeat quosdam per opem dictaminis huius
Dictamen ſarcire ſuum, diſſutaque verba
Iungere, & exſangues quaſi vivificare loquelas,
Ne tamen auditum prolixa prohemia lædant,
Hic metris præcludo viam, Muſæque quietem
Largior, & faciles ad cætera dirigo curſus.

NEIS, & ille ſcriptor, quem nunc ex codice membranaceo vetuſto academicæ bibliothecæ damus. Fuit tempus, quo dictatorem iſtum auctorem PETRVM DE VINEIS habere exiſtimabam. Nunc rebus omnibus curatius penſitatis, & rationibus rite ſubductis, aliter ſentio, eundemque non ipſum Petrum, ſed Petri tamen amicum & civem, THOMAM CAPVANVM, S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem, Albanenſis Epiſcopi commendatione ad ſublimem hanc dignitatem evectum, & an. MCC XXX. pacis inter Fridericum II. & Romanum Papam Gregorium IX. conciliatorem, genuinum parentem agnoſcere firmiter mihi perſuadeo. Hac inquam ætate, & ante annum quidem MCCXXXIX, utpote quo THOMAS Cardinalis in vivis eſſe deſiit, (o) in ipſa Roma-

Epilogus talis eſt:

Hoc a Gaufrido, veneranda Bononia cultus
Semper habe, gratumque geras, quod gratia pandit.
Non merces; nec enim mercator ſpargere veni
Venales titulos gratis tibi dedico gratus
Exiguum exiguo natum de ceſpite florem.
Ac tu, quisquis habes alium dictaminis uſum,
Materiasque rudes meliori pollice ducis,
Parce, precor, nec opus tua ſuffocet ira novellum.
Nulla etenim teneram laus eſt evellere plantam,
Nec decus eſt minimis iacturam infligere rebus.

(o) V. RICHARDVM DE S. GERMANO *ad a.* 1230. *p.* 1007. *ſeqv. & ad a.* 1239. *p.* 1032. RAYNALDVM *T. XIII. ad a.* 1239. *n.* 19. *p.* 478. at-

mana curia confectum, & ad nativam Romani ſtili indolem expreſſum eſt præſens opus. Inter ludicra & inepta ſic ſatis multa, quæ reſecare noluimus, occurrent etiam multa memorabilia emptores oblectatura, cumprimis Pontificum litteræ, a THOMA Cardinali diligenter adſervatæ, & ad imitandum propoſitæ, partim nondum editæ, partim ab editis plurimum diſcrepantes.

N. VI.

Colonienſium Archi-Epiſcoporum catalogum, medio fere ſæculo XIV. LEVOLDVS A NORTHOF confecit, eques Marcanus, aliorum veterum monumentorum, ut ipſe fatetur, ope adjutus. Opportune igitur ipſorum illorum antiſtitum vetuſtior quidam ſyllabus XII. ſæculo in flexu jam conſtituto compoſitus, ex quo antiquiora NORTHOVIVS

que paſſim. Conf. *epiſtolam* FRIDERICI II. *Imp.* *ad Thomam Cardinalem perſcriptam l III. epiſt.* PETRI DE VINEIS *n. XIX. p.* 409. ubi tamen obiter ac velut per tranſennam moneo, differre eam multum a manuſcripto exemplo. In codice enim vetuſto ita lego:

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Sicilie Rex T. de Capua ſacroſancte & univerſalis eccleſie diacono Cardinali gratiam & bonam voluntatem.

Munera transmiſſa gratanter accepimus, que tanto nobis cariora fuere, quanto rariora ſunt munera ſacerdotum.

VIVS ſine dubio hauſit, incidit in manus. Eum hoc loco ſiſtere placuit, præſertim cum NORTHOVIO cum indice non ſemper & per omnia conveniat.

N. VII.

In illo electionis diſſidio, quod inter Alphonſum & Richardum per repugnantes inter ſe Principum ſententias fuit, plerique Italorum prioris partes ſtrenue (p) tuebantur. Quod ut appareat clarius GVTETVM DE MIXIGIA produco, ſcriptorem nobilem, & perbrevem, ſed mordacem, & in Richardum, Alphonſi æmulum nomine non uno injurioſum. Provocat is ad ſocios Adobatum & Matthæum, per quos Adobatum de Savere, & Matthæum de Metzo alibi memoratos intelligi debere conjicio. (q)

N. VIII.

(p) C. ROLANDINVM *in memoriali temporum de geſtis in Marchia Tarviſina l. XI. c. II. XVIII. p.* 99. 108.

(q) Idque me primum epiſtola docuit, cuius initium ex manuſcripto codice afferemus:

Scientia, genere, more conſpicuis dominis A. de Savere, B. de Mixigia, & Matheo de Mezo, Bernardus ſe, & ſiqua ſibi ſucceſſus obtulit libertatis. Veſtre curialitatis immenſitas, que dudum peregrino compatiens, gremium liberalitatis aperuit, & in oportunitatibus opportuni favoris auxilium miniſtravit, in mee mentis cathalogo illabitur annotata, ſuggerit, ſollicitat, & ſvadet, ut continentia ſtatus veſtri, qui fore deſideratur

N. VIII.

IOANNIS FISTENPORTII, MARTINI POLONI, & IANVENSIS HERMANNI continuatoris nomen non minus eſt obſcurum. Hoc unum ipſe teſtatur ſe a. M CCCC X. ſæculo nuntium miſiſſe, ut religioni vacaret, & ordinis a ſepulchro Dominico Ieroſolymitano dicti, inſtituta ſequeretur. Cum in principio Chronici polliceatur, ſe ſcribendi ſtudium non niſi cum vita depoſiturum, hanc ultra annum MCCCC XXI. protuliſſe haud videtur. Hiſtoriam ejus itidem parvam, & ſatis ſimpliciter ſcriptam, ex codice chartaceo biliothecæ Iuliæ, quo Hermanni Ianuenſis flores temporum ſimul continebantur, deſumpſi.

N. IX.

AENEAE SYLVII libros enarrarunt & laudarunt complures, *Hiſtoriam* vero *amorum Eurioli, & Lucretiæ Senenſis*, vel ſecure ignorarunt, vel data opera ſilentio præterierunt, quod ejus forte generis laborem, viro gravi, viro honorato, eoque ſacerdote, ac tandem Pontifice maximo prorſus indignum putarent. Alii contra hujus quoque opuſculi mentionem faciunt, & diverſas (r) illius editiones percenſent. Iſtæ ve-

incolumis, & cuius notitia me diutini temporis intercapedo privavit, votiva ſcribentis auditibus afferatur. &c.

(r) Vide inprimis *ephemerides Pariſienſes* (IOVRNAL DES SCAVANS) *T. XLII. menſ. Octobr. 4.* 1708.

ro omnes partim Latino ac Gallico idiomate prodierunt, partim in terris noſtris inventu ſunt rariores, partim Eurioli nomen Caſpari Schlickio inditum in Euryali falſo transmutarunt, multo minus Schlickium ſub hac larva latere obſervaverunt, id quod tamen ex procœmio & epilogo, immo ex univerſo orationis contextu, evidenter adparet. Cum igitur beneficio ſupra laudati celeberrimi LEYSERI, inciderem nuper in Hiſtoriæ hujus amatoriæ exemplum, ipſius Sylvii ætate, vel brevi poſt, Germanica lingua nitide ſcriptum, atque eleganter compactum, Germanis eam rurſus in manus dare conſtitui, non propter obſcœna, quæ continet, & a quibus animum meum abhorrere, omnes norunt, qui me norunt, ſed propter Hiſtorica varia intermixta, & a lectore induſtrio, negotio haud difficili eruenda.

N. X. XI.

CHRONICON CARINTHIACVM, & AVSTRIACI ANNALES, quemadmodum uno volumine, quod CHRISTOPHORI FORSTNERI olim fuit, comprehenduntur, ita procul dubio unum eundemque auctorem, IACOBVM nempe VNRESTVM agnoſcunt.

p. 45. n. 13. *Ex editionibus ibi laudatis illa nunc eſt ad manus, quam* HILARIVS DRVDO, *Poëſeos ſtudioſus Vrſellis a.* 1606. 12. procuravit, *ſub tit. Equitis Franci & adoleſcentulæ mulieris Italæ practica artis amandi, inſigni & iucundiſſima Hiſtoria oſtenſa.*

ſcunt. (s) Auſtriaci annales præcipue digni ſunt, qui diligenter evolvantur, cum Friderici III. Imperatoris res geſtas, a regiminis primordio usque ad extremum vitæ annum, candide, aperte, ſine ullo amoris odiique reſpectu, & luculenter deſcribant.

N. XII.

De CHRONICO WALDECENSI recentiori vix habeo, quod dicam, niſi forte auctor ejus DANIEL (t) PRASSERVS fuerit, illuſtriſſimorum Comitum Conſiliarius quondam præclare meritus. Epiſtolæ vero RVSDORFFII ſequentes cum Latinæ, tum Gallicæ, Hiſtoriæ tricennalis belli novam, opinor, lucem affundent, & *Rusdorffianarum litterarum* (u) *collectioni*, ante hos viginti tres annos a celeberrimis viris, MIEGIO & NEBELIO adornatæ, ſupplementum præbebunt haud contemnendum.

Ita

(s) Ita enim Auctor ad a. 1439. *So die Zeit verfleiſt als das VVaſſer, und des Menſchen Gedechtniß vergeen mit der Glocken Donn, hab ich* IACOB VNREST *der minſt Pharrer in Kerndten, als ein Einvvohner Se. Königl. Maj. Erblanden in meiner Einfalt gedacht; VVas in Schrifft kumb, bleibt länger &c.*

(t) V. ipſum CHRONICON *in vita Philippi VII. Comitis ad a.* 1645.

(u) Prodiit *Francofurti ad Moenum a.* 1701. 4. *cum* FRIDERICI SYLBVRGII *catalogo, codicum Graecorum Mſſ. in bibliotheca Palatina Heidelbergenſi olim aſſervatorum &c.* ſub tit. VARIA PIETATIS ET ERV-

Ita vale, *humanissime Lector*, laboribus noſtris fruere, conatibus porro fave, & ſphalmata, quæ irrepſerunt, excuſa, aut manifeſtiora ipſe tolle. Neque enim vacat cuncta revidere, multo minus impreſſa, quæ jam ne quidem in promptu ſunt, cum manuſcriptis conferre.

Vale iterum. D. Helmſtadi d. XII Maji a. cIↃ IↃ CC XXIV.

ERVDITIONIS VIRORVM SVPERIORIBVS DVOBVS SAECVLIS CELEBRIVM MONVMENTA. Collectores MIEGIVM & NEBELIVM eſſe doctiſſimi patres TREVOLTIENSES obſeruant *T. III. des memoires pour l'Hiſtoire des ſciences & des beaux arts p.* 117. *RVSDORFFII* epiſtolae quadraginta quinque ad LVDOV. CAMERARIVM ſcriptae *a pag.* 244. *ad pag.* 410. pertingunt. Nos alias & ab his diuerſas, ex praeſtantiſſimo codice, qui ipſius CAMERARII olim fuit, ſuppeditamus.

Syl-

Syllabus illorum,

Quæ hoc volumine continentur

I. Aegidius Romanus de re militari veterum.

II. Diplomata viginti, & quod excurrit, cum sigillis.

III. L. Bullæ Pontificum.

IV. L. Diplomata Imperatorum, Regum, Principum aliorumque illustrium.

V. Thomæ, Romanæ ecclesiæ Presbyteri Cardinali. dictator, epistolas multas complectens.

VI. Catalogus Archi-Episcoporum Coloniensium vetustus.

VII. Guteti de Mixigia carmina & litteræ de electionis dissidio inter Alphonsum & Richardum.

VIII. Ioannis Fistenportii continuatio Hermanni Ianuensis.

IX. Aeneæ Sylvii Historia amorum Eurioli & Lucretiæ, seu arcana narratio illorum, quæ Caspari Schlickio Senis acciderunt.

X. Iacobi Vnresti Chronicon Carinthiacum.

XI. Ejusdem Chronicon Austriacum.

XII. Anonymi Chronicon VValdeccense.

XIII. Ioachimi Rusdorffii epistolæ arcanæ tricennali. belli, Historiam illustrantes.

)o(

AEGI

AEGIDII ROMANI BITVRICENSIS ARCHI-EPISCOPI *LIBELLVS* DE RE MILITARI VETERVM AD MORES PRAESERTIM MEDII AEVI.

In hoc libro declarabimus, quomodo ciuitates sunt regende tempore belli.

Cap. I. Quid est militia, & ad quid est instituta, & quod omnis operatio bellica sub militia contineatur.

Cap. II. Que sunt regiones ille, in quibus sunt meliores bellatores, & ex quibus artibus eligendi sunt homines bellatores siue bellicosi.

Cap. III. In qua etate assuescendi sunt iuuenes ad opera bellica, & ex quibus signis cognoscere possumus homines bellicosos.

Cap. IV. Que & quot habere debent homines bellicosi, vt bene pugnent, & vt eos strenue bellare contingat.

Cap. V. Qui sunt meliores bellatores, an vrbani & nobiles, vel agricole & rurales.

Cap. VI. Quod in opere bellico nimium valet exercitatio armorum & quod ad incedendum gradatim & passim, & ad cursum & ad saltum excercitandi sunt.

Cap. VII. Quod non sufficit ad incedendum serio & gradatim, & ad cursum & ad saltum excercitare bellantes, sed sunt plura alia, ad que exercitandi sunt homines bellicosi.

Cap. VIII. Quod vtile est, in excercitu facere forsas & construere castra, & qualiter castra sunt construenda, & que sunt attendenda in constructione castrorum.

Cap. IX. Que & quot sunt consideranda in bello, si debeant publica bella committi.

Cap. X. Quod vtile est in bello ferre vexilla, & constituere duces & prepositos, & quales esse debeant, qui in exercitu vexilla portant & qui equitibus preponuntur.

Cap. XI. Quibus cautelis debet vti dux belli, ne suus exercitus ledatur in via.

Cap. XII. Qualiter ordinande sunt acies, si debeamus contra hostes vel contra aduersarios dimicare.

Cap. XII. Quod deridendi sunt in bello omnes percucientes cesim, & quod eligibilius est percutere punctim.

Cap. XIV. Quot & que sunt illa, que hostes potentiores reddunt, & qualiter & quomodo debemus hostes inuadere.

Cap. XV. Quomodo homines bellatores stare debeant, si velint hostes percutere, & quomodo debent eos circumdare, & quomodo debeant declinare a pugna, si non sit bonum pugnam committere.

Cap. XVI. Quot sunt genera bellorum, quot modis deuincende sunt municiones & vrbanitates, & quo tempore melius est obsidere ciuitates & castra.

Cap. XVII. Quomodo per edificia lignea debent se mu-

munire obſidentes, & quomodo per cuniculos impugnari poſſint municiones obſeſſe.

Cap. XVIII. Que & quot ſunt genera machinarum, eiicientium lapides, per que impugnari valent municiones obſeſſe, & caſtra.

Cap. XIX. Quomodo per edificia lignea, impulſa ad muros, ciuitates, vel caſtra, impugnari poſſint municiones obſeſſe.

Cap. XX. Qualiter edificanda ſunt caſtra & ciuitates, ne per pugnam ab obſidentibus faciliter deuincantur.

Cap. XXI. Quomodo muniende ſunt ciuitates & caſtra & vniuerſaliter omnes municiones, vt ab obſidentibus difficilius capiantur.

Cap. XXII. Quomodo reſiſtendum eſt impugnacioni facte per cuniculos, & qualiter machinis lapidariis & aliis edificiis obſeſſi debeant obuiare.

Cap. XXIII. Qualiter ſit conſtituenda nauis, & qualiter committendum eſt nauale bellum, & ad quid bella ſingula ordinantur.

CAP. I.

Quid eſt militia, & ad quid eſt inſtituta, & quod omnis operatio bellica ſub ciuili contineatur.

Pertractatis duabus partibus iſtius tertii libri, quo oſtenſum eſt, quid ſenciunt antiqui philoſophi de regimine ciuitatis & regni, & declaratum eſt, qualiter regenda ſit ciuitas atque regnum tempore pacis: reliquum eſt, tractare de opere bellico, vt ſciant reges & principes, qualiter committenda ſunt bella. Nam vt plurimum bellorum induſtria, vt patet per Vegecium in libro de re militari, plus confert ad optinendam victoriam, quam faciat multitudo, vel etiam fortitudo bellancium. Opus autem bellicum, vt patebit in proſequendo, continetur ſub militari. Quare, ſi de opere bellico pertractare volumus, videndum

dum eſt, quid ſit milicia, & ad quid ſit inſtituta. Sciendum autem, militarem eſſe quandam prudentiam, ſiue quandam ſpeciem prudencie. Poſſumus autem, quantum ad preſens ſpectat, diſtinguere quinque ſpecies prudencie, videlicet prudenciam ſingularem, yconomicam, regnatiuam, politicam ſiue ciuilem, & militarem. Dicitur enim aliquis habere ſingularem vel particularem prudentiam, quando ſeipſum ſcit regere & gubernare. Et hec eſt minor prudentia, quam yconomica & regnatiua. Nam minus eſt & regere ſcire ſeipſum, quam ſcire regere familiam, & ciuitatem, aut regnum. Secunda ſpecies prudentie dicitur eſſe yconomica. Nam prudens ex hoc aliquis dicitur videl. ex VI. ethic. qui ſcit bene conſiliari, & ſcit bene dirigere ad bonum finem. Vbi ergo reperitur alia & alia ratio boni, ibi reperitur alia & alia ſpecies prudentie. Quare cum bonum domeſticum, & bonum totius familie, ſit aliud a bono ſingularis perſone alicuius, ſicut bonum commune eſt aliud a bono aliquo ſingulari, yconomicam ſiue prudentiam, per quam quis ſcit regere domum & familiam, oportet eſſe aliam a prudentia, qua quis nouit ſeipſum regere. Tertia ſpecies prudentie dicitur eſſe regnatiua, vel legum poſitiua. Nam ſicut perſona aliqua ſingularis eſt pars domus, ita domus eſt pars ciuitatis & regni, & ſicut bonum domeſticum eſt aliud a bono alicuius ſingularis perſone, ſic bonum totius ciuitatis & regni eſt aliud a bono domeſtico. Prudentia ergo regnatiua & legum poſitiua eſt prudentia, que requiritur in rege & principante, cuius eſt leges ferre, & regere regnum & ciuitatem eſt aliud a prudentia yconomica, que requiritur in patrefamilias, vel prudentia alicuius particularis hominis. Propter quod bene dictum eſt, quando ayt Vegecius in primo libro de re militari, quod neque quemquam magis decet vel meliora ſcire vel plura, quam principem, cuius doctrina omnibus ſubiectis prodeſſe poteſt. Inde eſt igitur,

quod

quod in erudiendo reges & principes hunc totalem librum diuisimus in tres libros. Quia in primo libro docuimus, regem esse prudentem, pro vt rex aut princeps est quedam persona in se, & prout habet seipsum regere. In secundo vero docuimus ipsum, vt est paterfamilias, & vt habet dispensare bona domestica. In tertio vero eruditur rex aut princeps, vt est caput regni, & vt habet ferre leges & gubernare ciues. Omnes autem has tres prudentias decet habere regem, videlicet particularem, yconomicam & regnatiuam. Quarta species prudencie debet esse politica, siue ciuilis. Nam sicut in principante requiritur excellens prudencia, qua sciat alios dirigere; sic in quolibet ciue requiritur prudencia aliqua, vel qua noscat adimplere leges & mandata principantis. Non enim obsequitur sic ciuis principi aut regi, sicut marcellus fabro, quod in marcello nulla est cognitio, sed solum agitatur a fabro: sed in ciue requiritur prudentia aliqua, per quam habeat opinionem bonam de hiis, que imperantur a rege. Dicitur autem hec prudencia a prudencia particulari, quam collocauimus in prima specie. Nam aliud est, quod homo sciat se regere, vt est aliquid in se, & aliud, vt est subiectus principanti. Nam, etsi quis solitariam vitam duceret, adhuc oporteret ipsum habere aliqualem prudenciam, qua sciret se regere & gubernare; non tamen est in ipso prudencia ciuilis, nec yconomica, nec regnatiua, quod nec esset ciuitas, nec pars ciuitatis. Quinta species prudencie dicitur esse militaris. Nam regimen regis & ciuitatis si sit vnicum & ordinatum, assimilatur hiis, que videmus in vno & eodem homine. Sic ergo quilibet homo habet duas virtutes anime; vnam, per quam sequitur bonum & fugit malum, & aliam, per quam aggreditur & resistit prohibentibus. Sic quelibet ciuitas & regnum indiget duplici virtute, & duplici prudencia, videlicet legum positiua & militari. Et per legum positiuam tota ciuitas & totum regnum prose-

quatur proficua, & fugiat nociua; per militarem vero & per operationem bellicam aggrediatur & feriet impedientia & prohibitiua. Militaris ergo est quedam species prudencie, per quam separantur hostes, & prohibentes bonum commune & ciuile. Ex hoc autem apparet, ad quid sit milicia instituta. Nam sicut leges, vt supra ostendebatur, principaliter respiciunt commune bonum, sic & milicia instituta est ad defensionem communis boni, & ciuitatis aut regni. Quare, cum commune bonum impediri videatur impugnacione hostium, ex consequenti vero ex sedicione hostium, ciuium & oppressione debilium personarum dicere possumus, quod sicut ad fortem principaliter spectat, se bene habere in opere bellico, & per actiones bellicas opprimere impedimenta hostium, ex consequenti vero spectat ad ipsum, se bene habere in aliis terribilibus: sic ad milites spectat, se bene habere in opero bellico, & per actiones bellicas opprimere impedimenta hostium, ex consequenti vero spectat ad ipsos, secundum iussionem regiam & secundum mandata principantis impedire omnes sediciones ciuium & omnes oppressiones eorum, qui sunt in regno, per quas turbari potest tranquillitas ciuium & commune bonum. Hanc autem prudenciam, videlicet militarem, decet habere regem. Nam licet executio bellorum, & remouere impedimenta communis boni, spectat ad milites, & ad eos, quibus rex aut princeps voluit committere talia: scire tamen, quomodo committenda sunt bella, & qualiter remoueri possint impediencia commune bonum, maxime spectat ad principantem. Ex hoc ergo patere potest, quales sunt ad miliciam admittendi. Nam milicia videtur esse quedam prudencia operis bellici ordinata ad commune bonum. Debent enim se habere milites in opere bellico, sicut magistri & doctores in scientiis aliis. Quare sicut nullus efficiendus est magister in aliis scientiis, nisi constat, ipsum esse doctum in arte illa: sic nullus

nullus assumendus est ad dignitatem militarem, nisi constet, ipsum diligere bonum regem, regni & commune bonum, & nisi spes habeatur, quod sit bonus in opere bellico, & quod velit secundum iussionem principantis impedire seditiones ciuium, pugnare pro iusticia, & pro viribus remouere, quecunque impedire possunt commune bonum. Ex hoc autem patere potest, omnem bellicam operationem contineri sub militari. Nam licet bellare contingat, homines pedites, vel etiam equestres, non existentes milites: debent tamen milites esse magistri bellorum, & ordinatores aliorum in bello. Ideo sub militari dicitur operatio bellica contineri. Ex hoc etiam patet, quod, cum milites debent esse magistri bellorum, licet execucio belli spectet ad fortitudinem, milicia tamen continetur sub prudencia.

CAP. II.

Que sunt regiones ille, in quibus sunt meliores bellatores, & ex quibus artibus sunt eligendi homines bellicosi.

Videtur, quantum ad presens spectat, in opere bellico duo necessaria esse, strenuitas bellandi & prudentia erga bella. Quare si scire volumus, in quibus regionibus meliores sunt bellatores, oportet attendere circa predicta duo. In partibus ergo nimis propinquis soli non sunt eligendi bellatores, quod in eis deficit strenuitas & animositas circa bellum, vt ayt philosophus VII. polithicorum. Ratio autem huius assignatur a Vegetio in primo libro de re militari capitulo secundo, vbi dicit, quod naciones, que vicine sunt soli, sunt nimio calore siccate, amplius quidem sapiunt, sed modicum habundant in sanguinem, ac propterea non habent pugnandi constanciam, neque fiduciam, quia vniversaliter metuunt vulnera. Nam cum naturaliter modicum habent sanguinis, naturaliter timent sanguinis amissionem.

Non ergo ſunt prompti ad bella, nec ad percuciones.
Rurſus in partibus nimis ſeptentrionalibus, & nimis a
ſole remotis, non ſunt eligendi bellantes, quia, etſi illis
eſt copia ſanguinis, vt vulnera non metuant, tamen pro-
pter ſanguis habundantiam & impetum ſunt, quaſi furi-
bundi & imprudentes. Ideo non omnino ſunt vtiles ope-
ribus bellicis, quia conſilium & prudencia in dicacione
non eſt modicum utilis. Experimento enim videmus,
& plane vtiliter habet philoſophus VII. polit. quod gen-
tes, nimis propinque ſoli, habundant ſagacitate & indu-
ſtria, ſed deficiunt prudencia & animoſitate. Gentes ve-
ro, a ſole remotę, e contrario prudencia deficiunt, & ani-
moſitate ſuperant. Quare ſi tam animoſitas, quam
induſtria neceſſaria eſt in bellis, ex neutris partibus eli-
gendi ſunt bellatores; ſed ex regione media, nec omnino
a ſole remota, nec omnino ſoli propinqua eligendi ſun
bellantes, vt tam prudencia, quam animoſitate partici
pent. Aduertendum tamen cetera talia documenta ac
cipienda eſſe vt in pluribus. Nam in omnibus partibu
ſunt aliqui induſtres, & aliqui animoſi, vt plurimum ta
men ſoli propinqui animoſitate deficiunt, remoti ver
prudencia. Aduertendum etiam, quod licet in bellis tan
animoſitas, quam prudencia eſt neceſſaria, magis tame
eſt animoſitas vtilis. Ideo, etſi gentes omnino propinqu
ſoli, & omnino remote non ſunt penitus vtiles actibu
bellicis, magis tam inter medias regiones eligende ſun
ad opera bellica remociores a ſole, quam propinquiore
vt magis animoſitate participent. Viſo, ex quibus parti
bus meliores ſunt bellatores, videre reſtat, ex quibus ar
tibus eligendi ſunt bellantes. Enumeranda erga ſunt ea
que requiruntur in operibus bellicis, vt ſciamus, quale
homines ſunt eligendi ad bellum, & ex quibus artibu
aſſumendi ſunt bellantes, ſciendum autem, quod cur
bellantes debent habere membra apta & aſſueta ad pe
cuciendum, non debeant horrere effuſionem ſanguini
debent eſſe animoſi ad inuadendum, & potentes ad to

leran

lerandum labores; dicere poſſumus, quod fabri ferrarii, & carpentarii vtiles ſunt ad opera bellica, quod ex arte ſua habent brachia apta & aſſueta ad percuciendum. Sic etiam vtiles ſunt marcellarii, quia non horrent ſanguinis effuſionem, cum aſſueti ſint occiſionem animalium & ad effundendum ſanguinem. Venatores etiam aprorum admittendi ſunt ad huiusmodi opera, quia non ſine magna audacia contingit aliquos inuadere apros. Sunt ergo tales animoſi & ſtrenui ad bellandum, ymmo forte non minus periculoſum eſt, bellare cum apro, quam bellare cum hoſte. Ideo non timentes aprorum pericula, ſignum eſt, eos non timere hoſtium bella. Rurſus venatores ceruorum non ſunt repudiandi ab actibus bellicis, eo quod tales aſſueti ſunt ad labores nimios. Ex hiis quoque artibus propter ea, que diximus, eligendi ſunt bellatores. Barbitonſores autem & ſutores, ſi conſideratur ars ipſa, ad pugnam ſunt inutiles. Nam nunquam vibrat clauam aut enſem, qui debet habere manum leuem, & non eſt aſſuetus retinere in manibus, niſi vaſorium aut acum, que enim proporcio eſt acus ad lanceam & vaſorii ad clauam. Sic apothecarii, aucupes & piſcatores non ſunt eligendi ad huiusmodi opera, eo, quod non habent artem conformem operibus bellicoſis. Poteſt ergo contingere, quod in qualibet arte ſunt aliqui bellicoſi & audaces, aliqui vero timidi & puſillanimes.. Sed quod cum eſt ex genere artis & prout ars ipſa reddit hominem aptum vel inhertem ad opus bellicum, aliqua genera artium diximus eſſe vtilia ad operaciones bellicas, & aliqua inutilia.

CAP. III.

In qua etate aſſueſcendi ſunt iuuenes ad opera bellica, & ex quibus ſignis cognoſcere poſſumus homines bellicoſos.

Diximus ſupra, philoſophum velle in VIII. polit. iuuenes a XIV. anno vltra aſſuefaciendos eſſe ad la-

bores fortes, vt ad labores militares & bellicoſos; quod concordat cum Vegetio de re militari dicente, quod a tempore pubertatis aſſueſcendi ſunt iuuenes ad militares labores, ymmo, quia, que a iuuentute inchoamus, nimis diligimus, & delectamur in ipſis. Sed cupiens legislator ciues bellatores facere & reddere ipſos aptos ad pugnandum, potius debent prevenire tempus, quam pretermittere. Nam, vt ayt Vegecius, melius eſt, vt iuuenis exercitatus cauſetur etatem nondum aduenisse pugnandi, quam debeat (doleat) preteriiſſe. Eſt etiam ſpecialis ratio, quare oporteat iuuenes ab ipſa iuuentute aſſueſcere ad artem bellandi, quia non parua nec leuis ars eſſe videtur habere armorum induſtriam. Nam ſiue equitem ſiue peditem oportet eſſe bellantem, quare fortuitu videtur peruenire ad palmam, ſi careat induſtria bellandi. Iam enim in equeſtri, quam in pedeſtri pugna multe ſunt adhibende cautele. Fatuum eſt quidem non prius, ſed tunc velle addiſcere bellare, quando imminet pugnandi neceſſitas, vbi vita periculis mortis exponitur. Vt ergo bellatores habeant ſpacium addiſcendi ſingula, que requiruntur ad bellum, ab ipſa pubertate aſſueſcendi ſunt ad opera bellica. Quare ſi legislator vt rex aut princeps debet committere bellum, viros exercitatos & bellatores ſtrenuos debet aſſumere. Viſo, in qua etate aſſueſcendi ſunt, qui debent effici bellatores ad actiones bellicoſas; videre reſtat, ex quibus ſignis cognoſci habeant homines bellicoſi. Sciendum ergo, viros audaces & cordatos vtiliores eſſe ad bellum, quam timidos. Rurſus homines fortes & duros corpore, quia potentiores ſunt viribus, eligendi ſunt ad opus bellicum. Amplius cum videamus, aliqua animalia bellicoſa, aliqua vero timida, homines ſimiliores bellicoſis animalibus vtiliores videntur eſſe ad bellum. Tribus igitur generibus ſignorum cognoſcere poſſumus bellicoſos viros. Primo quidem per ſigna, ſecundum que arguitur animoſitas & audacia. Secundo vero per ſigna, ſecundum que oſten-

ditur

ditur virilitas & fortitudo corporis. Tertio autem per signa, secundum que conformamur animalibus bellicosis. Sunt autem signa, per que ostenditur animositas & strenuitas cordis, vigilancia oculorum, erectio ceruicis. Ideo dicit Vegecius, quod adolescens Martio operi deputandus debet esse vigilantibus oculis & erecta ceruice. Signa vero, per que ostenditur fortitudo corporis & vires membrorum, sunt duricies carnis, compactio neruorum, musculorum, & lacertorum. Nam secundum philosophum VIII. pol. opus bellicosum & industria mentis omnino requirunt modum contrarium. Nam, vt scribitur secundo de anima: Molles carne, aptos mente dicimus. Sed e contrario duri carne, habentes compactos neruos, & lacertos, sunt virosi, & fortiores corpore sunt aptiores ad pugnam. Signa vero conformancia nos animalibus bellicosis, sunt magnitudo extremitatum, & latitudo pectoris. Videmus enim, leones animalium fortissimos habere magna brachia, & latum pectus? Quando ergo in homine videmus, quod sit vigilans oculis, erectus ceruice, durus in carne, compactus in neruis & musculis, habens longa brachia & latum pectus, debemus arguere, ipsum esse bellicosum & aptum ad pugnam. Tales ergo querendi sunt bellatores, quia vt plurimum contingit, eos esse aptos ad actiones bellicas.

CAP. IV.

Que & quot debent habere homines bellicosi, vt bene pugnent, & vt eos strenue bellare contingat.

Quantum ad presens spectat, enumerare possumus octo, que habere debent homines bellicosi seu bellatores, secundum que, quantum ad presens spectat, inuestigare poterimus, quos aut quales bellatores debet rex aut princeps eligere. Primo enim oportet pugnatiuos homines posse sustinere magnitudinem ponderis. Secundo posse sufferre quasi assiduos membrorum motus,

tus, & labores magnos. Tertio posse tolerare parcitatem victus. Quarto non curare de incommoditate iacendi & standi. Quinto respectu iusticie & boni communis quasi non appreciari propriam vitam. Sexto non horrere sanguinis effusionem. Septimo habere aptitudinem, & industriam ad protegendum se & ad feriendum alios. Octauo verecundari & erubescere turpem fugam. Est enim primo necessarium bellantibus, posse sustinere ponderis magnitudinem. Nam inermes, quacunque parte feriantur, occumbunt. Quia, nisi quis posset sufferre armorum pondera, inutilis est ad bellum. Secundum bellantibus expedit, posse sufferre quasi assiduos membrorum motus. Nam si quis in bello non continue seducat aduersarios, non fallatur in percuciendo, quia semper exponitur ad sustinendos forciores ictus. Expertum est enim, quod, homine continue se ducente aut mouente, vix aut nunquam ad plenum aliqua percussio potest ipsum attingere, sed semper vulnera subterfugit. Nam, sicut, si signum se moueret & non staret fixum, non sic de facili percuteretur ab arcu: sic homo se circumuoluens, non sic de facili vulneratur ab hoste. Continuus ergo membrorum motus est necessarius ad vitandum plagas. Sic etiam est necessarius ad incutiendum eas, propter quod tales debent esse homines pugnatiui, vt diu tolerare possent assiduum membrorum motum. Tertio homines pugnatiuos decet non curare de parcitate victus. Nam graue est, vltra armorum pondera, & eorum, que requiruntur ad defensionem excercitus, deferre in habundancia victualium copiam. Ymmo, etsi absque grauamine adesset pugnantibus ciborum vbertas, adhuc esset eis necessaria abstinencia, & non grauare se ex nimio cibo, vt laborem pugnandi melius tolerare possint. Quarto decet eos non curare de incommoditate iacendi & standi. Nam expedit aliquando pugnantibus die noctuque esse in armis, propter quod nec in stando nec in iacendo est eis commodum aut requies. Quinto

de

decet ipſos propter iuſticiam & commune bonum quaſi
non apprecariari corporalem vitam. Nam, cum tota ope-
ratio bellica expoſita ſit periculis mortis, nunquam quis
eſt fortis animo & bonus bellator, niſi aliquando ſit im-
pauidus circa pericula mortis. Spectat enim ad fortem
& ad bonum bellatorem, vt innuit philoſophus III. ethi-
corum, non curare in bello bene mori. Tunc enim quis
dicitur bene mori in bello, quando iuſte bellans, vt pro
defenſione patrie vel pro aliquo alio magno bono iuſte
& audacter exponit ſe mortis periculis; dum autem
quis vltra, quam debeat, diligit corporalem vitam, de
facili eligit turpem fugam. Sexto pugnantes non de-
bent horrere ſanguinis effuſionem. Nam ſi quis cor mol-
le habens, muliebris exiſtens, horreat effundere ſangui-
nem, non audebit hoſtibus plagas infligere, & per con-
ſequens bene bellare non poterit. Septimo decet eos
habere aptitudinem & induſtriam ad protegendum ſe,
& ad feriendum alios. Nam vt dicitur eth. primo: Finis
militaris eſt victoria, ſic, cum omnis bellica operatio
contineatur ſub militari, vt ſupra oſtendebatur, & vt ha-
betur a philoſopho circa primam ethicorum, omnis
actionis dicitur victoria eſſe finis. Quare, cum maxime
contingat, bellantes vincere, ſi bene ſciant, ſe protegere
& alios ferire, induſtria protegendi & feriendi valde eſt
expediens bellatoribus. Qualiter autem talis induſtria
habeatur, & qualiter ſit feriendus hoſtis, & que ad-
miniculantur ad iſta, infra patebit. Octauo decet bella-
tores verecundari, & erubeſcere turpem fugam. Nam vt
dicitur III. ethic. Apud illos ſunt viri fortiſſimi, apud
quos honorantur fortes. Inter cetera autem, que red-
dunt hominem bellicoſum, eſt diligere honorari ex pu-
gna, & erubeſcere turpem fugam. Aduertendum au-
tem, quod cum dicimus bellatores non habere effuſio-
nem ſanguis non debere multum appreciari corporalem
vitam & cetera alia, que diffuſius enumerauimus, intel-
ligendum eſt, ſi habeant iuſtum bellum. Nam pro de-

fen-

fensione iusticie & pro communi bono exponenda e
periculo corporalis vita, non est cauenda effusio sangu
nis & cetera alia sunt fienda, & per que iusticia & com
mune bonum defendi potest. Ex hiis autem plane p
tet, quales bellatores & quos viros pugnatiuos rex a
princeps eligere debeat. Nam illi sunt eligendi, in qu
bus plurima reperiuntur de hiis, que requiruntur a
pugnam.

CAP. V.

Qui sunt meliores bellatores an vrbani & nob les, vel agricole & rurales.

Enumeratis hiis, que habere debent bellatores viri, r
stat inquirere, qui sunt meliores bellantes, an vrba
& nobiles vel rurales. Videtur autem, si considerant
predicta, rurales meliores esse, Huius autem opinion
visus est, esse Vegetius dicens: Nunquam credo potu
se dubitari, aptiorem armis esse rusticam plebem. A
hoc etiam videntur facere, que superius diximus. Dic
batur enim superius, viros pugnatiuos tales esse deber
qui possint sustinere magnitudinem ponderis, con
nuum laborem membrorum, parcitatem victus, i
commoditatem iacendi & standi, non timere morter
non horrere effusionem sanguinis, & cetera alia, que t
tigimus in capittelo precedenti. Constat autem, rur
lem populum maxime habere predicta. Sunt enim r
stici assueti ad magnitudinem ponderis; non enim
bellis grauabit eos armorum sarcina, qui assidue temp
re pacis assueti sunt ad maiora pondera; nec etiam fa
gabit eos cursus, vel ductio brachiorum, vel alioru
membrorum motus, qui ad hos & ad maiores labor
sunt continue assueti. Rursus eos non affliget parcit
victus, quibus potus aqua satisfaciebat in siti, & gross
panis sufficiebat ad esum. Amplius rurales non afflige
tur ex incommoditate iacendi vel standi, qui solis ard
rem non timent, vmbras non curant, balneorum sola

n

nesciunt, in solida terra iacentes suauius dormiunt, quam vrbani & nobiles requiescant in fultris. Hos autem probabile est, non multum timere mortem. Nam tanto quis mortem magis videtur timere, quanto magis delicate vixit, & quanto plurium solationum est expertus in vita. Hii etiam non videntur horrere sanguinis effusionem. Nam inter ceteras gentes ruralium genus videtur esse crudelius. Ad hoc ergo intendentibus videtur censendum esse, meliores bellatores esse rurales. Sunt autem alia, per que videntur vrbanos & nobiles meliores esse pugnantes. Nam inter cetera, per que redditur bonus pugnatiuus est, vt dicebatur, velle honorari ex pugna, & erubescere turpem fugam. Hoc est enim ut ayt philosophus III. ethic. quod Hectorem fecit audacem. Dicebat enim Hector, si ex pugna fugiam polimidas inter redarguciones ponat. Sic etiam Diomedes hoc modo effectus fuit strenuus, quod dicebat, si in bello terga vertam Nestor cum concionabitur in Troyanis, dicet ad me, deuictus est Diomedes. Quare cum velle honorari & erubescere de aliquo turpi facto magis conueniat nobilibus quam rusticis, hinc meliores videntur esse ad pugnam eo, quod verecundantur fugere. Rursus in bello multum valet industria & prudencia. Nam sagacitas & versutia aliquando plus facit ad victoriam obtinendam, quam populi fortitudo. Quare cum communiter nobiles homines industriores sint rusticis, sequitur hos meliores esse pugnantes, Videntur enim hec duo maxima esse ad optinendam victoriam, videlicet erubescentia fugiendi, & sagacitas bellandi. Vt ergo sciatur, quid sit de quesito tenendum, oportet aduertere, quod secundum diuersitatem pugnandi diuersi eligendi sunt bellatores. Potest enim esse pugna pedestris & equestris. In pedestri itaque certamine magis eligendi sunt rurales, quam nobiles, eo quod ibi maxime valet assuefactio ad portacionem ponderum & toleranciam laborum. In equestri vero magis eligendi sunt nobiles

eo,

eo, quod equorum fortitudo supplet defectum, quem paciuntur nobiles in non posse sustinere tantos labores, quantos assueuerint sustinere rurales. In huiusmodi enim pugna nimium valet pugnandi sagacitas sociata erubescentie fugiendi. Sciendum tamen, quod vt nobiles ex omni parte efficiuntur strenui bellatores, assuefaciendi sunt ad portandum armorum pondera, & ad sustinendum laborem, & motum brachiorum & aliorum membrorum corporis, vt requirit operatio bellica. Que autem & quot sunt illa, ad que debent exercitari bellantes, in sequenti capittelo ostendetur.

CAP. VI.

Quod in opere bellico nimium valet exercitatio armorum, & quod ad incedendum gradatim, & passim, & ad cursum & saltum exercitandi sunt bellatores.

Recitat Vegecius in libro de re militari exercitationem armorum & industriam bellandi fuisse ea, que terram orbem Romano populo subierunt. Nam quid potuisset paucitas Romanorum aduersus multitudinem Hispanorum, contra dolos Affrorum, & prudenciam Grecorum, ubi pusillis exercitati fuissent armis, & magis habuissent bellandi industriam. Nam non est inconueniens, virum prudentem & sagacem in vno, propter particularium experientiam esse imprudentem in alio. Vnde multociens contingit, quod prudentes in rebus aliis propter inexercitium armorum non sunt industres in bellis. Exercitium enim in quolibet negocio prebet audaciam, ut non metuat illud facere. Nam secundum Vegecium nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit. Inde est, quod multum valet armorum exercitatio, quod in bellorum certamine paucitas exercitata ad victoriam, & multitudo rudis & indocta semper sit exposita ad fugam & ad cedem. Viso armorum

rum exercitium eſſe perutile ad opera bellica, reſtat oſtendere, quomodo excercitandi ſunt bellantes ad incedendum gradatim, & paſſim, & ad curſum & ad ſaltum. Nam iſta, vt in perſequendo patebit, neceſſaria ſunt in bellis, & inexercitatio circa ipſa bellantibus eſt nociua. Primo enim milites & pedites, & vniverſaliter bellantes aſſueſcendi ſunt ad gradum & ad paſſum bellicum, vt gradatim pergant ita, quod quilibet ſe in ſuo ordine teneat. Nam ſi acies ſiue peditum, ſiue militum non ordinate incedant, duo mala inde proſequuntur. Nam non ſeruato debito ordine, in vna parte erit acies quaſi ſparſa & peruia vltra, quam debeat, in alia vero arcta & & ſtricta, plus, quam oporteat. Primo ergo ex eo, quod in aliqua parte peruia eſt, citius ab hoſtibus perforabitur, & diuidetur, & per conſequens debellabitur. Secundo in parte illa, in qua nimis arta eſt, impedietur ad percutiendum. Nam cum bellator nimis a ſuo ſocio comprimitur, ſua impediuntur brachia, ne poſſit hoſtibus plagas infligere. Hinc enim duo ſunt in acie neceſſaria, vt ſcilicet non poſſit de facili perforari ab hoſtibus, & non impediatur ad percutiendum, quod ibi ſeruato debito gradu & debito ordine in exceſſu fieri non poteſt. Tam ergo equites, quam pedites bellatores, antequam bella excerceant, ſunt multotiens ſimul congregandi & excercitandi, vt onerati armis ordinate incedant, ac ſi debeant pugnam emittere. Et cum viderit magiſter bellorum, aliquem non tenere ordinem debitum in acie, ipſum increpet & corrigat, vel ſi nimis delinquat, ipſum omnino repellat ab acie tanquam inutilem bellatorem. Secundo excercitandi ſunt bellatores tam equites quam pedites ad curſum, vt ſint abiles ad precurrendum. Videtur enim hoc valere ad tria. Primo ad explorandum inimicorum facta. Nam bonum eſt in excercitu, aliquos agiliores precurrere, qui de facili non poſſint ab ipſis hoſtibus comprehendi, explorantes condiciones & ſtatum hoſtium. Secundo hoc eſt vtile ad opti-

optinendum meliorem locum. Nam & locus multum facit ad pugnam. Ideo si bellatores excercitati sunt ad cursum, facilius optinebunt aptiorem locum ad pupnandum. Est etiam hoc vtile ad persequendum fugientes hostes. Nam non de facili quis potest euadere manus agilium & percurrencium. Tertio excercitandi sunt bellatores ad saltum, vt sciant saltim & per saltum incedere. Quod etiam ad tria est utile. Primo ad remouendum impedimenta; secundo ad terrendum aduersarios; tertio ad infligendum maiores plagas. Contingit enim, aliquando inuenire fossas, & alia impedimenta in via, que sine saltu transiliri non possunt. Quare vtile est ad remouendum impedimenta, vt equites sic sint docti, vt sciant equum sic pungere, vt per saltum foueas, & alia impedimenta pertranseat. Et pedites & etiam milites si contingat eos pedes esse, si volunt boni bellatores existere, sic ab ipsa iuuentute excercitandi sunt ad saliendum, vt possint per saltum foueas & alia impedimenta transire. Terrentur etiam ex hoc aduersarii, quando sic vident hostes per saltum incedere. Rursus ipse saltus ratione motus facit, vt plaga amplior infligatur.

CAP. VII.

Quod non sufficit serio & gradatim & ad cursum & saltum excercitare bellantes, sed sunt plura alia, ad que excercitandi sunt homines bellicosi.

Possumus autem preter tria predicta, ad que excercitandos esse diximus bellantes, enumerare octo alia, ad que excercitari debent homines bellicosi. Primo enim excercitandi sunt ad portandum pondera. Secundo ad inuadendum & percutiendum cum claua. Tertio ad emittendum tela, siue iacula, & ad percutiendum cum lancea. Quarto ad iaciendum sagittas. Quinto ad

ad proiiciendum lapides cum fundis. Sexto ad percutiendum cum plumbatis. Septimo ad aſcendendum equos. Octauo ad ſciendum artem natandi. Eſſet etiam vlterius dicendum, quomodo excercitandi ſunt bellatores ad percutiendum gladiis & enſibus: ſed de hoc ſpeciale capitulum faciemus. Primo enim ſunt bellatores excercitandi ad portandum pondera, vt plus ponderis portare aſſueſcant etiam, quam ſit armorum ſarcina. Nam conſuetudo eſt quaſi natura quedam. Cum ergo quis aſſuetus eſt ad portandum maius pondus, videtur ſibi quaſi quod leuis incedat, ſi oneretur minori pondere. Rurſus non ſolum arma, ſed etiam plura alia ſunt ferenda in bello. Ideo etiam ad maiora pondera non eſt inutile aſſueſcere bellatores. Secundo excercitandi ſunt bellatores ad inuadendum, & ad percutiendum cum claua. Recitat enim Vegetius, quod antiquitus apud Romanos in campo aliquo multi pali infigebantur, & iuuenes, quos volebant facere optimos bellatores, excercitabant ad palos illos, ita, vt quilibet habeat ſcutum dupli ponderis, quam ſit ſcutum, quod portatur in bello, & clauam ligneam, etiam dupli ponderis, & quelibet illorum iuuenum ſic oneratus contra aliquem illorum palorum quaſi contra aduerſarium incedebat, & tunc percutiebat palum nunc in ſumitate, nunc in ymo, nunc in medio, & contra palum illum ſic impetuoſe ſe gerebat in percutiendo ipſum, & cooperiendo ſe, & faciendo alia, que requiruntur ad bellum, ac ſi contra hoſtem dimicaret. Et cum diu mane & ſero iuuenes ſic excercitati eſſent, cum poſtea veniebant ad bellum, non grauabantur in percutiendo cum claua, vel in ſuſtinendo quoscunque labores bellicos. Tertio excercitandi ſunt bellatores ad emittendum tela & iacula, & ad percutiendum cum lancea, quod etiam ad defixum palum fieri habet. Fiebat enim antiquitus, vt cum iuuenes excercitati erant ad percutiendum palos infixos cum claua, quod excercitabantur ad percutiendum cum telo vel cum ia-

culo siue cum lancea. Stabant enim a remotis & assuefaciebant brachia, vt possint palum illum percutere, vel saltem prope ipsum proiicere. Est autem attendendum, quod in proiiciendo telum aut lanceam primo vibrandum est telum ipsum, & postea est fortiter impellendum. Vibrato enim telo propter maiorem motum, quem effecit in aere, longius pergit, & amplius vlterius infligit. Quarto excercitandi sunt bellatores ad proiiciendum sagittas vel cum arcubus, vel cum balistis. Nam quia contingit, quod ipsos non possumus attingere, vtile est, eos sagittis impugnare. Ymmo dato, quod pugnantes se cum hostibus possint coniungere, antequam coniungantur, prope proficuum est, eos arcubus & balistis terrere. Legitur enim de Africano Scipione, quod cum pro populo Romano certare deberet, non aliter contra hostes se optinere credebat, nisi in omnibus aciebus electos sagittarios miscuisset. Quinto sunt bellatores excercitandi ad iaciendum lapides cum fundis. Hic quidem modus bellandi in quibusdam marinis insulis fuit inuentus, in quibus pueri, vt Vegecius recitat, adeo industres erant, vt matres nullum eis cibum exhiberent, quem non primo cum funda percuterent. Est autem hoc excercitium vtile, quod fundam portare nullius est labor. Interdum tamen euenit, vt in lapidosis locis habeatur conflictus, & vt mons sit aliquis defendendus, in impugnatione etiam castrorum & ciuitatum inutile est lapides cum fundis eiicere. Sexto excercitandi sunt bellatores ad percutiendum cum plumbatis. Nam pila plumbea, vel ferrea, cum cathena aliqua coniuncta ligneo manubrio vehementem ictum reddit. Nam propter vehementiorem motum aeris vehemencius percutit pila cum cathena haste infixa, quam si ipsi haste vel ipsi manubrio ligneo esset coniuncta. Ad omne genus enim percussionum excercitandi sunt bellantes, vt contra alios, & alios hostes aliter & aliter percutiendo dimicent. Septimo bellatores excercitandi sunt ad ascensio-

 nes

nes equorum. Nam vt Vegecius recitat, fiebant antiquitus equi lignei, ad quos aſcendentes iuuenes in hyeme excercitabantur ſub tecto, eſtate vero in campo. Et primo equos illos aſcendebant inermes, deinde armati, & ideo ad hec aſſuefiebant, vt a dextris, & a ſiniſtris & vndique equos aſcenderent. Ymmo, quod plus erat, euaginatis gladiis conſcendebant in illos. In tantum ergo circa hec excercitabantur in pace, quod in tumultu prelii ſine mora de facili aſcendebant equos. Octauo aſſueſcendi ſunt bellatores ad ea, vt etiam natare ſciant. Nam non ſemper pontes ſunt prompti, & multociens aque profunditas ignoratur, propter quod ex ignorantantia natandi legitur multos periclitatos eſſe. Inde eſt, quod apud Romanos antiquitus conſuetudo erat, quod iuuenes futuri bellatores, poſtquam per magnam partem diei excercitati eſſent ad arma, ſi tempus erat natationi congruum, ducebantur ad fluuium, vt artem natandi addiſcerent; ymmo non ſolum pedites, ſed equites & etiam ipſos equos ad natandum excercebant. Aduertendum autem, quod predictorum excerciciorum quedam ſunt magis propria equitibus, quedam peditibus, quedam vtriſque. Quod quomodo ſit, non magna conſideratione eget & ſolertem mentem latere non poteſt. Nam aſcendere equos eſt proprium equitibus; proiicere lapides cum funda videtur eſſe proprium peditibus. Alia vero ſunt aliquando applicabilia ad vtroſque.

CAP. VIII.

Quod utile eſt in excercitu facere foſſas, & conſtruere caſtra, & qualiter caſtra ſunt conſtruenda, & que ſunt attendenda in conſtructione caſtrorum.

Negocia bellica inter cetera periculoſioria eſſe videntur, ideo in eis eſt magna diligencia adhibenda. In

talibus igitur non poteſt quis ſuperhabundare cautel
In pugna enim omnino eſt eligendum maiorem di
gentiam habuiſſe quam bella commiſſa requirer
quam eſſe ipſa in aliquo neglexiſſe. Nam recitat Veg
getius, dixiſſe Cathonem, quod in aliis rebus ſi qu
erratum eſt, poteſt poſtmodum corrigi, delicta ve
preliorum emendationem non recipiunt, ſed ſtatim p
na errorem conſequitur, quia imperite & imprudent
pugnantes vel confeſtim pereunt, vel in fugam conu
ſi adeo efficiuntur timidi, quod contra ſuos victores v
aut nunquam audent bella committere. Quare ſi
bellis oſtendere ſuperhabundandum eſſe cautelis, n
eſt pretermittendum, quicquid in aliquo caſu poteſt e
cercitui eſſe proficuum (vt) non debelletur ab hoſtib
Contingit autem pluries diuturno & nocturno temp
re, quod, excercitu abſque foſſis & caſtris exiſtente,
non credente, hoſtes eſſe propinquos, ſuperuenientib
hoſtibus, fuit excercitus debellatus. Ergo poſtqua
excercitus ſuam dietam compleuerit, & alicubi v
pernoctare, vel vlteriorem moram contrahere, ſi ad
cum illum in aliquo caſu vel in aliquo eventu hoſ
ſuperuenire poſſint, ſtatim circa excercitum fiende ſu
foſſe, erigende municiones alique, quaſi ad modu
caſtrorum, quia nihil neque tam ſalutare, neque ta
neceſſarium inuenitur in bello, ſicut ſi debite ſunt fac
municiones, & recte ſunt conſtituta caſtra. Ita inire i
fra caſtrorum ſpacia totus excercitus ſecurus permane
quandocunque & vndocunque ſuperuenientes ob
deant. Debet enim excercitus ſemper ſecum ferre m
niciones congruas, vt cum caſtra metari voluit, qu
quandam munitam ciuitatem ſecum portaſſe videat
Viſo, vtile eſſe circa excercitum facere foſſas & conſtru
re caſtra, reſtat oſtendere, qualiter huiuſmodi munic
nes & caſtra ſunt conſtruenda. Nam ſi hoſtes ſunt
ſentes, facile eſt, foſſas circa excercitum fodere, mu
ciones erigere, & caſtra conſtruere. Sed ſi aduerſa

presentes adsint, difficilus est, castra munire. Sunt enim tali casu duo necessaria, videlicet hostibus resistere & castra construere. In tali ergo euentu secundum sapientum sententiam est excercitus diuidendus, ita, quod omnes equites & vna pars peditum debet ordinari in acie ad pellendum impetum hostium; reliqua vero pars peditum, que posset sufficere ad celerem constructionem castrorum, debet celeriter castra construere. Oportet autem super construendis castris & faciendis fossis aliquos magistros prestitui, qui negligentes sollicitent & vnicuique coniungant, quod ipsum oporteat agere. Ostenso, vtile esse castra construere & qualiter etiam presentibus hostibus construenda sunt castra; reliquum est declarare, que sunt attendenda in constructione castrorum, in faciendis fossis & in construendis castris, intra quorum spacium est excercitus collocandus. Tria sunt videlicet situs, forma & municionis modus. Circa situm autem, quantum ad presens spectat, sunt quatuor attendenda. Primo, vt sit sibi copia aque, & aliorum, que excercitui sunt necessaria. Secundo non debet ibi esse vicinus mons aliquis, vel lacus aliquis, a quo possit excercitus impugnari. Tertio circa situm considerandum & spatium, & pro numero bellatorum accipiendum spacium, circa quod sunt municiones erigende, & non plus accipiatur de spacio, quam requirit huiusmodi multitudo, nec etiam accipiatur tam modicum, vt vltra, quam debeat, oporteat excercitum constringi & constipari. Quarto si oporteat in loco illo excercitum moram contrahere, & assit possibilitas, eligenda est circa situm salubritas aeris. Nam & in excercitu non solum cauenda sunt vulnera hostium, sed, vt offert se facultas, cauende sunt pestes morborum. Declarato ergo, que sunt attenda circa situm castrorum, declarandum est, qualis debeat esse eorum forma. Videtur autem velle Vegecius municiones & fossas, faciendas circa excercitum, debere habere formam quadrilatriam

oblongam: attamen quia figura circularis eſt capaciſſima, eligibilius eſt, facere municiones ſecundum circularem formam, vel ſecundum formam multorum angulorum, quia ſi multum timeretur de impetu hoſtium, oporteret foueas facere multorum angulorum eo, quod illa forma eſt magis defenſioni apta, vt infra patebit. Talis itaque forma eſt melior in conſtructione caſtrorum, niſi loci ſitus impediat. Nam contingit aliquando, ſitum illum non pati talem formam. In tali igitur caſu conſtruenda ſunt caſtra ſemicircularia, triangularia, quadrata, vel ſecundum aliquam aliam formam, quam requirit diſpoſitio & aptitudo ſitus. Porta autem principalis ex illa parte fienda eſt, que reſpicit hoſtes, vel circa quam profecturus eſt excercitus. Sunt etiam in caſtris ponenda inſignia, ad terrendum hoſtes, & etiam ad hoc, vt, ſi contingat aliquos de excercitu elongari a caſtris, viſis inſigniis, melius ſciant ad caſtra redire. Hiis itaque pertractatis, ſupereſt videre, quis municionis attendendus modus in conſtructione caſtrorum. Nam ſi excercitus ibi diu morari intendit, erigende ſunt forciores municiones, & fiende ampliores foſſe. Sed ſi ſolum ibi pernoctare cupit, aut ibidem per modicum tempus exiſtere, non oportet tantas municiones expetere. Modum autem & qualitatem foſſarum tradit Vegecius, dicens, quod ſi non immineat magna vis hoſtium, foſſa debet eſſe lata pedes IX. alta VII. Sed ſi aduerſariorum vis acrior imminet, conuenit foſſam ampliorem & altiorem facere, ita, vt ſit lata pedes XII. & alta IX. Eſt tamen aduertendum, quod ſi foſſa ſit alta pedes IX. propter terram erectam ſuper foſſam creſcit pedes IV. ita, quod tota foſſa alta erit quaſi pedes XIII. Debet enim foſſa eſſe in ante ex parte hoſtium, & terra proiicienda eſt ad partem intra, vbi eſt excercitus collocandus. In terra autem illa ſunt figiendi ſtipites & ligna & municiones alie, quas ſecum excercitus portare debet. Sic ergo caſtris conſtitutis, & ſic foſſis factis, poterit excercitus morari ſecurus.

CAP. IX.

Que & quot ſunt conſideranda in bello, ſi debeat publica pugna committi.

Vt patet per habita, circa negotia bellica eſt cautela maxima adhibenda. Nam, quia bellorum caſus irremediabiles ſunt, quecunque circa bella conſideranda exiſtunt, priusquam pugna publica committatur. Melius eſt enim, pugnam non admittere, quam absque debita prouiſione fortune & caſui ſe exponere. Videmus autem in bello duo exiſtere, videlicet viros pugnantes & auxilia alia, que requiruntur ad pugnam. Ex parte autem virorum pugnantium, quantum ad preſens ſpectat, ſex ſunt attendenda; ſic etiam ex parte auxiliorum & amminiculancium ſex alia enumerari poſſunt, que ſunt etiam attendenda. In vniuerſo autem rex aut princeps, aut dux excercitus, qui debet eſſe ſobrius, prudens, vigilans & induſtris, duodena conſiderare debet, ſex ex parte virorum & ſex ex parte amminiculancium, priusquam eligat, publicam pugnam committere. Sunt autem ſex ex parte hominum bellatorum, que faciunt ad optinendam victoriam. Primum eſt numerus bellantium. Nam, vbi plures ſunt bellatores ceteris aliis paribus, que huiusmodi ſunt, victoriam obtinere debent. Nam vt dicitur in II. politicorum : Quantitas in conpugnacione eſt vtilis, ſicut magis pondus maius trahit. Secundo ex parte bellatorum, attendenda eſt excercitatio. Nam habentes brachia inaſſueta ad percuciendum, & membra inexcercitata ad bellandum, deficiunt in ſuſtinendo pugnam. Eſt enim conſuetudo quaſi altera natura, vt quilibet virilius, & expedicius, & ſine maiori labori & pena faciat opera conſueta. Tertio attendenda eſt tolerancia erga neceſſitates corporis. Nam exiſtentes in excercitu oportet multa incommoda tollerare. Quare ſi ſint ibi molles & muliebres, renuentes incommoditates aliquas ſuſtinere, deuicti propter incom-

moditates, quas ſuſtinent, bellare recuſant, & excercitum fugiunt. Quarto conſideranda eſt fortitudo & duricies corporis. Multum enim intereſt inter duritiem ferri, & molliciem panni ſiriaci & inter ſuauitatem ludi & aſperitatem pugne. Conſiderato enim bello in vniuerſali omnes volunt eſſe boni bellatores, ſed, poſtquam veniunt ad experienciam particularium geſtorum & guſtant, quanta ſit duricies ferri & quantum ſit armorum pondus, & quantus ſit labor pugne, & quantum affligunt vulnera hoſtium, vt plurimum eſt durus carne & robuſtus corpore, ſed propter talia non retrahitur ab agendo. Nam etſi contingat, molles carne etiam, poſtquam guſtauerint bella, appetere pugnam, hoc eſt vt raro. Nam habentes carnes molles, vt ſupra tangebatur, ſunt apciores ad meditandum, ſed vt plurimum ſunt inepti ad pugnandum. Nam tales difficilius ſuſtinent armorum pondus, & vehementius dolent ex illacione vulnerum. Quinto conſideranda eſt in bellantibus verſucia, & induſtria ad bellandum. Nam quanto cautiores ſunt bellatores, tanto citius victoriam obtinent. Sexto attendenda eſt virilitas & audacia mentis, quia audaciores & magis cordati vt plurimum in pugna victoriam obtinent. Rex igitur, aut princeps, vel dux excercitus, priusquam publice dimicet, ex parte hominum bellatorum ſex conſiderare debet. Primo, ex qua parte plures ſunt bellatores; ſecundo, qui ſunt magis excercitati; tertio, qui ſunt forciores in ſuſtinendo neceſſitates & incommoda; quarto, qui ſunt robuſtiores & duriores corpore; quinto, qui ſunt induſtriores & ſagaciores mente; ſexto, qui ſunt audaciores & viriliores corde. Et tunc dux ſobrius & vigilans, prout viderit ſuum excercitum in hiis condicionibus habundare aut deficere, poterit accelerare pugnam vel differre, & bellare publice & aperte, vel per inſidias & latenter. Enumeratis ſex condicionibus, que conſiderande ſunt, priusquam committatur bellum publicum, ex parte hominum bellatorum:

rum: reliquum eſt, enumerare ſex alia, que ſumuntur ex parte amminiculancium & eorum, que auxiliantur ad bellum. In bello quidem auxiliantur equi, arma, victualia loca pugnandi tempus & auxilium preſtolancium. Debet igitur dux excercitus conſiderare primo, ex qua parte ſunt plures equi & meliores; ſecundo, ex qua parte ſunt meliores ſagitarii, plures armati & habentes meliora arma. Tertio, vbi plus victualia habundant. Nam aliquando absque vulnere & absque bello aduerſarii cedunt, deficientes in victualibus & ob mendicitatem non valentes moram contrahere. Quarto conſiderandus eſt pugnacionis locus, qui ſunt in altiori ſitu, vel meliori ad pugnandum. Quinto circa pugnam attendendum eſt tempus, vtrum tempore, quo committenda eſt pugna, ſol ſit oppoſitus faciei aduerſariorum vel hoſtium, & vtrum ſit aliquis ventus flans, & eleuans puluerem contra ipſos vel contra aduerſarios. Nam habentes ſolem & ventum ſiue puluerem contra ſe offenduntur in oculis, vt dimicare non poſſint. Sexto eſt attendendum, qui plures auxiliatores exſpectant. Nam ſi hoſtes plura exſpectant auxilia, vel non eſt bellandum, vel accelerauda eſt pugna. Si autem plures auxiliatores exſpectant, eſt conpugnatio deferenda. Hiis ergo omnibus diligenter inſpectis, prudens dux excercitus ſufficienter aduertere poteſt, vtrum debeat publicam pugnam committere. Nam prout viderit, ſe in pluribus conditionibus habundare prefatis, & deficere, ſic ſe habere poterit erga bellum. Forte enim nunquam contingit, omnes condiciones predictas concurrere ex vna parte, vbi tamen plures & meliores conditiones concurrunt, eſt pars potior ad bellandum.

CAP. X.

Quod vtile eſt in bello ferre vexilla, & conſtituere duces & prepoſitos, & quales eſſe debeant, qui

qui in excercitu vexilla portant, & qui equitibus & peditibus preponuntur.

Semper virtus vnita & ordinata fortior est seipsa dispersa & confusa. Contingit autem aliquando commisso bello ordines & acies turbari & confundi. Ne ergo hoc possit accidere, seruabatur antiquitus, vt diuideretur excercitus in turmas & acies, & singulis singula vexilla constituebant, ita, vt in quolibet vexillo per literas, vel per aliqua euidencia signa aperte ostenderetur, cuius aciei, vel cuius turme esset vexillum illud, vt si contingeret, aliquem bellatorem deuiare a propria acie, de facili rediret ad illam. Vtile ergo fuit in bellis, insignia & vexilla deferre, ne confunderetur excercitus. Rursus expediebat, constituere duces, centuriones, decanos & alios prepositos belli. Nam totus excercitus belli habet se ad similitudinem vnius corporis. Quare sicut omnia membra corporis se inuicem iuuant, sic omnes bellatores & omnes partes excercitus se inuicem defendunt. Quare sicut confunduntur membrorum opera, nisi dirigantur in ipsum caput, in quo viget sensus & cognitio. Quare sic confunduntur bellatores in excercitu, si careant centurione aut duce, qui debet esse eorum caput & eorum directiuum. Ideo est, quod antiqitus, ne accideret confusio in bello, constituebatur dux aliquis, qui toti excercitui erat prepositus. Sub hoc autem duce erant centuriones, sub centurione vero decani. Dicitur autem decanus a decem, sic centurio a centum. Habebat enim centurio sub se decem decanos, ita quod imperat centum bellatoribus & decem decanis, quorum quilibet decanorum sub se decem viros pugnatiuos habebat. In galea enim centurionis scripte erant litere alique, & aliquod signum evidens, quod respicientes decani agnoscebant centurionem proprium & sciebant, quem sequi deberent. Sic etiam in galea cuiuslibet decanorum signum aliquod erat impressum, per quod decem bellatores viri, quibus ipse erat prepositus, decanum

nnum proprium agnoſcebant. Hoc itaq. modo vel etiam alio, tam in aciebus equitum, quam etiam peditum conſtituendi ſunt duces & prepoſiti & ferentes vexilla, vt quilibet ſciat, quid debeat agere. Eſt enim tantus terror in bello propter armorum ſtrepitum & percuſſiones illatas, quod verba & moniciones non ſufficiunt ad dirigendum bellantes; ſed oportet dare euidentia ſigna, vt qu libet ex ſolo intuitu ſciat, ſe tenere ordinate in acie, & cognoſcat, quid ſit acturus. Ex hoc autem patere poteſt, quales debeant eſſe portantes inſignia & vexilla. Nam, vexillo confracto, totus excercitus eſt confractus. Cum magna enim diligentia eſt vexillifer eligendus, vt ſit corpore fortis, animo conſtans, fidelis principi, & expertus in armis, & ſingula alia habeat, que requiruntur ad probum & ſtrenuum bellatorem. Contingit enim etiam noſtris temporibus, totum populum ciuitatis cuiusdam deuictum eſſe a bellatoribus paucis, eo, quod vexillifer fraudem committens velauit vexillum, & abſcondit ipſum. Quare confundebantur bellatores, qui non habentes caput, & ignorantes ad quid debent attendere. Propter quod, ſi in debellacione vita multorum hominum periculis mortis exponitur, cum magna diligentia vexillifer eſt querendus. Ex dictis etiam patere poteſt, qualis debeat eſſe, qui in excercitu peditibus & equitibus eſt preponendus. Nam ſicut caput eſt preſtantius membris aliis, ſic qui in bello præponitur aliquibus turmis vel bellatoribus aliis, debet eſſe magis ſtrenuus aliis, & magis expertus in hiis, que requiruntur ad pugnam. Quare cum pedites, ſi debeant boni bellatores exiſtere, eſſe debent fortes viribus, proceri ſtatura, ſcientes, eiicere haſtas & tela; ſcire etiam debent, vibrare ad percutiendum, rotare ſcutum ad ſe protegendum, debeant eſſe vigilantes, agiles, ſobrii, habentes armorum experientiam: oportet, omnia hec per amplius & perfectius reperiri in eo, qui eſt ſuper pugnatores pedites preponendus. Debet ergo, qui in pugna peditibus

pre-

preponitur, esse fortis viribus, procer statura, sciens
cere hastas & iacula, sciens dimicare gladio ad per
tiendum, rotare scutum ad se protegendum, vigilans,
brius, agilis, habens omnem armorum experientiam
vt sciat, erudire pugnantes sibi commissos, & cogat
ad bene bellandum & arma tergendum. Nam ipse
morum nitor terrorem incutit hostibus, vt portans
iusmodi arma credatur bonus esse bellator. Ipsa en
rubigo armorum arguit inhertiam bellandi in eo,
portat illa. Si ergo talis debet esse, qui preponitur p
tibus bellatoribus, multo magis debet esse armorum
pertus & procer corpore & fortis viribus, qui est equ
bus preponendus, quia in bello equestri maior co
ctus efficitur, quam in pedestri pugna. Oportet e
prepositum & ducem militaris belli esse abilem corp
vt possit etiam armatus agiliter equum conscendere,
re fortiter equitare, cum lancea percutere, iacula eiic
cum scuto se protegere, cum claua & ense dimicare,
bere omne armorum excercitium, vt possit suos c
militones de pugna erudire, vt fortiter pugnent, a
tergant & alia faciant, que requiruntur ad bellum.

CAP. XI.

Quibus cautelis debet vti dux belli, ne suus cercitus ledatur in via.

Mors est quid terribilissimum & finis omnium te
bilium, vt dicitur III. ethic. Vbi ergo queritur m
populi, & vbi hostes insideantur morti ciuium,
omnis cautela adhibenda, vt excercitus seruetur ille
& vt vita ciuium conseruetur. Non ergo sufficit co
derare ea, que sunt consideranda in pugna publica c
mittenda, nisi sciantur cautele ad remouendum imp
menta viarum, ne excercitus per insidias hostium p
clitetur in via. Possumus autem, quantum ad pre
spectat, octo cautelas enumerare, quas debet dux

retinere memoriter, vt saluetur vita pugnatorum, qui sunt sub ipso. Prima est, vt itinera regionum, per que excercitus proficisci debet, & interualla locorum, & qualitates viarum, & compendia, & diuerticula, & montes, & fluuia existentia in itinere illo debet habere conscripta; ymmo si vie ille & passus & fluuia dux excercitus haberet depicta, & quasi oculorum aspectu prospiceret, qualiter excercitus debet pergere, tucius possit suum excercitum ducere. Sic enim marinarii faciunt, qui videntes maris pericula, ne eorum naues patiuntur naufragium, descripserunt maris mappas, vbi portus marini, discrimina maris, & cetera talia proportionabiliter sunt descripta, qui marinarii intuentes statim percipiunt, qualiter debeant pergere, in quo loco existunt, & a quibus debeant se cauere. Quare cum propter insidias hostium excercitus tot quasi vel etiam pluribus periculis exponatur in via, quam naute in mari nullo, non debet excercitus pergere per viam aliquam, in qua pati possit insidias, nisi qualitates viarum, montes, fluuia & cetera reperta in illo itinere habeat dux conscripta & etiam depicta. Secunda cautela, vt simul cum hoc, quod habet vias & qualitates viarum conscriptas & depictas ducat dux belli conductores aliquos, bene scientes vias illas, qui pluries per eas peregrinauerint, & experti sint illas. Nam videtur conscripta & depicta non sunt ita nota, sicut si per se ipsa sensibiliter videremus. Nam potior est cognicio rei, per quam cognoscitur in se ipsa, quam per quam cognoscitur in pictura, vel in suo simili. Ne tamen conductores molliantur fraudes aliquas, debet circa eos dux bonus apponere custodias, ne possint fugere, debet etiam iis minari mortem, si in aliquo fraudulenter se habeant, & promittere dona, si se fideliter gesserint. Tertia, habere secum plures sapientes, fideles principi, excercitatos in bellis, de quorum consilio agat, quicquid viderit esse fiendum. Nam vbi tantum currit periculum, nullus debet inniti proprio capiti, nec cre-

credere ſoli ſibi. Quarta cautela eſt, vt itinera ign
rentur, per que debet excercitus proficiſci. Nam con
lium ducis quanto minus eſt publicum, tanto, que ſu
conſiliis deliberata, minus impediuntur, & citius fini d
bito mancipantur. Poſtquam ergo deliberatum eſt, p
quas vias debet excercitus pergere, & vias illas dux h
bet conſcriptas & depictas, & habentur conductor
aliqui fideles, quanto hoc minus eſt publicum, & mag
celatur ab hoſtibus, tanto excercitus magis ſecure pro
ciſcitur. Quinta eſt, in quolibet agmine, & in qualib
acie habere aliquos equites fideliſſimos & ſtrenuiſſim
habentes equos veloces & fortes, qui ante, & a tergo, &
dextra & a leua procurrant, illuſtrantes & cooperient
inſidias, ne hoſtes aliqui latitantes ex aliqua parte m
leſtent excercitum. Nam etſi nullis eſſet notum du
conſilium, eo tamen ipſo, quod per aliquas vias inci
excercitus iter arripere, coniecturari quis poteſt, p
quas vias debet proficiſci, & quia probabile eſt, ſemp
in talibus aliquos exploratores adeſſe, cogitare de
dux belli, quod & hoc poſſet ad aures hoſtium peru
nire. Ita, cum pericula preuiſa minus noceant, p
velociſſimos equites ſunt detegende inſidie, ne excer
tus circa aliquam partem ex improuiſo patiatur mo
ſtias. Sexta eſt, vt ſemper ex illa parte excercitus p
biores milites & magis bellicoſi pedites apponantur,
qua creditur magis periculum imminere, quod ſi
omni parte de periculo dubitatur, vndique ſunt rem
dia exhibenda. Septima eſt, ne excercitus diſperſ
vadat, nam interrupta acie facilius debellatur. In q
libet hora excercitus ſic ſe habere debeat, vt ſi & tunc
ſtes preſentes adeſſent, eis non poſſit efficere nocum
tum. Vnde & prouerbialiter dicitur, quod qui eſt m
nitus, non eſt deriſus. Semper enim dux belli, cui co
miſſa eſt tantorum vita, debet eſſe attentus & vigila
ne hoſtes eum inuadere poſſint quaſi negligentem
dormientem. Debet etiam dux excercitus, centurion

& decani, & alii, qui operibus bellicis preponuntur semper monere pedites & milites, vt sint parati ad arma, vt si contingeret aliqua inuasio subita possent inuadentibus resistere. Sic enim dicendo dato, quod accideret aliquis repentinus insultus, esset quasi prouisus & minus prestaret nocumentum. Octaua cautela est, considerare excercitum, in quibus sit copiosior, vtrum magis habundet peditibus, vel equitibus. Nam equites melius se defendunt in campis, pedites vero in locis siluestribus & montosis. Itaque prout viderit dux belli, se habundare in equitibus vel peditibus, eligere poterit vias campestres & amplas, vel montanas, siluestres & nemorosas, & alia, prout viderit expedire.

CAP. XII.

Qualiter ordinande sunt acies, si debeamus contra hostes vel contra aduersarios dimicare.

Postquam diximus, sub quo continetur operatio bellica, & ex quibus regionibus sunt meliores pugnantes, & ex quibus artibus sunt meliores bellicosi, declarauimus etiam, qualiter in excercitu construende sunt municiones & castra, & que sunt consideranda, si debeat publica pugna committi, & ex quibus cautelis habundare decet bellorum ducem, ne suus excercitus ledatur in via, ad bellum nihil, vt sic videtur, dicere restat vlterius, nisi vt doceamus ordinare acies, percutere aduersarios, & inuadere hostes. Prius tamen dicemus de ordine acierum. Si enim ordo seruetur in acie, non modicum valet ad pugnam. Nam, vt ayt Vegecius, nisi bellantes sint ordinati & occupent debitum spacium, bene pugnare non poterunt. Nam si nimis sint constricti, impediuntur, ne alios percutere possint; si vero nimis rari & interlucentes, aditum prestant hostibus, vt facilius deuincantur. Seruare autem debi-

tum ordinem in acie, vt pedites & equites ſuam aci
ſeruent, non ſine magno excercitio fieri poteſt. Qui
tur in tempore aliquo vult bellare, per diuturna tem
ra debet excercitare pugnatores, ad ſeruandum debit
ordinem in acie, & ad faciendum ea, que requiruntu
bello. Modus autem, per quem pugnatores huiusm
ordinem ſeruare diſcunt, eſt, vt frequenter tam eq
tes quam pedites ducantur ad campos, & ille, qui
excercitatus in bellis, & qui debet equitibus vel ped
bus eſſe prepoſitus, primo debet equites & pedites
nealiter diſponere, ita, vt ſeratim maneant & equali
a ſe inuicem diſtent ſecundum diſtantiam, quam
quirit acies equeſtris vel pedeſtris. Poſtea precip
debent, vt duplicent aciem ita, vt quod medietas a
ſtatim ſeparet ſe a medietate alia, vt ſeratim ordine
ante aliam vel poſt ipſam. Quo facto, ſtatim de
precipere dux belli, vt aciem quadratam faciant,
deinde, vt conſtituant trigonum, quod faciliter ſit. N
acie quadruplata & ſecata dyametro & partibus q
dratis coniunctis ſimul faciunt trigonum. vel vt ſit
vnum dicere, quod nos omnes hos modos geometri
capiunt, ductis pugnatoribus ad campos, ſiue equ
bus, ſiue peditibus, imperare debet dux belli, qu
pugnatores ordinent ſe ſecundum formam quadrang
larem & poſtea quod ſecundum triangularem, &
nique quod ſecundum rotundam, & ſic deinceps
bet aſſuefacere bellantes, vt ſciant conſtituere aci
ſecundum quamcunque formam. Hiis viſis, ſciendu
quadrangularem formam aciei inter ceteras formas e
magis inutilem. Ideo ſecundum hanc formam nu
quam formanda eſt acies ſimpliciter, ſed in caſu, v
ſitus loci talem formam requirit. In huiusmodi c
conſtruenda eſt forma predicta. Forme autem acier
ſecundum ſe vtiles ad bellandum ſunt piramidalis,
tunda & forficularis. Nam pugnantes vel ſolum
lunt ſuſtinere ictus, vel volunt alios inuadere. Si en

bella

bellantes non ſentiunt ſe tante potentie, vt alios debellare poſſint, ſed ſufficit eis, vt ſe defendant, tunc eſt conſtruenda acies ſecundum rotundam formam, & pugnantes debent ſe magis conſtringere, & conſtipare, vt acies non poſſit ab hoſtibus transcindi. Circa aciem autem in ſummitate, & in exteriori parte conſtituendi ſunt homines grauioris armature & melius armati, qui abſque grauamine poſſint ictus ſuſcipere. Si vero pugnantes credunt, ſe eſſe tante potencie, vt poſſint aduerſarios inuadere, tunc vel ſecundum eorum proporcionem hoſtes ſunt pauci, vel valde multi. Si hoſtes ſunt valde pauci, conſtituenda & acies ſecundum formam forficularem, vt acies ſit aperta ad modum ferri equi, vt quaſi forfices, vt aduerſarios quaſi in medio capiat & concludat. Si vero hoſtes ſunt multi, conſtituenda eſt acies ſecundum formam, quam appellant cuneum, i. e, ſecundum formam pyramidalem & acutam, vt poſſint hoſtes ſcindere & diuidere. Nam diuiſis hoſtibus facilius debellantur. Acies ergo conſtructa in forma rotunda, vtilis eſt ad ſuſtinendum: in forma vero forficulari eſt vtilis eſt ad circumdandum & concludendum, cum hoſtes ſint pauci. Sed in forma acuta & pyramidali vtilis eſt ad ſcindendum & diuidendum, cum hoſtes ſunt plures. Sciendum eſt ergo, quod numerus acierum conſtruendus eſt ſecundum multitudinem pugnatorum, vt prout quis plures aut pauciores pugnantes viderit ſe habere, poterit plures aut pauciores acies conſtruere. Sciendum etiam, quod ſemper in cornu aciei, & in locis, vbi magis periculum eſt, ne acies confundatur, apponendi ſunt probiores pugnatores, qui poſſint virilius dimicare. Eſt etiam aduertendum, quod in qualibet acie preter numerum pugnatorum, conſtituencium aciem, reſeruandi ſunt aliqui ſtrenui bellatores extra ipſam aciem, qui poſſint ad illam partem ſuccurrere, vbi viderint magis aciem deficere. Hec ergo tria obſeruanda ſunt in conſtructione acierum. Primo,

vt acies bene ordinetur ſecundum formam rotundam, acutam & forficularem, vt requirit bellum committendum. Secundo, vt probiores bellatores in illis partibus aciei apponantur, in quibus magis poteſt confundi & perforari acies. Tertio, vt extra quamlibet aciem reſeruentur aliqui milites ſtrenui & audaces, qui poſſint ſuccurrere ad partem illam, erga quam viderint aciem turbare & deficere.

CAP. XIII.

Quod deridendi ſunt in bello omnes percutientes ceſim, & quod eligibilius eſt percutere punctim.

Oſtenſo, qualiter ſunt acies ordinande & conſtruende, reliquum eſt oſtendere, qualiter pugnantes percutere debeant; vtrum eligibilius ſit percutere ceſim, vel punctim. Poſſumus autem quinque viis oſtendere, quod deridendi ſunt percutientes ceſim, & eligibilius eſt, percutere punctim. Prima via ſumitur ex prohibicione armorum; ſecunda ex reſiſtentia oſſium; tertia ex prouidentia vulnerum; quarta ex fatigacione membrorum; quinta ex detectione percutientium. Prima via ſic patet. Nam quanto enſis aut gladius plus capit de armis, tanto propter armorum reſiſtentiam difficilius itur ad carnem. Inde eſt, quod bellorum experti dicunt, pugnantes ſemper debere habere loricas amplas ita, vt anuli loricarum ſe conſtringant, quia quanto illi anuli magis ſunt compacti, tanto oportet plures ex iis frangere, vt vulnera noceant. Sic percutientes ceſim oportet plus de armis incidere, quam percutientes punctim. vt ergo vulnus perueniat citius ad carnem, magis eſt eligibile percutere punctim, quam ceſim. Modica ergo armorum inciſio ſufficit ad ledendum carnem percutiendo punctim, que non ſufficeret, ſi percuteretur ceſim. Secunda via ad inueſtigandum hoc idem ſumitur

tur ex resistentia ossium. Nam etsi, quis quasi inermis existeret in percussione cesim priusquam perueniretur ad cor vel ad membra vitalia, oporteret magnam plagam facere, & multa ossa incidere; sed percuciendo punctim ducmicie sufficiunt ad hoc, quod fiat plaga mortalis & sit letale vulnus. Considerare quidem debemus, quod quicquid est hosti nociuum semper, quod huiusmodi est nobis proficuum. Ideo in excercitu vbi queritur mors aduersariorum, percutiendum est punctim, quia sic feriendo citius infringitur plaga mortifera. Tertia via sumitur ex prouidentia vulnerum. Nam quanto hostis magis vulneratur, prouidenter magis potest se protegere, & citius potest illa vitare, quia iacula preuisa minus ledunt. In percutiendo autem cesim, quia oportet fieri magnum brachiorum motum prius, quam infligatur plaga, aduersarius ex longinquo potest prouidere vulnus; Immo magis potest, se cauere & cooperire se ab ictibus. Ideo ayt Vegecius, quod percutere punctim aduersarium sauciat, antequam videat. Vnde hoc genere percutiendi vsi sunt Romani. Deridebant enim Romani omnes milites percutientes cesim, quia & ipsi semper volebant percutere punctim. Quarta via sumitur ex fatigacione membrorum. Inter cetera enim est hec potissime attendenda, vt pugnantes absque nimia sui fatigacione possint nimis aduersarios ledere. Nam si bellantes nimis se fatigent, non valentes laborem illum tolerare, de facili dimittunt aciem, & conuertuntur in fugam. Quare cum percutiendo cesim propter magnum motum brachiorum insurgat, ibi magnus labor; punctim vero feriendo modica fatigatione sufficiat, eligibilius est percutere punctim, quàm cesim. Cesa enim percussio quouis impetu veniat, raro occumbit: Sed puncta modico impetu inflicta facit letale vulnus. Quinta via sumitur ex detectione percutientis. Nam bonus bellator, si potest, sic debet aduersarium ledere, vt tamen ipse non ledatur. Omnis ergo ille modus per-

cutiendi est magis eligendus, secundum quem ferie
nimis discooperitur & detegitur, quia sic feriendo mi
lesio ei potest accidere. Quare cum percutiendo pu
ctim etiam tecto corpore possit aduersarius nimis le
melius est, percutere punctim, quam cesim. Percutie
do enim cesim oportet eleuare brachium dextrum, q
eleuato dextrum latus discooperitur & nudatur, & da
hosti etiam, vt possit nos facilius ledere. Nam leuius inf
tur lesio & nocumentum corpore nudato, quam tec

CAP. XIV.

Quot & que sunt illa, que hostes potentior reddunt, & quot modorum & qualiter debe mus hostes inuadere.

Vt dicebatur superius, quicquid hosti est proficuu nobis est nociuum & e contrario. Quecunq igitur reddunt hostes fortiores ad resistendum b la ntibus, quia illa sunt eis proficua, eorum oppo ta sunt eis nociua, & reddunt eos debiliores, ne p sint impugnantibus resistere. Quantum autem presens spectat, possumus VII. enumerare, per q hostes sunt forciores contra impugnantes. Primum e si sint in acie debite ordinati. Nam cum virtus vni vt supra tangebatur, forcior sit seipsa dispersa, si hos sint bene vniti, & debite in acie ordinati, si inuadant difficilius devincantur. Secundum, quod reddit hon nes fortiores ad resistendum, est locus. Nam in vno lo hostes facilius se tuentur, quam in alio. Nam in trans fluuiorum, inter precipitia montium, & inter difficul tes viarum si contingat hostes in tali situ reperiri, di cilius se defendere poterunt, quia oportet eos, spars incedere. Quare sicut locus ineptus defensioni, si in hostes inueniantur, reddit eos debiliores ad bellandu sic locus aptus facit eos potentiores ad resistendu Tertium est ipsum tempus, in quo ventus est con

 host

hoſtes, & in quo puluis facies eorum percutit, & in quo ſolares radii opponuntur eorum oculis, difficilius poſſint hoſtes reſiſtere. Tempore vero, in quo hoc modo in oppoſito ſe habent hoſtes, abiliores ſunt ad pugnandum. Quartum, quod reddit hoſtes magis animoſos, & magis promptos ad renitendum, eſt prouiſio, quia, qui bene prouiſi ſunt & preſciunt pugnatorum aduentum, magis ſe muniunt, & minus terrentur ex eorum concurſu. Quintum autem eſt debita & moderata quietatio. Nam, quando hoſtes ſunt laxati laboribus, vigiliis & incommoditatibus aliis, ſi tunc inuaduntur, facilius deuincuntur, quam ſi debite quieuiſſent. Debita ergo quies homines potentiores reddit. Sextum quidem eſt amor & concordia. Nam ſi hoſtes diuiſi corporaliter facilius deuincuntur, multo magis diuiſi animo & voluntate debellantur celerius, quia maior eſt diuiſio animorum, quam corporum. Et e contrario ſi hoſtes non ſunt ſparſi, ſi ſint corporaliter coniuncti, potentiores ſunt ad bellandum & multo magis, ſi ſe diligant, & ſint coniuncti & animo & voluntate, quia de ſe ipſis magis confident, erunt viriliores & promtiores ad pugnam. Omnis enim amor eſt quedam vis vnita, & plus amor vnit animantium corda, quam loci vnitas exiſtencium corpora. Quare ſi vnitas loci & congregacio bellantium eos potentiores facit, amor & vnitas cordium eos viriliores reddit. Septimum, quod facit hoſtes potentiores ad retinendum, eſt latentia propriarum condicionum exiſtentium circa ipſos. Nam quanto condiciones hoſtium melius ſciuntur, tanto facilius eligitur via, qualiter debeant impugnari. Quanto vero eorum negotia ſunt magis latencia, magis ignoratur impugnacionis modus. Enumeratis itaque, que reddunt hoſtes potentiores ad retinendum, de facili patere poteſt, quomodo, & qualiter bellantes ſuos hoſtes inuadere debeant. Nam, cum VII. enumeratis modis hoſtes forciores exiſtant, cum modo oppoſito ſe habent, ſunt inuadendi & debellandi. Primo

igitur dux belli per insidias, vel per aliquem alium modum, debet diligenter aduertere, quando hostes sunt dispersi, & tunc debet eos inuadere, quia non habebunt potentiam resistendi. Secundo debet diligenter explorare eorum itinera, vt ad transitus fluuiorum, ad precipicia montium, ad angustias siluarum, ad difficultates paludum & viarum, se hostibus opponat, quia sic facilius deuincentur. Tertio debet aspicere ad ipsum tempus, vt quando sol reuerberat ad oculos hostium, puluis & ventus repercutiunt ad eorum vultus, tunc debet eos inuadere, quia oculis ipsorum disgregatis a sole, & offensis per ventum & puluerem, non bene videre poterunt, qualiter debeant dimicare, propter quod oportebit, eos fugam eligere. Quarto dux excercitus sic se temperare debet, vt tali hora faciat suos commilitones cibum capere, & requiescere, & eorum equos pausare, vt possint inuadere hostes ex improuiso, vt eos inuadant, quando cibum capiant, vel quando dormiant, quando sunt securi, existentes, inermes, vacantes, discalceati, distractis equis, non suspicantes eorum aduentum. Quinto debet diligenter explorare, quando hostes magnam fecerint dietam, sunt fatigati, habent lassatos equos. Tunc enim, si eos inuadere possint, de facili terga vertent. Sexto secundum Vegecium debet dux belli inter suos hostes, & inimicos vel per se, vel per alios, mittere dissensiones, iurgia, commouere eos ad lites vel ad inimiciciam, vt de se inuicem non confidant. Hoc enim facto, si eos inuadat, non habentes fiduciam de se inuicem, de facili conuertentur in fugam. Sed hec cautela, licet ponat eam Vegetius, non multum est applicanda, quia videtur impugnare bonis moribus. Septimo debet diligenter explorare condiciones hostium, qualiter se gerant, & qualiter se habeant, & quis est dux eorum, de quo dux ille magis confidit, quos mores habeat, Nam exploratis condicionibus singulis, facilius inuenietur via, qualiter possit hostes inuadere & debellare.

CAP.

CAP. XV.

Quomodo homines bellatores ſtare debent, ſi velint hoſtes percutere, & quomodo debent eos circumdare, & quomodo debeant declinare a pugna, ſi non ſit bonum, pugnam committere.

Diximus in quodam capitello precedenti, percutiendum eſſe punctim, non ceſim, in quo docuimus milites & etiam pedites. In hoc autem capitello ſpecialem doctrinam volumus dare peditibus, quomodo debeant ſtare, cum volunt hoſtes percutere. Percusſionis autem hoſtium duplex eſt modus. Vnus a remotis vt cum iaciendo iacula vel miſſilia aduerſarios feriunt. Alius autem, cum adeo appropinquant, quod manu ad manum ſe percutiunt. Aliter autem debent ſtare bellatores viri, cum a remotis iacula iaciunt, & aliter, cum ex propinquo ſe feriunt. Nam iaciendo iacula a remotis, debent habere pedes ſiniſtros ante, & dextros retro. Nam cor quod eſt in animali, per principium motus principalius influitur in partem dextram ita, quod pars dextra in animalibus fortior eſt in mouendo, & aptior ad motum. Et quia ſemper mobile innititur alicui mobili, vt ſi mouetur manus, innititur brachio ſtanti, & ſi mouetur brachium, innititur corpori quieſcenti, & ſi mouetur vnus pes, innititur alii pedi non moto, oportet cum mouetur pars dextra, innitatur parti ſiniſtre quieſcenti. Cum ergo pes ſiniſter ante ponitur, & latus dextrum elongatur, optime diſponitur homo ad iaciendum iacula & miſſilia, quia tunc quieſcit in ſiniſtra, & mouetur dextra, vibrans ipſum iaculum, quo vibrato vehemencius mouet acrem, & fortius ferit. Licet enim tam ſecundum partem dextram, quam ſecundum ſiniſtram poſſumus quieſcere & moueri; dextra tamen eſt aptior ad mouendum, & ſiniſtra ad quieſcendum. Ideo percucientes a remotis debemus quieſcere ſuper

ſiniſtrum pedem, ante miſſum, & elongare nos cum dextro, vt poſſumus vehementius impellere & vibrare iaculum. Sed quando manu ad manum pugnatur gladio, debemus e contrario nos habere, ita, quod pedem dextrum teneamus ante, & ſiniſtrum poſt. Nam quia latus dextrum aptius eſt ad motum, ſi illud ſit hoſti propinquius, ratione motus melius poterit ictus effugere. Vehementius enim percutitur, quod ſtat, quam quod mouetur. Rurſus ſi dextrum latus ſit hoſti propinquius, melius poterit ipſum percuterere. Debent enim bellatores, cum ad manum pugnant, tenere pedem ſiniſtrum immobiliter, & cum volunt percutere, cum pede dextro debent ſe antefacere, & cum volunt ictus fugere, cum eodem pede debent ſe retrahere. Sic itaque tenendo pedem ſiniſtrum immobilem, & cum dextro ſe mouendo, poterunt forcius hoſtes percutere, & eorum ictus facilius fugere. Viſo, quomodo debeant ſtare bellantes, ſi debeant hoſtes percutere, videre reſtat, quomodo ſunt hoſtes includendi, & circumdandi. Sciendum ergo, quod raro, aut nunquam ſic circumdandi ſunt hoſtes in pugna publica, quod non pateat eis aliquis aditus fugiendi, quia tunc deſperantes, quaſi neceſſitate compulſi, efficiuntur audaces. Videntes enim, ſe neceſſario morituros, poſſunt multa mala committere in eos, qui contra pugnant. Inde eſt, quod laudatur Scipionis ſententia dicentis, nunquam ſic claudendos eſſe hoſtes, quod non pateat eis aditus fugiendi. Nam fugientibus hoſtibus nullum eſt periculum, & in fuga periclitantur multi, absque nocumenmento perſequentium; ſed, cum vident ſe incluſos, quaſi coacti feriunt includentes. Cum ergo ſupra diximus, formandam eſſe aliquando aciem ſub forma forficulari, vt quando hoſtes ſunt pauci, ad hoc quod melius includantur & circumdentur, non ſic intelligendum eſt, quod ita debeant circumdari, quod nullus pateat aditus abſcidendi, niſi forte adeo eſſent pauci, quod,

quan-

quantumcunque rebellare vellent, nullum possent nocumentum efficere. Ostenso itaque, qualiter debeant stare pugnantes, si velint eos percutere, & quomodo debeant eos circumdare; restat nunc tertio declarare, qualiter sit declinandum a pugna, si non habeatur consilium, nec videatur bonum pugnam committere, eo, quod hostes sunt fortiores, & non possumus illis resistere. In quo, quantum ad presens spectat, debet dux belli duplicem habere cautelam. Prima est quantum ad excercitum proprium. Nam etsi dux consilium habeat, non esse pugnandum, debet hoc paucis patefacere, & non debet illud toti excercitui pandere, ne timentes turpiter fugiant, & ab insequentibus hostibus occidantur. Taliter itaque dux belli se habere debet, quod non credat excercitus, quod velit fugere, sed quod alii velit parare insidias, & quod contra hostes velit acrius dimicare. Secunda cautela adhibenda est ex parte excercitus hostium, Nam sic declinare bellum, vt hoc hostes lateat. Ideo multi tempore nocturno potius, quam diuturno hec agunt, & plures hanc habuere cautelam, quod milites stantes in acie ex opposito hostium prohibent eos, ne pedites videre possint. Propter quod pedestris pugna latenter recedit, qua recedente equites postea melius vitare possint hostium percussiones. Est etiam aduertendum, quod, quando sic declinatur pugna, nunquam acies se diuidere debent; quod si contingeret, hostes insequi fugientes a bello, plures occiderent, & maius nocumentum eis inferrent fugientibus, quam si se veterent & bellarent. Debet etiam dux belli inquirere, vtrum sit aliquis locus propinquus, ad quem posset confugere excercitus, si fugaretur ab hostibus.

CAP. XVI.

Quot sunt genera bellorum, & quot modis deuincende sunt municiones & vrbanitates, & quo

quo tempore melius eſt obſidere ciuitates & caſtra.

Videntur autem omnia bella ad quatuor genera reduci, videlicet ad campeſtre, obſeſſiuum, & defenſiuum & nauale. Bellum autem campeſtre dicitur omnis pugna, facta in terra, ſecundum quam bellantes ad inuicem pugnent absque municione media. Quanto tamen huiusmodi pugna magis eſt a municionibus ſeparata, tanto eſt magis campeſtris & magis periculoſa. Secundum genus pugne dicitur obſeſſiuum, quando bellatores ſunt tante potentie, quod non expectant, vt hoſtes demunicionibus exeuntes vadant bellare ad campum, ſed ipſi municiones inuadunt & obſident illas. Tale genus pugne communi nomine dicitur obſeſſiuum. Eſt autem & tertium genus pugne, quod defenſiuum vocari poteſt. Nam ſicut conuenit, pugnantes aliquos in tanta multitudine eſſe, & tantam habere potentiam, vt non exſpectent hoſtes exire ad campum, ſed ipſas municiones obſideant, & inuadant; ſic conuenit, aliquos eſſe adeo paucos & tam debiles, vt non putent in campo poſſe reſiſtere impugnantibus, ideo ſe in municionibus tenent clauſos, & ſufficit eis, quod poſſint municiones defendere, ſi contingat eas ab hoſtibus inpugnari. Tale genus pugne, quo quis defendit municiones & caſtra, magis dicitur defenſiuum. Nam etſi in omni pugna eſt aliquando inuaſio & defenſio, attamen cum quis obſedit municiones & caſtra, magis dicitur alios inuadere, quam ſe defendere. In pugna ergo obſeſſiua magis eſt inuaſio, quam defenſio. In bello quidem, quo quis ſe tuetur in municionibus & caſtris, magis eſt defenſio ibi, quam inuaſio, imo tale genus pugne dicitur defenſiuum. Quartus autem pugnandi modus dicitur naualis, quia ſicut conuenit, eſſe pugnam in terra, ſic conuenit, eam eſſe in aquis. Ymmo terribiliores & periculoſiores ſunt aquatice, quam terreſtres. Huiusmodi autem pugne, in aquis facte, cuiuscun-

cunque condicionis ille aque exiſtant, nauales dicuntur, Quare cum ſint quatuor genera pugnarum, poſtquam diximus de campeſtri, reſtat dicere de obſeſſiua, defenſiua, & nauali. Conuenit enim aliquando, reges & principes pugnare omnibus hiis modis pugnandi. Nam aliquando committunt campeſtre bellum, aliquando vero obſident municiones & caſtra. Conuenit enim, aliquando aliquos inuadere aliquas municiones eorum, propter quod oportet eos vti pugna defenſiua. Amplius in principatu & regno conuenit, eſſe portas in terras maritimas, iuxta mare ſitas; propter quod, ne portus deſtruantur, & ne fiat per eos introitus hoſtibus per regnum, & ne terre maritime impugnantur, expedit regibus & principibus aliquando ordinare bella naualia. Dicto itaque de bello campeſtri & aliis generibus bellorum dictis, verum quia de campeſtri diffuſius diximus, & de cautelis bellorum multa diſcuſſimus, cum per iam dicta circa omne bellum poſſint cautele haberi, qualiter quis ſe valeat habere, non oportet circa alia bellorum genera diutius immorari. Primo tamen dicemus de bello obſeſſiuo. Viſo ergo, quot ſunt bellorum genera, & dicto, quod poſt bellum campeſtre primo dicendum eſt de pugna obſeſſiua, cum per huiusmodi pugnam contingat optineri & deuinci municiones & vrbanitates, reſtat dicere, quot modis talia deuinci poſſunt. Eſt autem triplex modus optinendi municiones & caſtra, videlicet per ſitim famem & pugnam. Contingit aliquando obſeſſos carere aqua, ideo vel oportet eos ſiti perire, vel municiones reddere. Quare diligenter excogitare debent obſidentes municiones aliquas, vt per aliqua ingenia, vel per aliquam induſtriam poſſint ab obſeſſis accipere aquam. Nam multotiens euenit, aquam a remoto puteo deuiari vſque ad municiones obſeſſas. Quare ſi in illo fontali preſcindatur fiſtula vel meatus, per quem pergit aqua ad obſeſſos, oportebit ipſos pati penuriam aquarum. Rurſus aliquando munici-

cio-

ciones sunt alte, & aqua non peruenit ad eas. Quare sy sit a municionibus remota, debent obsidentes adhibere omnem diligentiam, quomodo possint obsessis prohibere aquam. Secundus modus impugnandi municiones est per famem. Nam sine cibo durare non possumus, imo osidentes, vt municiones non obtineant, passus, vias, & omnia loca, per que possent obsessis victualia deferri, diligenter custodire debent, ne eis alia deferantur. In huiusmodi enim obsessionibus multotiens plus affligit fames, quam gladius. Interest quoque multotiens obsidentes volentes citius optinere municiones, si contingat, eos capere aliquos de obsessis, non occidunt eos, sed per mutilacionem membrorum eos reddunt mutiles, & postea eos remittunt ad municiones obsessas, & vt vna cum aliis comedentes maiorem famem & inopiam inducant. Tertius modus obtinendi municiones est per pugnam, vt cum itur ad muros, & cum per pugnam dimicatur contra obsessos. Sed qualiter & quot modis contingit, talem pugnam committere, in sequenti capittelo ostendetur. Ostenso, quot sunt genera bellorum, & quot modis deuincende sunt municiones obsesse, restat ostendere, quo tempore melius est obsidere ciuitates & castra. Sciendum itaque, quod tempore estiuo, antequam sunt collecta blada, vina & alia, per que subueniri potest inopie obsessorum, est melius obsessiones facere. Illo enim tempore omni modo deuincendi melius deuincentur obsessi. Nam si per sitim sint municiones obtinende, melius est facere obsessionem tempore estiuo eo, quod tunc magis desiccantur aque, nec sic habundant celestes pluuie, vt possit per cisternas subuenire obsessis. Rursus si per famem est castrum vel ciuitas obsessa obtinenda, melius est obsessiones facere estiuo tempore, antequam messes & vina sint recollecta, quia semper tali tempore consueuerunt deficere fructus anni preteriti. Quare si obsessi, non possunt gaudere fructibus anni aduenientis, citius peribunt inopia. Amplius

plius ſi per bellum & pugnam municiones ſunt optinende, melius eſt, hoc agere eſtiuo tempore. Nam tempore hyemali habundant pluuie, replentur foſſe aquis, quare difficilius impugnantur obſeſſi. Rurſus incommoditates temporum magis moleſtant obſidentes, & exiſtentes in campis, quam obſeſſos manentes in domibus. Vel igitur obſeſſiones fiende ſunt tempore eſtiuo, vel ſi per multa tempora obſeſſiones durare debent, ſaltem inchoande ſunt tempore eſtiuo, priusquam blada, vina & alios fructus terre recolligere poſſint obſeſſi.

CAP. XVII.

Quomodo debent ſe munire obſidentes, & quomodo per cuniculos impugnari poſſunt municiones obſeſſe.

Si obſidentes negligentes fuerint, & non diligenter ſe muniant, ab obſeſſis moleſtari poterunt. Nam cum contingat, obſeſſiones per multa aliquando durare tempora, non eſt poſſibile, obſidentes ſemper eque paratos eſſe, imo nec ſunt muniti. Contingit quoque, exiſtentes in caſtris, cum fuerint occupati ſoperno, vel cibo, vel ocio, aut aliqua neceſſitate diſperſi, repente prorumpunt in ipſos, & ſuccendunt tentoria, deſtruunt obſidentium machinas, & aliquando multos ex obſidentibus perimunt. Quare obſidentes, vt tuti permaneant longe a municione obſeſſa, ſaltem per ictum teli vel iaculi debent caſtra metari, & circa ſe facere foſſas, & ponere ibi ligna, & conſtruere propugnacula, vt ſi opidani vellent eos repente inuadere, reſiſtenciam incurrerent. Viſo, quomodo ſe munire debent obſidentes, ne ab opidanis moleſtentur, reſtat oſtendere, quot modis impugnare debent obſeſſos. Eſt autem vnus modus impugnandi communis & publicus, videlicet per baliſtas, arcus, & per lapides emiſſos manibus vel fundis, & etiam per appoſitiones ſcalarum. Nam multum eminentes induſtres

duſtres in pugna, ſi obſeſſi faciant ſe ad muros & ad propugnacula, ſtatim impugnant eos cum baliſtis & arcabus, iaciunt contra ipſos lapides cum manibus vel cum fundis, apponunt ſcalas ad muros, vt, ſi poſſint aſcendere, ſint pares illis. Preter tamen hos modos impugnacionis aptos eſt dare triplicem impugnacionis modum, non omnibus notum. Quorum vnus eſt per cuniculos, alius per machinas, proiicientes lapides magnos, & graues. Tertius eſt per edificia impulſa vſque ad muros municionis obſeſſe. De omnibus itaque hiis impugnationibus dicemus; ſed primo de impugnacione per cuniculos. Primo igitur per cuniculos, & vias ſubterraneas deuincuntur municiones. Debent enim obſidentes priuatim in aliquo loco terram fodere, antequam locum tentorium, vel aliquod aliud edificium apponere debent, ne obſeſſi videre poſſint, vbi incipiant fodere. Ibi enim fodiendo faciendo vias ſubterraneas, ſicut facientes argentum, & inuenientes venas metallorum, debent per vias illas, faciendo eas profundiores, quam ſunt foſſe municionis deuincende, pergere vſque ad muros municionis predicte. Quod ſi hec fieri poſſunt, leue eſt municionem capere. Nam hoc facto, primo debent muros fodere, & ſupponere ibi ligna, ne ſtatim cadant, & cum omnes muros, vel maximam partem murorum ſubfoderint & ſubpunctuauerint, ſi viderint obſidentes, quod per ſolum caſum murorum poſſint municiones optinere, ſtatim debent apponere ignem in lignis, ſuſtinentibus omnes muros vel magnam eorum partem, ſicque cadere & replere foſſas, quo quaſi ex inopinato facto terreantur, vt facilius deuincatur opidum. Eſt autem aduertendum, quod vie ſubterranee ſemper ſunt muniende tabulis, & aliis artificiis, ne cadat terra, & ſuffocentur fodientes. Terra etiam, que extrahitur ex dictis foſſis, eſt taliter abſcondenda, ne videatur ab obſeſſis. Et rurſus, cum ignis apponitur ad ligna, ſuſtinentia murum, apponentes huiuſmodi ignem, &

exi-

existentes cum eo, debent ad locum tutum fugere, ne ledantur per murorum casum. Sic ergo agendum est in impugnatione per cuniculos, cum ad municionem optinendam sufficit sola murorum ruina. Sed cum creditur non sufficere muris existentibus subfossis & subpunctatis, nondum apponendus est ignis, sed procedendum est ad maiores municiones, & ad maiora menia castri vel ciuitatis obsesse, & per similes vias subterraneas est similiter faciendum, sicut factum est circa muros. Rursus procedendum est diuertendo vias subterraneas, vt per eas possit haberi ingressus ad ciuitatem & castrum, que omnia latenter fieri possunt absque eo, quod sensiatur ab obsessis, licet sic sine difficultate & diuturnitate temporis, possint hec omnia fini debito mancipari. Hiis itaque sic peractis, in aliquo tempore nocturno, vel in alio congruo ad pugnandum, per appositionem ignis fieri debet, vt similiter cadant muri & municiones subfosse, & per vias subterraneas fiat ingressus ad castrum vel ad ciuitatem, vel per aditum factum ex muris cadentibus. Reliqui obsidentes aggrediantur castrum vel ciuitatem obsessam, & sic poterunt optinere illam.

CAP. XVIII.

Que & quot sunt genera machinarum, eiicientium lapides, per que impugnari valent municiones obsesse.

Contingit autem pluries, municiones aliquas obsessas super lapides fortissimos esse constructas, vel esse aquis circumdatas, vel habere profundissimas foueas, vel aliquo alio modo esse munitas, vt per cuniculos vel per subterraneas vias nunquam, vel valde de difficili optineri possint. Euenit etiam pluries, vt si municio obsessa per vias subterraneas capi possit, obsessi tamen prouidentes fossionem, impediunt eam, ne per

ipſam fraudulenter & per inſidias deuincantur. Quod quomodo fieri habeat, oſtendemus, cum in ſequentibus capitulis agetur de defenſiua pugna. Cum enim tractauimus, qualiter obſeſſi ſe defendere debeant, declarabitur, qualiter obſeſſi cuniculos & alia machinamenta obſidentium debeant preuidere. Quare ſi modus artis debet imitari naturam, que ſemper faciliori via res ad effectum perducit, cum per cuniculos non ita de facili municiones impugnari poſſint, ſicut per machinas lapidarias, vel per edificia propulſa vſque ad menia caſtri, vel ciuitatis obſeſſe, oportet talibus vti argumentis, vt habeatur intentum. Videndum eſt igitur, quot ſunt genera machinarum lapidariarum, & quot ſunt modi edificiorum, per que municiones impugnantur. Machine autem lapidarie quaſi ad quatuor genera reducuntur. Nam in omni tali machina eſt dare aliquid trahens & eleuans virgam machine, ad quam coniuncta eſt funda, qua lapides iaciuntur. Huiusmodi autem eleuatio virge aliquando fit per contrapondus, aliquando vero non ſufficit contrapondus, ſi vlterius eleuatur virga machine, qua eleuata, iaciuntur lapides. Si ergo per ſolum contrapondus fit huiusmodi proiectio, contrapondus illud vel eſt fixum, vel eſt mobile, vel eſt compoſitum ex vtroque. Dicitur contrapondus fixum eſſe, quando in virga infixa eſt quedam caſſa, immobiliter adherens virge, plena lapidibus & arena, vel plena plumbatis, vel aliquo alio graui corpore. Quod genus vero machine veteres trabucium vocare voluerunt. Inter ceteras autem machinas hic rectius proiicit eo, quod contrapondus ſemper vniformiter trahat, imo ſemper eodem modo impellit, cum hac enim machina quaſi acus percuti poſſit. Nam cum aliquod ſignum percuciendum eſt per ipſam, ſi nimis proicit ad dextram vel ad ſiniſtram, vertenda eſt ad locum, erga quem eiciendus eſt lapis. Si vero nimis alte proicit, vel elonganda eſt machina a ſigno, vel in funda apponendus eſt lapis grauior,

uior, quem non tantum eleuare poterit. Si vero nimis ymo vel nimis baſſo, appropinquanda eſt machina vel alleuiandus eſt lapis. Semper enim ponderandi ſunt lapides machinarum, ſi determinate proiciendum eſt ad aliquod ſignum. Aliud genus machine habet contrapondus, mobiliter adherens circa flagellum vel virgam ipſius machine, vertens ſe circa huiusmodi virgam. Et hoc genus machine Romani pugnatores appellauerunt biffam. Differt autem hec a trabucio. Nam quia contrapondus mobiliter adheret virge machine, licet plus trahat ratione motus, non tamen ſic conformiter trahit, imo plus proicit, non tamen ſic recte & vniformiter percutit. Eſt autem & tertium genus machine, quod tripantum nuncupant, habens vtrumque, contrapondus vnum infixum virge, & aliud ſe mobiliter vertens circa ipſam. Hoc enim ratione ponderis infixi rectius proicit quam biffa, ratione vero ponderis, mobiliter ſe vertentis, longius emittit lapidem, quam traducium. Quartum vero genus machine eſt, quod loco contraponderis habet funes, qui trahuntur per vires & manus hominum. Huiusmodi enim machina non proicit lapides ita magnos, ſicut predicta tria genera machinarum: tamen non oportet tantum tempus apponere ad proporcionandum huiusmodi machinam, ſicut in machinis prefatis, ita quod pluries & ſpiſſius proicit hec machina, quam predicte ille. Ergo, qui obſedit caſtrum vel ciuitatem aliquam, ſi vult eam impugnare per machinas lapidarias, diligenter conſiderare debet, vtrum magis poſſit, municionem illam impugnare proiciendo rectius, vel longius, vel medio modo inter vtrumque, vel etiam magis poſſit obſeſſos offendere proiciendo ſpiſſius & frequentius. Nam prout viderit expedire, omnibus predictis machinis, vel omnibus prefatis modis proiciendi, vel aliquibus, ſiue aliqua predictarum machinarum, caſtrum vel ciuitatem obſeſſam poterit impugnare. Si enim plena noticia habeatur de machinis, de

quibus mensionem fecimus, sufficienter scietur quomodo per machinas lapidarias poterit quelibet municio impugnari. Nam omne genus machine lapidarie vel est aliquid predictorum, vel potest originem sumere ex predictis: Est etiam aduertendum, quod die & nocte per lapidarias machinas impugnare possint municiones obsesse. Tamen, vt videatur, qualiter in nocte percutiunt lapides, emissi a machinis, semper cum lapide alligandus est ignis, vel ticio ignitus. Nam per ticionem ignitum, lapidi alligatum, apparere poterit, qualiter machina proicit, & qualis siue quam ponderosus est lapis in fundo machine imponendus.

CAP. XIX.

Quomodo per edificia lignea, impulsa ad muros ciuitatis vel castri, impugnari possint municiones obsesse

Tangebatur autem supra, tres modos impugnandi municiones obsessas, quorum vnus erat per cuniculos, alius per machinas lapidarias, tertius vero per edificia lignea, impulsa ad muros municionis. Dicto ergo de impugnatione facta per cuniculos, & per lapidarias machinas, restat dicere de impugnacione, quam fieri contingit per edificia impulsa ad menia castri vel ciuitatis obsesse. Huiusmodi autem edificia quasi ad quatuor genera reducuntur, videlicet ad arietes, vineas, turres, & musculos. Vocatur autem aries, testudo quedam lignorum, que ne igne comburatur, crudis coriis cooperitur. Sub hac enim testudine sic cooperta coriis, & fortiter contestata ne lapidibus obruatur intrinsecus, potior trabs, cuius caput ferro vestitur, appellatur aries quia ratione ferri ibi appositi, durissimum habet frontem ad percutiendum. Huiusmodi enim trabs funibus vel cathenis ferreis alligatur ad testudinem, factam ex lignis, & ad modum arietis se subtrahit, & postea for-

fortiter muros municionis obſeſſe percutit & diſrumpit. Cum enim per huiusmodi trabem ſic ferratam, multis ictibus percuſſus eſt murus ita, quod iam lapides, exiſtentes in ipſo, incipiunt commoueri, in capite eius infigitur quoddam ferrum, retortum ad modum falcis, per quod lapides commoti & conquaſſati euelluntur a muro vt citius perforetur. Valet autem edificium ad impugnandum municionem aliquam, dato, quod quis non poſſit pertingere vſque ad muros. Nam quia huiusmodi trabs habens caput ſic ferratum retrahitur, & impingitur, poterit percuti murus municionis obſeſſe, dato, quod textura illa, ſub qua homines impingentes trabem, non pertingat vſque ad muros. Eſt autem huiusmodi textura, ſub qua ſunt homines impingentes arietem ſiue trabem, optime munienda, ne viui illi ſagittis vel lapidibus vel aliquo alio modo ex aliqua alia parte poſſint offendi. Aliud autem edificium eſt ad impugnandum municiones obſeſſas, quod vocant vineam. Quidam autem huiusmodi edificium cautum nominant. Fit autem, cum tabule groſſe & fortes optime colliguntur & duplicantur, ſiue ſit duplex tabulatum, vel lapides emiſſi poſſint tale edificium frangere, cooperitur etiam crudis coriis, ne ab igne poſſit offendi. Conſueuit autem tale edificium fieri in latitudine octo pedum, & in longitudine XVI. in altitudine vero tot pedum, quod ibi homines competenter poſſint exiſtere. Huiusmodi edificium tante quantitatis, vel etiam maioris, eſt optime vndique muniendum & impellendum vſque ad muros municionis obſeſſe; ſub quo homines exiſtentes fodiunt muros illos. Eſt autem edificium vtile, cum talis eſt municio obſeſſa, quod vſque ad muros eius poteſt tale edificium impelli. Tertium vero genus edificiorum ſunt turres vel caſtra. Nam ſi per arietes, nec per vineas capi poſſint municiones obſeſſe, accipienda eſt menſura murorum municionis illius, & ſecundum huiusmodi menſuram, vel etiam ſecundum altiorem, conſtituende

sunt lignee turres vel castra, que tegenda sunt crudis coriis, ne succedantur ab igne. Cum hiis quidem ligneis castris dupliciter impugnantur municiones obsesse; primo iaciendo lapides. Nam si altitudo castrorum excecedit altitudinem murorum, & etiam curricularium & propugnaculorum existentium in ipsis, sicut se habebunt existentes in castris ad existentes in municionibus quodammodo, sicut existentes ad eos, qui sunt in basso vel in terrra. Rursus in huiusmodi castris ordinantur pontes cadentes, per quos itur ad muros municionis. Altitudo autem murorum potest accipi primo per vmbram. Nam leue filum, cuius nota sit quantitas, ligandum est ad sagittam, & proiciendum vsque ad muros municionis secundum quantitatem, cuius sciri poterit quantitas vmbre. In illa ergo hora, in qua accipitur vmbre quantitas, erigendum est aliquod lignum in altum faciens tantam vmbram, & secundum altitudinem illius ligni erit altitudo murorum. Verum quia non semper sol splendet (&) facit vmbram, sed aliquando tegitur nubibus, dabimus alium modum accipiendi altitudinem cuiuslibet edificii, & quorumcunque murorum. Accipiatur enim lignum aliquod, vel aliqua tabula ad quantitatem alicuius hominis, & ille homo, ad cuius quantitatem accepta est tabula illa, iaciat se ad terram, & ad pedes eius ponatur tabula predicta, & aspiciat per summitatem illius tabule, & si visus eius protenditur magis alte, quam sit edificium, cuius altitudo est sumenda, trahat se magis prope edificium illud. Si vero visus magis basse protendatur cum tabula sic existente ad pepedes &c. iaciens in terra elonget se ab edificio predicto, donec per summitatem tabule punctualiter videat sumitatem eius. Nam vt probari potest geometrice, quanta erit distantia a capite sic iacentis vsque ad edificium illud, tanta erit edificii altitudo. Possint etiam mensure talium altitudinum accipi per regulas traditas in astrolabio & quadrante, sed de hoc non sit nobis cure: sufficiat

ciat autem ad presens de talibus tanta dicere, quanta sufficiunt ad propositum. Quartum genus edificiorum vocant musculos. Sunt enim musculi quedam edificia parua, sub quibus teguntur homines trahentes vel impellentes castra vsque ad menia municionis obsesse. Possunt autem per huiusmodi musculos quasi continuari castra vsque ad municionem obsessam. Quod cum factum est, tunc impugnanda est municio. Nam in castro sic edificato ad municionem optinendam, est tria considerare, videlicet partem superiorem excedentem muros, & turriculas municionis capiendo, partem quasi mediam, ad quam applicantur pontes cadendi super muros illos, & infimam, ad quam applicantur musculi, sub quibus sunt homines trahentes vel impellentes castrum. Cum ergo castrum illud magis appropinquat, quantum debuit, ad muros municionis obsesse, illi, qui sunt in parte superiori, debent proicere lapides, & fugare eos, qui sunt in muris; qui vero sunt in parte intermedia, debent pontes dimittere & inuadere muros. Sed, qui sunt in parte infima & sub musculis, si possint ad muros accedere & eos subfoderint, etiam & sic obsidentes intrare possent obsessam municionem. Sunt etiam baliste, arcus, machine lapidarie & omnia talia congreganda, vt quando hec fienda sunt, tunc municionem percutiant. Quanto enim pluribus modis similis municio impugnatur, tanto plus terrentur obsessi & citius capitur.

CAP. XX.

Qualiter edificanda sunt castra & ciuitates, ne per pugnam ab obsidentibus faciliter deuincantur.

Postquam diximus de bello campestri & docuimus de bello obsessiuo, docentes obsidentes municiones & castra qualiter debeant, ea obsidere & debellare in parte

ista demonstrare volumus de bello defensiuo, & postquam docuimus obsidentes, qualiter debeant inuadere obsessos, volumus docere ipsos obsessos, qualiter se debeant defendere ab obsidentibus. Primum autem, quod maxime facit, ne obsessa ciuitas deuincatur ab obsidentibus, &, quod maxime facit, vt obsessi faciliter possint defendere municionem aliquam, est scire, qualiter edificanda sunt castra & ciuitates & municiones cetere, ne faciliter impugnentur. Sunt autem quinque in huiusmodi edificatione, per que municiones fortiores existunt & difficiliores ad capiendum. Primo quidem fortificantur municiones & sunt difficiliores ad bellandum ex natura loci; secundo ex angularitate murorum; tertio ex terratis; quarto ex propugnaculis; quinto ex fossatis. Ex natura quidem loci vrbes & municiones fortiores existunt, si edite in proruptis rupibus, vel in locis eminentibus & inaccessibilibus; aut si mare sit circa eas, aut paludes, vel flumina circumdant ipsas. A principio ergo, quando edificande sunt municiones defendende ab exteriori pugna, & ab obsidentibus, consideranda est natura loci, vt in tali loco edificentur, quo ex ipso situ forciores existant; vel, si non vacat, municiones de nouo edificare & aliqui timentes iram dominorum aut Deum metuentes furorem populi volunt se tueri in municione aliqua, si assit facultas, querenda est municio talis, que ex ipsa natura loci fortior existat & difficilior ad impugnandum. Secundo vrbes & municiones sunt difficiliores ad impugnandum ex angularitate murorum. Nam si municio muros habeat angulares, si contingat, obsidentes ad muros accedere, vt municionem deuinçant, obsessi facilius se tuentur ab illis, & leuius offendunt obsidentes. Nam proter angularitatem murorum non solum ex parte anteriori, sed etiam a tergo & quasi ex parte posteriori percutiunt impugnantes municionem illam. Fiendi itaque sunt muri angulares, vt municio faciliter defendi possit. Tertium, quod

quod reddit municionem difficiliorem ad capiendum, debent esse terrata vel muri ex terra facti. Nam in municione fienda non solum est querenda bonitas situs & angularitas murorum, si circa municionem illam edificandi sunt duo muri, aliqualiter distantes, & intra spatium, quod intra illos duos muros includitur, ponenda est terra, que fodienda est de fossis, que fienda sunt circa municionem illam, vel est aliunde terra apportanda, & ponenda in illo spatio intermedio. Est igitur huiusmodi terra intra tale spacium posita ita densanda, vt ad inuicem conglutinetur & efficiatur quasi murus. Conuenit enim, etiam turres ex terra facere, si bene condensetur, propter quod non est inconueniens, constituere huiusmodi muros ex terra densata. Valet quidem constitucio talium murorum ad defendendam municionem, ne deuincatur per machinas lapidarias. Nam dato, quod per huiusmodi machinas totus murus exterior rueret, murus constitutus ex terra quasi absque lesione susciperet ictus machinarum, quia, cum lapis eiectus a machina perueniret ad huiusmodi murum, propter molliciem eius cederet terra, & reciperet lapidem illum, quasi ac sibi esset fabricatus. Expertum est enim, muros, ex terra densata constitutos, minus ledi a machinis lapidariis, quam muri alii. Debet quidem talis murus ex terra factus esse grossus, quia tunc quasi absque lesione suscipiet lapides emissos a machinis. Quartum autem, quod facit municiones forciores, sunt turres & propugnacula. Nam in ipsis muris constituende sunt turres & propugnacula, vt municio leuius defendi possit. Maxime autem ante portam quamlibet ipsius municionis, de qua timetur, ne ad eam accedant obsidentes, fiende sunt turres & propugnacula, & ante huiusmodi portam ponenda est catheracta, pendens anulis ferreis, vndique etiam ferrata, & prohibens ingressum hostium & incendium ignis. Nam si obsidentes vellent portas municionis succendere, catheracta

que est ante portas, prohibebit eos. Rursus circa catheractam debet esse murus perforatus recipiens ipsam; per quem locum poterunt proiici lapides & emitti poterit aqua ad extinguendum ignem, si contingit ipsum ab obsidentibus esse appositum. Quintum, quod facit municiones magis inaccessibiles & forciores, est latitudo & profunditas fossarum, que, si assit facultas, replende sunt aquis. Hiis ergo modis sunt municiones difficiliores ad capiendum. Ideo videndum est a principio ab hiis, qui volunt municiones defendere ab obsidentibus eas, vt in municionibus illis omnia hec vel plura ex istis concurrant ad hoc, quod facilius defendantur.

CAP. XXI.

Quomodo muniende sunt ciuitates & castra & vniuersaliter omnes municiones, vt ab obsidentibus difficilius capiantur.

Non sufficit scire, quomodo edificande sunt municiones, & quales muros debent habere, & quomodo debent esse site, nisi sciatur, quomodo sunt muniende, vt non de facili deuinci possint. Dicebatur autem supra, triplicem esse modum deuincendi municiones, videlicet per famem, sitim & pugnam. Sic ergo muniende sunt municiones obsesse, ne aliquo horum modorum possint deuinci. Ne enim fame deuincantur tria sunt attendenda, videlicet, vt frumenta, hauena, & cibaria singula, & vniuersa pabula, que possint deseruire ad victum, deportanda sunt ad municionem obsessam, priusquam obsideatur ab extraneis, & si timetur de obsessione ante recollectionem frugum, ex aliis locis propinquis sunt alia acquirenda, ne municio obsessa ob carentiam victus possit pati defectum. Si quid autem non potest ad municionem deferri, vel si deferretur, non multum vtile esset castro vel ciuitati obsesse, totum est igni comburendum, ne obsidentes superuenientes inde

inde capiant emolumentum, & ex bonis propriis municionis obſeſſe impugnent ipſam. Si autem timeatur de diuturnitate temporis, vt quod per multa tempora debeat obſeſſio perdurare, maxime munienda eſt ciuitas vel caſtrum obſeſſum milio. Nam milium inter cetera minus putreſcit, & plus durare perhibetur. Copia etiam carnium ſalſarum non eſt pretermittenda. Salis etiam multitudo multum eſt expediens municioni obſeſſe eo, quod ad multa ſit vtilis. Secundo in muniendo caſtrum vel ciuitatem aliquam obſidendam, quoniam ad victum non ſolum attendendum eſt, vt magna copia victualium deferatur ad municionem obſeſſam, ſed etiam, vt victualia delata per temporatos elongatores per familias diſpenſentur. Vnde ſi fieri poſſit, ſi ciuitas obſessa eſſet magna & non poſſet aliunde recuperare victum, in qualibet contata ciuitatis victualia reduci deberent ad horrea publica, & parce & temperate per viros prouidos diſpenſare. Sed ſi municio obſeſſa modici eſſet ambitus, hoc efficere non eſſet difficile; quia etiam nihil prodeſt preparatio victualium, niſi parce & cum temperamento diſpenſetur. Tertio eſt in talibus attendendum, vt perſone debiles & inutiles, non valentes proficere ad defenſionem municionis obſeſſe, ſi commode fieri poteſt, ſunt ad partes alias transmittende. Tales enim conſumunt & comedunt, que debent bellatoribus erogari. Rurſus ſi timeatur de inopia victualium, beſtie, que ſunt in municione obſeſſa, a quibus obſeſſi poſſunt commode abſtinere, ſunt occidende & comedende, vel ſaliende, ſi eſui ſint apte, ymo in tali caſu commedenda ſunt multa, que ad eſum vetat communis vſus. Viſo, quomodo municio obſeſſa vitat, ne capiatur fame, de leui videri poteſt, qualiter ſe debeant habere obſeſſi, ne deuincantur per ſitim. Nam antequam aliqui eos obſideant, prouidere debent, quod ad talem municionem pergant, in qua ſit aquarum copia. Quod ſi vero ibi non ſint fontes, fodiendi ſunt putei; quod ſi etiam

locus

locus ſit ſiccus, vt ibi nec putei fieri poſſint, fiende ſunt ciſterne, vt celeſtium aquarum ſuperhabundancia ſuppleat aliarum aquarum defectum. Quod ſi municio obſeſſa ſit circa mare, & non poſſit habere aquam niſi ſalſam eo, quod dulcem aquam habeat diſtantem, ad quam capiendam prohibent obſidentes, tunc mediante cera poterit altificari. Nam ſecundum philoſophum quidquid ex aqua ſalſa per poros cere pertranſit, totum in olce (dulce) conuertitur. Deferendum eſt etiam ad municionem obſidendam in magna copia acetum & vinum, ne ex potu ſolius aque bellatores adeo debilitentur, quod non poſſint viriliter reſiſtere obſidentibus. Oſtenſo, que ſunt remedia adhibenda contra famem & ſitim, per que obſeſſa municio deuinci conſueuit, reſtat videre, que ſunt remedia adhibenda, ne per pugnam obſeſſa municio deuincatur. Debent ergo ad ciuitatem vel ad caſtrum obſeſſum deportari in magna copia ſulphur, pix, oleum ad comburendum machinas hoſtium. Ferra etiam & ligna ſunt ad municionem obſeſſam in debita habundancia deportanda, vt per ligna haſte ſagittarum & telorum, & etiam edificia neceſſaria municioni fieri poſſint, per ferra vero reparari poſſint arma, & fieri tela, & ſagitte, & alia, per que impugnari valeant obſidentes. Eſt etiam multitudo ferri vtilis ipſis obſeſſis, ad deſtruendam edificia & machinas ipſorum obſidencium, vt in ſequenti capitello apparebit. Saxa etiam torrencium in magna copia ſunt ad municionem deportanda, quia talia ſunt ſolidiora & aptiora ad iaciendum. Ex eis ergo replendi ſunt muri & turres municionis obſeſſe. Calcem etiam puluerizatam deferenda eſt ad ipſam municionem in magna habundantia, & ex ea replenda ſunt multa vaſa, vt, cum obſidentes appropinquant muris municionis, iacienda vaſa illa, quibus fractis, puluis illius ſubintrat obſidentium oculos & adeo offendunt eos, vt quaſi ceci & non videntes percuti poſſunt. Neruorum etiam copia & funium,

vtilis

vtilis eſt municioni obſeſſe propter baliſtas & arcus, & alia preparanda. quod ſi nerui deficiant, loco etiam eorum adhiberi poterint comes equini, vel capilli mulierum. Recitat enim Vegecius, quod cum Romanis copia neruorum defeciſſet, & non poſſent machinas reparare ad reſiſtendum bellatoribus, mulieres Romane, abſciſſis crinibus, eos ſuis maritis tradiderunt, per quos machinis reparatis aduerſariorum impetum reppulerunt. Maluerunt enim, vt ayt Vegecius, ille pudiciſſime femine cum maritis conuiuere deformato capite, quam ſervire hoſtibus, integris crinibus. Sunt etiam ad municiones deportanda cornua beſtiarum ad reformandum baliſtas & arcus, & coria cruda ad tegendum machinas & alia edificia, ne ab aduerſariis per incendia conburantur. Hiis enim cautelis, & per ea, que dicta ſunt, reſiſtere poterunt obſeſſi, ne eorum municiones per pugnam ab obſidentibus deuincantur.

CAP. XXII.

Quomodo reſiſtendum eſt impugnacioni facte per cuniculos, & qualiter machinis lapidariis & aliis edificiis obſeſſi debeant obuiare.

Enumerabantur ſupra tres ſpeciales modi impugnandi municiones obſeſſas, quorum vnus erat per cuniculos & vias ſubterraneas; alius per machinas lapidarias; & tertius per edificia impulſa vſque ad menia caſtri, vel ciuitatis obſeſſe. Quare ſi docuimus per prefatos modos obſidentes inuadere obſeſſos, reliquum eſt, vt declaremus, obſeſſi quomodo a predictis impugnacionibus ſe defendere debeant & valeant. Primo ergo dicemus de remediis contra impugnationem per cuniculos. Poſſumus autem circa hoc duo remedia aſſignare: vnum eſt per profunditatem foſſarum, repletarum aquis. Nam ſi circa municionem obſeſſam ſint profunde fouee, aquis replete, impediuntur obſidentes, ne obſeſſos

ſeſſos impugnare poſſint per cuniculos & vias ſubterraneas. Dato tamen, quod foſſe aquis repleri non poſſint, ſi ſint valde profunde & perample, ſufficienter impediunt ſubterraneas vias, quia hoc genere impugnacionis non poſſunt municiones obſeſſe, niſi dicte vie ſubterrane profundiores ſunt foſſis. Municio ergo defendenda vel eſt ſupra firmam petram, & tunc propter duritiem lapidis non eſt facile per cuniculos debellare eam; vel eſt ſupra petram, de facili dolabilem, aut ſupra terram, que de facili fodi poteſt, & tunc per profundas foueas eſt fortificanda municio, ne per cuniculos devincatur. Secundum remedium contra cuniculos & vias ſubterraneas eſt, facere municionem obſeſſam, viam aliam, correſpondentem vie ſubterranee, facte ab obſidentibus. Si enim obſeſſa municio foueas non habet profundas, nec habet eas repletas aquis, propter quod timetur de impugnatione per cuniculos, diligenter conſiderare debent obſeſſi, vtrum ab aliqua parte viderint terram deferri, & vtrum per aliqua ſigna cognoſcere poſſint, obſidentes inchoare cuniculos, quod cum perceperint, ſtatim debent viam aliam ſubterraneam facere, correſpondentem illis cuniculis, ita tamen, quod via illa pendeat contra obſidentes, & tunc per viam ſic perforatam, cuius partem fecerunt obſidentes, & partem obſeſſi, debet eſſe bellum continuum, ne obſidentes per viam illam municionem ingrediantur. Debent etiam obſeſſi iuxta inchoationem vie ſubterranee habere magnas tinas, plenas aquis vel etiam vrinis, & cum bellant contra obſidentes, debent ſe fingere fugere, & exire foveam illam. Quo facto totam aquam aut vrinam congregatam effundere debent obſidentes exiſtentes in cuniculis. Temporibus enim noſtris multi obſidencium periclitati ſunt. Quare ſi hoc aliquando factum fuit, non debemus reputare impoſſibile, ne iterum fieri poſſit. Viſo, quomodo reſiſtendum ſit debellacioni facte per cuniculos, reſtat videre, quomodo obſeſſi debeant

beant impugnacioni obuiare per lapidarias machinas; contra has autem quadrupliciter ſubuenitur. Primo, quia aliquando ſubito ex municione obſeſſa exit magna multitudo armatorum, & inuadunt machinam. & priuſquam excercitus poſſit ſuccurrere ad defendendum eam, ſuccendunt ipſam. Secundo, ſi municionem ipſam obſeſſi exire non audeant, tunc clam de nocte per muros aliqui emittuntur, qui abſconſe ignem portantes absque eo, quod alii percipiant, machinam incendunt, quo peracto trahuntur ſuperius per funes ad municionem ipſam. Eſt autem & tertius modus deſtruendi machinas faciendo ſagittas, quas appellant colos. Eſt autem ſagitta illa in medio quaſi habens quandam caueam, in qua ponitur ignis fortis, factus ex oleo, ſulphure, pice & reſina, quem ignem ad ſtupa conuolutum bellatores antiqui incendarium vocauerunt. Huiusmodi autem ſagitta per baliſtam forte emiſſa vſque ad machinam, multociens ſuccendit ipſam. Quarto etiam modo reſiſtitur lapidariis machinis faciendo alias machinas, interius percutiendo eas & deſtruendo ipſas. Inter cetera autem ſummum remedium eſt, poſtquam conſtituta eſt machina, interius facere ei fundam ex cathenulis ferreis vel teſtam ex ferro, & iuxta machinam illam conſtruere fabricam, in qua aliquod magnum ferrum bene igniatur, quod bene ignitum apponatur ſuper fundam, ex ferro textam, & proiciatur ad machinam aliam vel ad quodcunque edificium ligneum. Contra hoc enim coria cruda non valent, ligna non habent reſiſtentiam, omne enim edificium ligneum hoc modo comburi poteſt. Sunt autem & multe alie particulares cautele, valentes ad defenſionem contra lapidarias machinas: ſed quia talia complete ſub narracione non cadunt, prudentis iudicio relinquantur. Oſtenſo, quomodo reſiſtendum eſt cuniculis & machinis lapidariis; reliquum eſt declarare, quomodo obuiari debeat edificiis aliis impulſis ad menia municionis obſeſſe.

Ad

Ad hoc autem valent, quecunque diximus circa resistenciam machinarum. Nam sicut destrui possunt lapidarie machine per improuisum insultum obsessorum, & per homines de nocte latenter emissos, & per sagittas, deferentes ignem fortem, per machinas emittentes lapides, vel per fundas, ex ferro textas, iacientes ignita ferra; sic omnibus hiis modis possunt huiusmodi edificia lignea impugnari. Ymmo expertum est contra huiusmodi edificia maxime valere, si per aliquas machinas vel aliquo alio modo ferra ignita iaciantur in ipsam. Possumus tamen specialia remedia contra huiusmodi edificia assignare, vt contra arietem constituatur lupus. Dicebatur enim, trabem ferratam, percutientem muros municionis obsesse, propter duritiem capitis vocari arietem. Contra hanc autem constituitur quoddam ferrum curuum, dentatum dentibus fortissimis & acutis, & ligatum funibus, cum quo capitur caput arietis, vel caput illius trabis ferrate, quo capto (perditus) omnino aries est, ad superiora trahitur, vel ita suspenditur, vt magis nocere non possit. Vnde est bellatores antiqui huiusmodi ferrum vocauerunt lupum, eo quod acutis dentibus arietem caperet. Contra castra vero multum valent ferra ignita; adhibetur tamen speciale remedium contra ipsa, quia sunt cuniculi & vie subterranee & clam subfoditur terra, vnde debet transire castrum, qua subfossa & castro demerso in ipsam propter magnitudinem ponderis, oportet castrum in terra construi eo, quod non possit ex fouea integrum remoueri. Contra vineas vero, & musculos etiam, multum valent ignita ferra, quod si contingeret per huiusmodi edificia perforata muros municionis obsesse cum de hoc dubitatur, antequam hoc fiat, iuxta illos muros eriguntur edificia lignea, vel si sit possibile, edificantur muri lapidei, vt si contingeret, obsidentes intrare municionem, retinentur clausi intra muros illos, non valentes se defendere, propter murorum inclusionem lapidibus obruuntur.

Est

Eſt tamen diligenter aduertendum, quod aliquando obſidentes fingunt ſe fugere, & ſic per inſidias & verſucias, inuadunt municionem obſeſſam. Imo non ſtatim poſt receſſum hoſtium ſunt municiones dimittende, & eſt cuſtodia negligenda. Immo inueſtigande ſunt condiciones hoſtium, vt quod palam habere non poterunt, per inſidias & aſtucias optinere non poſſint.

CAP. XXIII.

Qualiter conſtruenda eſt nauis, & qualiter conſtituendum eſt nauale bellum, & ad quid bella ſingula ordinantur.

In hoc vltimo capitello tractare volumus aliqua de naualibello. Non tamen oportet circa hoc tantum inſiſtere, quia multa, que dicta ſunt in aliis generibus bellorum, applicari poterint ad naualem pugnam. Circa hoc autem pugnandi genus primo videndum eſt, qualiter fabricanda ſit nauis. Nam nauis, male fabricata, ex momodica impugnacione hoſtium de facili perit. Sciendum ergo, quod ſecundum Vegecium ligna, ex quibus conſtituenda eſt nauis, non ſunt quolibet tempore inſcidenda. Nam tempore Martii & Aprilis, in quo humor incipit in arboribus habundare, non eſt bonum, incidere arbores, ex quibus fabricanda eſt nauis, Sed tempore Julii & Auguſti vel etiam aliquo alio tempore, in quo humor arborum deſiccetur, ad huiusmodi fabricam incidenda ſunt ligna. Rurſus non ſtatim, inciſis lignis, eſt ex eis fabricanda nauis, ſed primo arbores ſunt diuidende per tabulas, & per aliquod tempus dimittende, vt deſiccari poſſint. Nam ſi ex lignis viridibus conſtituatur nauis, quando naturalis eorum humor exſpirauit, contrahuntur ligna, & faciunt in nauibus rimas, quibus in nauibus quaſi nihil periculoſius eſſe poteſt. Durum eſt enim intendere ſimul bellis naualibus, & exponere ſe periculis, ne puppis per rimas naufragium

patiatur. Viſo, qualiter incidenda ſunt ligna, & q
modo reſeruanda, vt ex eis nauis debite poſſit fabrica
videre reſtat, quomodo in naui, bene fabricata, comn
tenda ſunt bella. Habet autem nauale bellum, qu
tum ad aliqua, ſimilem modum bellandi cum pu
terreſtri. Nam ſicut in terreſtri pugna oportet pugn
tes bene armatos eſſe, & bene ſcire, ſe a percuſſioni
protegere, & hoſtibus vulnera infligere, ſic & hec re
runtur in bello nauali. Ymmo in huiusmodi pu
oportet homines melius eſſe armatos, quam in terre
quia, cum pugnatores marini quaſi fixi ſtent, & m
cum ſe moueant, melius ſuſtinere poſſunt armo
pondera, quare eorum armatura grauior eſſe de
Poſſumus tamen, quantum ad preſens, decem enu
rare, per que marini pugnatores hoſtes impugnare
bent. Primum eſt ignis, quem incendarium voc
Expedit enim, eis, habere multa vaſa plena pice,
phure, reſina, oleo, que omnia ſunt cum ſtupa con
venda. Hec enim vaſa, ſic repleta, ſuccendenda, &
icienda ad nauem hoſtium, ex qua proiectione vas f
gitur, & illud incendarium comburitur, & ſuccendit
vem. Sunt enim multa talia in naui proicienda, v
multis partibus poſſit nauis ſuccendi, & cum proic
talia, tunc etiam contra nautas committendum eſt
rum bellum, ne poſſint ſuccurrere ad extinguen
ignem. Secundo ad committendum marinum bel
multum valent inſidie. Nam ſicut in terra ponuntu
ſidie militum, qui ex improuiſo inuadentes hoſte
terrent & de facili vincunt: ſic in mari poſt aliqua
ſulas fuerint inſidie, vt marini pugnantes ex impro
irruentes in hoſtes, eos facilius vincant. Tertio eſt
marinum bellum attendendum, vt ſemper pugna
nauem ſuam faciant circa profundum aquarum, &
vem hoſtium impingant ad littus, quia pugnandi i
tum perdunt, qui detrahuntur ad terram. Quarto a
borem nauis ſuſpendendum eſt lignum quoddam

gum, ex vtraque parte ferratum, quod ad percutiendum tam nauem, quam nautas se habeat, quasi aries, cum quo contunduntur muri ciuitatis obsesse. Debet autem sic ordinari lignum illud, vt ligamentum retinens ipsum possit deprimi & eleuari, quia hoc facto maior habebitur commoditas, vt cum ipso percuti possit tam nauis, quam & existentes in ipsa. Quinto in bello nauali habenda est copia amplarum sagittarum, cum quibus scindenda sunt vela hostium. Nam velis eorum perforatis, & non valentibus retinere ventum, non tantum possint ipsi hostes impetum habere pugnandi, nec etiam possunt sic faciliter recedere, si velint declinare a bello. Sexto consueuerunt naute habere quoddam ferrum curuatum, ad modum falcis bene incidens, quod applicatum ad funes, retinentes vela, statim incidit ipsa, velis autem sic incisis & cadentibus ab arbore subtrahitur ab hostibus, ne sic pugnare possint, quia per talem incisionem velorum redditur nauis pigrior, & quodammodo inutilior ab pugnandum. Septimo consueuerunt naute habere vncos ferreos fortes, vt cum vident, se esse captos ab hostibus, cum illis vncis capiunt eorum naues, vt non permittant eos discedere. Octauo in nauali bello est hec cautela adhibenda seu attendenda, vt calce alba puluerisata habeant multa vasa plena, que [illegible] sunt proicienda in naues hostium, quibus ex impetu proiectis & fractis, eleuatur puluis, vt supra diximus in bello terrestri, & subintrat hostium oculos, & offendit eos, vt quasi videre non possint, quod in [illegible] nauali est valde periculosum, quia ex omni parte [illegible]antes in tali bello vident, sibi imminere mortem. [illegible]re si oculi bellancium in tali pugna ex puluere cal[illegible] offenduntur, vt videre non possint, de facili vel [illegible]untur ab hostibus, vel submerguntur in aquis. [illegible] cautela est, habere multa vasa plena ex molli sa[illegible], que cum impetu proicienda sunt ad naues ho[illegible], & hoc super loca illa, in quibus contingit, hostes

 ex-

existere ad defendendum naues. Nam vasis illis confractis in huiusmodi locis, loca illa per saponem liquidum redduntur adeo lubrica, quod imponentes pedes statim labuntur in aquis. Est etiam & decima cautela quasi periculosior omnibus. Nam reperiuntur marinarii, qui diu sub aquis durare possunt. Naute igitur debent se serio ordinare contra nauem hostium, & clam post tergum debent aliquem emittere, diu valentem durare sub aquis, qui, accepto penetrali, sub aquis debet accedere ad hostilem nauem, & eam in fundo perforare, faciendo ibi plurima perforamina, que foramina ab hostibus percipi non poterunt, cum per ipsa ceperit habundare aqua, qua habundante & hostes & nauem periclitabit. Sunt autem in bello nauali alia obseruanda, vt sit ibi copia lapidum & etiam ferrorum acutorum, que quasi lapides iaciunt, cum quibus hostes nimium offenduntur. Sed cetera talia, quia nimis particularia sunt, sub narrationem non cadunt. Sufficiant ergo cautele, quas tradidimus erga nauale bellum. Ostenso, qualiter incidenda sunt ligna, ex quibus construenda est nauis, & quomodo bellandum est in nauali bello: reliquum est, vt declaremus, ad quid omnia bella ordinantur. Sciendum igitur, quod secundum philosophum non bellamus, vt bellemus, sed vt pacem habeamus. Potest ergo bellum ex nequitia hominum, & ex cupiditate eorum ordinari ad lucrum, vel ad aliquam aliam satisfactionem ire, vel concupiscencie. Bella tamen, si iuste gerantur & debite fiant, ordinanda sunt ad pacem, & ad quietem hominum, & ad commune bonum. Nam sic se debent habere bella in societate hominum, sicut se habent potiones & fleubotomie in corpore humano. Nam sicut in humano corpore sunt plures humores, sic in conuersacione & societate hominum est dare plures personas & plures homines, & sicut, quam diu homines sunt equati in corpore, & non est ibi humorum excessus, non indigemus nec potione nec flebotomia: sic

quam diu homines debite ſe habent, & vnus non iniuriatur alteri, non ſunt committenda bella. Quare ſicut per fleubotomiam & potionem ſuperfluitas humorum eſt eicienda, per quam turbatur ſanitas corporis, ſic per bella ſunt hoſtes conculcandi & occidendi, per quos impeditur commune bonum, & pax ciuium eorum, qui ſunt in regno. Suppoſito ergo, reges & principes habere iuſtum bellum, & hoſtes eorum iniuſte turbare pacem & commune bonum, non eſt inconueniens, docere eos omnia genera bellandi & omnem modum, per quem poſſint ſuos hoſtes vincere, quod totum ordinare debent ad commune bonum & ad pacem ciuium. Nam & ſi intendant commune bonum & pacem ciuium, merebuntur pacem illam eternam, quam Deus ipſe ſuis promiſit fidelibus, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

DIPLOMATA VIGINTI ET QVOD EXCVRRIT PLERAQVE CVM SIGILLIS SVIS.

NVM. I.

Inſcript. Original. HENRICI tercii Imperat. ſuper caſtro Scovvenburc. ſiluis, aquis & villis 1044.




In nomine ſummae & indiuiduae Trinitatis: HEINRICVS diuina fauente clemencia Romanorum Rex auguſtus: Notum eſſe volumus omnibus noſtris tam preſentibus quam futuri temporis fidelibus; quantum nos dilecto propinquo noſtro Ludovico videlicet comiti conceſſimus edificare

castellum Scovvonburg in confinio Loibae siluae cuius partem conplurimam quam eidem comiti ad id negotium pius genitor noster regia auctoritate donauit, & nos similiter illi donauimus. Sed & ipse a Gunthero quodam & Bisone aliisque liberis viris praedia nonnulla inibi villulas siluaticas quarum vna quidem Aldinberc. alia Reginherisbrunno dicitur, pretio comparauit. nec non saltum innouans ad campestria viculos per se statuta. atque ex his omnibus seu nostra donatione vel sua comparatione circumquaque attractis. prædium vnum Colliria quod ab iacentibus disiunctum his terminis & lachis concluditur. A fluuiolo Louffa vsque quo influit riuulus Batenbach. & sic sursum per ascensum eius ad locum, qui dicitur Fiurstat. deinde nigfaltbach. ad viam tendentem a bussenrot ad fontem qui est ad erpinefelt. deinde versus aquilonem ad quandam siffam iuxta Mochonovva vsque ad biuium vbi vna via tendit deorsum ad malinungon. altera Ostervviron contra orientem villae erphesrot. inde rursum per callem inter duos montes Grinberc & Turiberc. hinc per latus Santberc. ad locum Sulhbach cadit in trocchonlinaha & sic sursum ad VVanonbrugga. deinde a buchbrunno ad tierbouum. hinc ad harcytich. vsque trocchonlinaha. ad plateam quae tendit super abbiehonrot. sicque per eandem plateam vsque euerhardesbruggon. inde ad occidentem vsque tambach. & sic sursum super fluuiolum Smalachaldon vsque cholobach.. & inde super quoddam mirice ad brunvvardesrot. vsque in plateam quae illic est. perque plateam vsque ad radices montis tutenberc. super riuulum louchaha. vsque ad latus montis teneberc. sicque postremum ad supradictum fluuiolum louffa. Omnia quae cinguntur his terminis cum villulis infra positis aut ponendis. omnibusque suis appenditiis. hoc est areis. pratis. pascuis. siluis. venationibus. piscationibus. montibus & vallibus. viis & inuiis. cultis & incultis. aquis aquarumue decursi-

curſibus exitibus & reditibus. quæſitis & inquirendis, cum omni vtilitate quae quocunque modo nominari vel dici poſſit. comiti Luodovvico his regalibus edictis ſtabilita in perpetuum fecimus. Decernimus etiam vt nullus omnino hominum ſeu quaelibet perſona potens. aut impotens princeps aut dux praedicto aliquid negotii in his locis niſi cum illius voluntate & iuſſu exerceat. ſed ipſi ſoli poſſidere dare. commutare. cuicunque velit. proprietatis iure poteſtatiue ſempiternum liceat. Vt autem huius noſtrae pietatis traditio veraciter ab omnibus ſemper credatur. ſtabiliſque & in convulſa noſtra permaneat hanc inde chartam teſtamentariam conſcriptam & manu propria corroboratam ſigilli noſtri impreſſione inſigniri iuſſimus.

Signum Domni HEINRICI tercii Regis invictiſſimi:



Theodoricus Cancellarius vice bardonis archiCancellarii recognoui:





Acta V. Kl. Sept. Anno Dominice incarnat. MXL. I
Indict. XIII. Anno Domni HENRICI tercii ordinat
nis eius XVIIII. regni vero VIII. Actum Bauenbe
Feliciter.



NVM. II.

Inscript. Origin. HENRICI Imperatoris, de pr
ma Coemptione castelli Scovvenburg & ci
cumiacentis praedii. 1114.

In nomine summae & indiuidue Trinitati
HEI


HEINRICVS diuina fauente clementia Romanorum Imperator Auguſtus: Notum eſſe voluimus omnibus tam preſentis quam futuri temporis fidelibus. Qualiter nos petitione erneſti venerabilis Abbatis reginerisbrunnenſis cenobii, & fratrum inibi die ac nocte domino deuote famulantium predium omne..... vel infra Ioibam ſiluam iacens cum villulis prope poſitis aut ponendis ſcilicet montem Scovvenburc. druſonrot. erembrechdesrot. friderichesrot. buſſenrot. etphesrot predium quod eſſet in linungon. buhilisrot. curmbach. cum omnibus appenditiis ad prenominata...... pertinentibus omni modis dictis vt dicendis. domibus edificiis. cum vtriusque ſexus mancipiis. viis & inviis. cultis & incultis. mobilibus & immobilibus. campis. ſiluis. aquis. aquarumue decurſibus. arbuſtis. montibus. & vallibus. que ſitis & inquirendis. exitibus & reditibus quod eidem Abbati quadraginta libris argenti ad erarium noſtrum pro redemptione inhabitande patrie, ſui, ſuorumque. qui imperio noſtro ſecum rebelles...... nt perſolutis Ludovvicus iunior vendidit. patre ſuo Ludovvico comite per nos reducto in captiuitatem precipiente ſibi & collaudante & coheredibus ſuis cunctis in id ipſum per omnia conſentientibus. & V. Non. May anno ab incarnatione Domini M. C. XIIII. inuilla que dicitur Ilmine in manus trium virorum liberorum. ſcilicet Rudis. Sigefridi. Luph. ad ſupradictum monaſterium Reginherisbrunnon Soleperni more delegandum coram teſtibus adnotatis contradidit. regia autoritate monaſterio illi ſtabilitum eſſe perpetualiter ac libere ſine contradictione alicuius poſſidendum volumus. hoc imperiali cenſura ſtatuentes. vt nulli omnino hominum liceat impoſterum aliquid hereditatis vel proprietatis ſibimet inde uſurpare. ſeu vim inferre. minuere. auferre. aut ablatum retinere. Sed ſoli Abbati & monachis eius uti. poſſidere. dare. commutare. poteſtatiue in ſempiternum conualeat. quo tutius ac liberius pro imperio noſtro

& totius regni ſtatu Deo & ſanctis eius orationes iugiter effundant. Et vt hec noſtre Dominationis autoritas nunc & in futuro firma & inconuulſa permaneat. hoc preceptum indeconſcriptum ſigilli impreſſione ſignare iuſſimus. manuque propria vt infra videtur corroborauimus.

HEINRICVS. ROMANOR. IMPER. AVGVST.

Subſcripſi Rugger de Rimiſtede. Thiterich de Theideleibe. Hug. Anshelm. II. fratres. Martinus de Muliburc. Folcmarc deBicheling de Cimmero. Rinhart de Suzzero. Vdelricus de Adelesliebo. Erminrihc de Mollesdorff. Heriman de Lizni. Heinricus de ... bei R. Sebechi. Eikkehart de Guthcron.

Signum Domni HEINRICI Imperatoris Augusti Invict.



Brun Cancellarius vice archicancellarii recognovi:



Da-

Datum XVIII. Kl. Oct. Anno ab incarnat. Domini Mill. C. XIIII. Indict. VII. Actum Erphesfurt.



NVM. III.

CONRADVS, Comes Wettinensis monasterio Reinharditontano donat nonnulla, ex haereditate Wilhelmi Camburgensis Comitis accepta.

In nomine: summe: & indiuidue: Trinitatis: Ernest: Dei: Gratia: Reinerisbrunnensis: Abbas: Viri sapientissimi verbum dictum antiquitus. diuitie viri redemptio anime eius. Quod factis imitatus Comes religiosus, CVNRADVS de Witin. tradidit ecclesie sacre digenitricis MARIE in loco Reinherisbrunno con-

conſtructe quendam locum LVSINICI dictum & dim
diam partem circumiacentis ſilue. que ſibi ex comi
Willehelmi de Kaemburg contingit hereditate : cu
omni iure ad eandem ſiluam pertinente, hoc eſt. viis
inviiis. cultis & incultis. paſcuis. aquis. aquarumque d
curſibus. piſcationibus. venationibus. cumque omnig
na vtilitate. que exinde excogitari poterit atque peru
nire. Nos igitur tam preſentes quam poſtfuturos noſ
cenobii fratres tanti beneficii in conſpectu Domini i
giter memorari volentes. ſed & omnes qui hec aud
rint huius facti teſtes habere cupientes. pro huius ca
conſcriptione commendamus illorum memorie. ne
temporum diuturnitatem unquam deleatur obliuion

Actum anno ab incarnatione Domini M. C. XVI. Ind
ctione VIIII. temporibus Heinrici Romanorum im
peratoris quarti. & Domini Adelberti mogontien
archi-epiſcopi.



NVM. IV.

Conradus Marchio Misnensis Coenobio Reinhardifontano bona quaedam largitur.

In nomine summe & indiuidue Trinitatis. Ego Cuonradus Misenensis diuina clementia Marchio. Memor illud dictum antiquitus. diuitie viri redemptio anime eius benignissima quoque confectalis nostra Luchardis. vniuersorum presentium & futurorum Christi fidelium noticie intimamus memoriterque retinendum commendamus. qualiter tam pro vite quam pro animarum nostrarum. nec non & parentum nostrorum salute tradidimus monasterio sancte Marie, perpetue virginis, quod est in loco, qui Reinhersbrunnum dicitur, de propria hereditate mea predium vnum, quod Thurgonte nominatur. super ripam fluminis, albe, cum ecclesia, cumque omnibus suis pertinentiis, hoc est, terris, arbustis. cultis & incultis. agris. pascuis. aquis. aquarum decursibus. piscationibus. viis & inviis. exitibus & redditibus. in super & villam bodsseße cum suis pertinentiis. locumque quendam in ipso flumine Alba situm, qui vulgo Wert dicitur. & decimas de dominicalibus nostris in villa Staril. & in Tresgovve. aliasque decimas quorundam ad prefatum locum pertinentes. cum modiis quos singuli de singulis mansis reddunt. quibus felicis memorie pater meus Tiemo comes prefatam ecclesiam primo dotauit. decimasque piscationis de stagno a piscatoribus in Knosene. ad hoc etiam dominicale ad locum mercatus in ipso loco Thurgovve. eo siquidem tenore quatinus idem predium proprietatis iure perpetuo. iam dicto monasterio & fratres ibidem constituantur, pro me proque meis parentibus ac sobole per omne tempus diuino intenti seruitio. Sane aduocatus eiusdem loci dum vixero ipse permanebo. meique posteri permaneant, si fuerint idonei. de cetero autem nullus ibi constituatur aduocatus nisi quem cum communi fratrum. consilio eligendum

dum prouident. Abbas Reinh. cenobii. Et vt hec
ſtre traditionis auctoritas nunc & in futurum firma &
conuulſa permaneat. hanc cartam teſtamentoriam ſc
fecimus, eamque ſigilli noſtri impreſſione ſignari f
mus. Actum anno ab incarnat. d. M.C.XVIIII.
diction. XIII.



NVM. V.

Priuilegium Heinrici Moguntini Archi-epiſc pi de fundatione domus a Sizzone comite Kevernburg.

In nomine ſancte & indiuidue Trinitat
HEINRICVS GRATIA DEI Mogontienſis
cleſiæ Archi-epiſcopus. Omnibus quidem ratione
ritatis debitores ſumus; ſed quia iuxta peticionem ſp

ſæ in canticis ordinanda eſt ipſa caritas, pronioris animi circa eos eſſe debemus, quos diuina gratia noſtræ humilitatis ſollicitudini ac tutelas commiſit. Omnibus itaque notum eſſe volumus, tam præſentibus quam futuris Chriſti & eccleſiæ fidelibus, qualiter vir nobilis & induſtrius SIZZO comes de Keverenberc, vna cum coniuge ſua GISILA, diuino acti ſpiritu in loco poſſeſſionis ſuæ, qui Vallis S. GEORGII nuncupatur, cœnobium conſtruere, & vitam monaſticam inſtituere cupientes noſtrum ſuper hoc conſilium expetierint & auxilium. Nos ergo pio fauentes propoſito, & felicibus aſpirantes iniciis religioſis viris tam Abbatibus, quam præpoſitis deſiderium eorum patefecimus, & communi omnium conſilio Ciſtercienſium ordinem elegerunt, in quo cum mundi huius contemptu voluntaria, paupertas principatur, in quo cum humilitate & obedientia caritas dominatur. Adductis itaque de Morimundo probabilis vitæ tam monachis, quam conuerſis virum admodum religioſum ac boni teſtimonii nomine EBERHARDUM, memorati comitis cognatum, vna cum voto parique eorundem fratrum conſenſu in patrem ſpiritualem electum in Abbatem per Pontificalem benedictionem promouimus. Proinde præfatus comes Sizzo cum coniuge ſua GISILA, DEO, a quo bona cuncta procedunt, gratias exſoluentes, locum ipſum conſenſu filiorum ſuorum, Heinrici & Guntheri, & legitimorum heredum omnium, Ieſu Chriſto, eiusque ſanctiſſimæ genitrici MARIAE, ſanctoque GEORGIO martyri, & beato Benedicto in odore ſuauitatis obtulerunt; nos quoque inuocato nomine Domini iniciati inibi ſacri ordinis tenorem noſtra Pontificali auctoritate confirmantes, incommutabiliter ſtatuimus, vt amodo & per futura tempora ipſe liber & devotus ſecundum Ciſtercienſium fratrum obſeruantias permaneat, nulliusque terrenæ perſonæ poteſtati vel dominio ſubditus fiat, & nullum penitus tam nobis, quam ſucceſſoribus noſtris ſeculare ſeruitium debeat.

Ve-

Verum quia iam dictus comes negotiis ſecularibus i
plicitus militare DEO pro voto ſuo non potuit, cœnol
um hoc illi conſtruxit, quatinus qui in hoc illi taberr
culo deſeruiunt ſine intermiſſione Dominum pro ip
interpellent, vt ſicut hic eos abſcondit in tabernaculo ſ
in die malorum, ita non immemores ipſius recipi
eum in æterna tabernacula in die bonorum ſuoru
Sunt autem hæc quæ ex nomine loco illi contulit, & po
ſtatiua manu quo ea iure poſſedit, ei absque omni ref
gatione delegauit. HOVVVERIETH cum terminis ſuis v
Hirzberc verſus orientem, vſque Sconouvve verſus
ptentrionem, vſque Sundere verſus meridiem, ſiluo
duos montes ad ſe pertinentes habens verſus occide
tem. Item Aſolveroth cum omnibus pertinentiis ſu
campis, pratis, cultis & incultis, cum tota ſilua louba
cta, ſcilicet a porta cimiterii villæ, quæ dicitur Aldenbe
per viam quæ ducit ad flumen lina ad ſiniſtram. De
per aſcenſum eiusdem fluminis verſus occidentem
callem, qui ducit ad arborem ahorn. Inde ad p
team, de platea vſque Eberhardsbruggen, dein vſq
Willeheresrodre, dein Frankenſtic, per ipſum calle
ad fluuium Aphilſte, inde per deſcenſum vſque Sv
nehildfurt, inde ad riuum Hagenbach, inde verſ
orientem per callem, qui ducit Rekkers, cum to
fundo Hopfgard. Inde ad plateam per aſcenſu
plateæ vſque Hagen, per aſcenſum riuuli vſque W
nungesbruggen, inde vſque ad præfatam portam
miterii villæ Aldenberc. Herrinhof quoque præ
um cum omnibus pertinentiis ſuis dimidium. He
quoque cum omnibus, quæ ad ipſum pertinebant.
autem hæc precioſo martyri beato Georgio delega
vſui pauperum Chriſti tanto perennius profutura &
concuſſa permaneant, ſæpe dictus comes S. annuente
coniuge ſua G. comitiſſa, conniuentibus quoque filiis
& G. conſtituit, & nos ipſorum peticione auctoritate
ſtra ſtatuimus, vt prædictum cœnobium cum pertin


SVZZO COMES D O

V
pl
un
cu
in
in
cu
Su
st
ga
H
pr
d
te
ca
Et
p
p
ca
te
V
a
n
o
fi
p
n
n
u
c
a
v
c
c
a

tiis

1:80.



s,
is
t,
s,
n
is
t,
c.
t,
is,
n-

F

bricho

bricho Ringrauius, Dudo & frater eius Megingor, R hardus vice dominus, Dudo Sculterus, Cunradus Geismare, & alii quam plures. Facta ſunt hæc an dominice incarnationis milleſimo C.XL. Indict. VI. gnante glorioſo Rege CVNRADO, huius nominis II Datum Mogontiæ XIII. Kal. Aprilis per manum ſig gi notarii FELICITER AMEN.



NVM. VI.

Charta Erneſti Abbatis Reinhardifontani praedio Herenhove, & aliis quibusdam bon

In nomine ſancte & indiuidue Trinitatis. E NEST Dei Gratia. Reinhersbrunnenſis Abb Omnibus tam preſentis quam futuri temporis fideli notum eſſe volumus, qualiter predium in Herenho di

dimidiam quidem partem erga Hartmannum de Hilderingen eiusque proximos heredes, ante ſanɛte recordationis Nortbertum, Magdeburgenſem epiſcopum, conſtitutum, condigna pecunia noſtro monaſterio in proprietatem acquiſivimus. ac poſtea reliquam eiusdem predii partem erga Dietvvinum de Bogendorf, eiusque coniugem ac liberos, precio comparauimus. quod in Erpesfurt, ſub teſtibus idoneis, & ſubter annotatis, noſtre ecclesie cum omnibus appendiciis ſuis delegatum eſt. cum capella ibidem conſtructa. & pratis. paſcuis, pomeriis. molendinis. ſiluis. arbuſtis. aquis. aquarum decurſibus. viis atque inviis. atque omni utilitate que de eodem predio poteſt vel poterit prouenire. Huius autem rei teſtes fuerunt. Widelo de Tuteleiben. Bardo de Magoldesleiben. Cunradus. Vldaricus. Elbevvinus de Sibeleiben. Sigeboldus. Kuzelinus. Vdo. Erpesfurdenſes ciues. aliique quam plures. Huius traditionis confirmatio poſtmodum quoque ab eodem Dietvvino facta eſt in villa Muchile. preſentibus LUDEVVICO, Regionario comite, eiusque fratre Heinrico, matreque ipſorum, cum militibus & miniſterialibus ſuis. & quam pluribus aliis. Item emimus in villa prenominata XII. agros ſolidis XII. conſenſu predicti Dietvvini, eiusque coniugis. erga Hildegundam mulierem quandam proprii ipſorum iuris. Actum anno ab incarnatione Domini mille C. XLIII. Indictione VI.



NVM. VII.

Priuilegium Ludevvici de Lare comitis ſuper Aſolveroth.

Notum ſit omnibus Chriſti fidelibus tam futuris quam præſentibus, qualiter ego Ludovvicus de Lare comes dictus conueni cum Abbathe Withelone monaſterii quod dicitur Aſolveroth, vel mons ſancti Georgii, annuente Domino meo Henrico Abbate in Hersfelt ſancti Wigberti, fundus quidam qui prope adiacet portæ prænominati monaſterii iuris erat ſancti Wigberti, a quo fœdi ratione eum poſſedi, cui redditus, ſingulis annis fuit vna libra. Qui quia maxime neceſſarius erat eidem monaſterio, ipſe Abbas legitimo mutuatus eſt eum me interueniente concambio a ſancto Wigberto tres manſos & dimidium in Muleburc & in Sibileibe reddens, quorum redditus ſunt XXX. ſolidi, quos ego vice prioris beneficii ab ipſo recepi. Præfatus autem fundus Ratkersdorf antiquitus eſt, & extenditur verſus occidentem & meridiem in amnem qui Haginbach nuncupatur. Iure itaque irrefragabili poſſident eum abbas & fratres ſui cum omni proprietatis vtilitate & adiacente communitate, aquis ſcilicet aquarumque decurſibus, agris, cultis & colendis, pratis, paſcuis, ſiluis. Ad indicium autem recognitæ conuentionis dominum HEINRICVM Moguntinum Archiepiſcopum dioceſanumque noſtrum teſtem fidelem adhibui, atque per auctoritatem & ſigilli ſui impreſſionem hanc compoſitionis noſtræ chartam confirmari inſignirique optinui. Huius actionis teſtes ſunt Erneſtus comes, Meinhardus de Mulebur, Sifridus & Wolfherus de Cranechfelt, Heinricus Halternerrele, Withelo de Tuteleibe, Heinricus de Mittelhuſen, Withelo de Griſheim, Enker de Dornheim, Gerbode de Arneſtete.

Facta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnat. mill. C. L. II. Indictione XV. FELICITER. AMEN.


NVM.

NVM. VIII.

Ludovici III. Landgravii charta de praedio Henrici in Tuteleiben (Dutleben, vel Tuttleben) Reinhardifontanis donato.

In nomine ſanctę & indiuiduę Trinitatis Ego Ludevvic tercius diuina fauente clementia Thuringię provincię Lantgravius. Omnium tam futurorum quam præſentium trado noticiæ. qualiter miles quidam nomine HEINRIC de nobili natus proſapia. prædium ſuum cum eccleſia. omnibusque ad eam pertinentibus. & quicquid in villa Tuteleiben proprię poſſeſſionis habebat. patri meo felicis memorię coram multis arbitris tradens. viciſſim ab eo hoc ipſum dum aduiueret in beneficium recepit. Sed poſt patris mei obitum. cum ipſum prædium ad nos iure hereditario deuolutum. idem miles a nobis feodali iure ſuſcepiſſet. conuentione facta cum venerabili abbate Reinersbrunnenſi cęnobii Herimanno. quinquaginta marcarum precio accepto. eidem beneficio ſuo renunciauit. & in manus noſtras tam ſua quam liberorum ſuorum manu reſignauit. ea videlicet pactione. vt eccleſiæ Reinersbrunnenſis liberæ poſſeſſionis & proprietatis iure cederet. Quod nos gratanti animo conſenſimus. & acceptis ab eodem abbate centum & decem marcis & ſeptem manſis apud Winrichesleiben & Semiſtede ſitis prædictum prædium præmoratę eccleſię in poſſeſſionem perpetuam legitima donatione contradidi. Quam videlicet traditionem coram multis teſtibus factam confirmauimus. & in perpetuum ratam & inconuulſam habendam auctoritatis noſtræ præceptione & proprii ſigilli atteſtatione decernimus. & ne qua perſona cuiuscunque conditionis fraude vel circumuentione vel vllo prauę mentis ingenio eam infringere vel caſſare audeat aut præualeat. horrendo & iuſto DEI omnipotentis iudicio. & diuinæ ſeueritatis timore - ſemper refugiat. Actum ſecus caſtrum noſtrum Theneberg

neberg anno incarnat. dominicæ M. C. LXXVI. Indictione VIIII. Cuius rei hii teſtes affuerunt. cum mea præſentia. Herimannus Abbas. Hartungus Prior. Meinardus de Mulburg. Hartungus de Erpha. Berthoh de Wangaheim. Adelbertus de Witerde. aliique quam plures FELICITER.



NVM. IX.

Ein Brief Lantgraf Hermans zu Döringenn, darinne vermeldet, wie der Abt und Convent zu Reinhartsborn, ſich des Dorfs Friederichenrode halben mit S. F. G. vertragen, vvelch Dorf derſelbe Lantgraf fürgehabt eins aufgerichten Marcks halben, der den umliegen-

gen-

genden Stäten ſchädlich gevveſen, zu verſtö-ren, und haben die Einnehmer XI Marck ge-geben, damit der Lantgraf ſeins Fürnehmens abgeſtanden.

In nominae ſanctae & indiuiduae Trinitatis. Hermannus Dei Gratia Thuringiae Lantgravius, & Saxoniae Comes Palatinus ſacratiſſimae fidelium vniuerſitati verum in vero ſalutari ſalutem. Quia per litterarum apices futuris caſibus ex inolita conſuetudine prudenter occurritur, eadem inducti ſollicitudine praeſentibus & futuris Chriſti fidelibus inſinuamus, quod veniens ad nos dilectus noſter Wichardus Reinhersburnenſis monaſterii Abbas cum quibusdam eiusdem cœnobii fratribus, qui ſanioris videbantur conſilii, pro quadam ipſis adiacente villula, quae Friderichisrodt nuncupatur, ad cuius deſtructionem occaſione mercatus, ibidem ſaepius habiti omnimodis intendebamus, nos diligenter conuenit, & ne primitiuam illius eccleſiae dotem eiectis ipſius habitatoribus diſturbaremus, omni qua potuit ſupplicatione commonuit. Sed quia ex iam dictae vtilitatis queſtu eandem villam ciuitatibus noſtris probata experientia diximus eſſe dampnoſam, homines qui ex hereditario iure eiusdem ſitum loci ex multo iam tempore poſſederant, & praenominatae eccleſiae debito proprietatis erant obnoxiis, paterno ſe priuari lare timuerunt, datisque quadraginta marcis, a propoſito habendae intencionis, mediante praedicto abbate & fratribus, noſtrae ſeveritatis animum reuocare, ſtuduerunt perpetuae manſionis quietem in eisdem bonis ſimilis inſultu exactionis poſtpoſito ſibi indulgeri poſtulantes. Proinde miſeriae ipſorum compatientes, & auguſtiae praefataeque commoditatibus prouidentes eccleſiae ad peticionem propoſitam noſtrae dominationis aures inclinauimus, & in area eiusdem dotis, absque exactionis moleſtia, quae interitum & deſtructionem ipſis minetur, firma data pace, perpetualiter eos manere conceſſimus. Et vt haec no-

ſtrae conſtitutionis auctoritas, inconuulſae ſtabilitatis robur accipiat, hanc confirmacionis cartam inde conſcribi fecimus, quam ex manu propria roborantes ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus inſigniri. Actum anno ab incarnatione Domini M CC VIII. Indiction. XII. cooperantibus & laborantibus ad huius formam pacis atque commoditatis nunciis & miniſterialibus noſtris, Cunrado videlicet Camerario noſtro de Caſſele, Bertoldo de Setinotele, Adilberto de Gotha, cognomento Screienvogel, & Ulrico villico de Waltherishuſin. Fœliciter Amen.



NVM. X.

Luodevvici Lantgravii privilegium ſuper abſolutione denariorum in Ruodenſtede.

Land-

Landgraf Ludwig zu Doringen, Pfaltzgraf zu Sachsen, ein ehelicher Gemahl St. Elisabethen, befreiet dem Closter Georgenthal Ihre Güter zu Rudenstete von allen Auffetzen und Dienstbarkeit.

In nomine sanctæ & individue Trinitatis. LUDEWICUS Dei Gratia Thuringiæ Landgravius, & Saxoniæ Comes Palatinus. Notum esse volumus universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod nos divinæ remunerationis intuitu bona fratrum de valle S. GEORGII in Rudenstede ab universis exactionibus & serviciis, quibus & progenitoribus nostris, & nobis iure hereditario fuerant obligata, libertati donamus, in perpetuum universis utilitatum proventibus plenarie abrenunciantes, & ipsam donationem libertatis, ne ausu temerario inposterum possit infringi, sigilli nostri impressione roboramus. Huius rei testes sunt Ellibawinus Præpositus Dominarum de Lacu, Comes Guntherus de Kevernberc, Ludewicus Comes de Wartperk, Ludewicus de Wangeheim, Heinricus frater pincernæ, Theodericus niger de Appolde. Acta sunt hæc anno incarn. Domini M. CC. XVII. Indictione V. XVIII. Kl. Februarii.



NVM. XI.

Laudum concordiæ Ludovici Thuringiæ Lant gravii inter duo cœnobia pronunciatum.

In nomine: ſumme: individue: Trinitatis LUDEWICUS divina providentia. Thuringie Lant gravius. & Saxoniæ Comes Palatinus in perpetuum Quia Reinhersburnenſis eccleſia fundata eſt a progeni toribus noſtris. & per ſucceſſiones temporum. in faculta tibus & honore cumulata. nos quoque non tantum poſ ſeſſionum. Sed etiam devotionis eorum heredes. ad imi tationem ipſorum eandem non ſolum aucmentare. ve rum etiam ſi in aliquo ab ipſis neglectum intellexeri mus. pro communi ſalute reformare decrevimus. unde o mnium tam præſentium quam futurorum noticiæ ſigni ficamus. quod nos comperta diutina diſſenſione duorum cenobiorum. videlicet prædicti Reinhersburnenſis. & vallis beati Georgii. pro quadam parte ſilve. privilegi um utriusque in preſentia noſtra. & baronum. optima tumque noſtrorum recitari facientes. hanc unanimem omnium ſententiam accepimus. quod antiquioris eccle ſie autentica, que eſt Reinherburni. præiudicarent de iu re iuniori. Igitur ne non ſecundum iuſticiam. ſed pro gratia iudicaſſe videremur. prædictæ controverſiæ diſ cuſſionem doctorum. clericorum & prudentum laico rum examini commiſimus. ut auditis utriusque parti allegationibus. eccleſiam quæ obtinuiſſet, auctoritate noſtra in poſſeſſionem intronizarent. In qua diſcuſſione prior ſententia confirmata eſt. ut antiquius privilegium obtineret. quod & noſtratum tenentes per miniſteriales noſtros. Hermannum de Baldeſtete. Hermannum de Lu pinze. Hertwicum de Hurſilgowe. & per foreſtarios no ſtros dictam ſilvam eccleſiæ Reinhersburnenſi reddidi mus. quoniam cum eadem ſilva & multo ampliori ceno bium ipſum a fundatoribus dotatum. & nos iniuſte eam poſſidere advertimus. Pars autem quam reddidimus his terminis includitur. ad plateam que eſt ſuper apin

chirod

chirod. per viam que dicitur Winſtraze ſurſum tendentem ad plateam que eſt ſuper langinberch. tendens ad ebirdardisbruckin. & per ſequeſtrum ducit ad rivulum Scivirbach. & ad Cadeſtat, & Troronlina & - - - usque ad Rotinſtig. ut ergo prefati monaſterii fratres denominatam ſilvam quiete poſſideant. huius noſtre redditionis factum inviolabile & inconcuſſum permanere ſtatuentes. auctoritatis noſtre pagina ſigillique noſtri appenſione confirmavimus. Actum anno ab incarnatione Dni M. CC. XX. VII. Indic. XV. Teſtes hi ſunt. Heinricus comes raſpo. Heinricus comes de Svartzburg. Ditericus comes iunior de Berka. Coſtus de Berleſtete. Rudolphus pincerna - - Heinricus notarius. Hermannus de Merkisleibin. & multi alii liberi & miniſteriales.




NVM. XII.

Privilegiũ ſuper curia & decem manſis, quos Ludewicus Lantgravius Eccleſiæ vallis S. Georgii vendidit pro centum marcis in Notheleyben.

Landgraf Ludvvig zu Döringen Sanct Eliſabeth Ehegemahl aigent dem Cloſter Georgenthal ein Hof und ziehen Huffen zu Notleiben, vor 100. Margk Silbers, die er dem Apte ſchuldig gevveſt.

Ludevvicus divina favente clementia Thuringiæ Lantgravius Saxoniæ Palatinus. Quoniam ex rei geſtæ ignorantia, frequenter eadem res, & rei geſtæ actio devolvitur in calumpniam, neceſſarium fuit, ut tali inſtrumento roboretur poſſeſſio & exprimatur actio, ne inpoſterum poſſeſſori in jure ſuo derogetur, & veritas ſuppreſſa enervetur. Ea propter Ego Luodewicus Thuring. Lantgravius Saxoniæ Palatinus, Hermanni Lantgravii filius, notum facio tam præſentibus quam futuris, quód certa cauſa interveniente Ceſario de Lewenberc obligatus tenebar debito centum marcarum, pro quibus cautionem juratoriam præſtiterant aliqui comites & mei miniſteriales. Inſtanti ergo die ſolutionis præfixa, & deficiente pecunia, mediantibus Comitibus Henrico de Swartzburg, & Gunthero de Keverenberg ſuper hujusmodi pecunia mutuanda, Eberardum, abbatem de valle Sancti Georgii conveni, qui centum marcas argenti examinati usque ad certum terminum mihi accommodavit. Cum autem termino inſtante debitum ſolvere non potuiſſem, ad conſilium comitis Henrici, & aliorum miniſterialium meorum, cum favore Sophiæ, matris meæ, & Elizabet uxoris, ego, & fratres mei, Henricus Raſpe, & Conradus in reſtaurationem pecúniæ mutuatæ. Abbati prædicto contulimus in Nottheleyben curiam unam, & decem manſos, cum areis attinentibus, & pratis, ſive paſcuis cum omni jure deinceps libere & quiete poſſidenda. Quam poſſeſſionem ab omni exactione & obſequio, atq. publica hoſpicii noſtri penſione, liberam & abſolu-

ſolutam decernimus permanere. In ſuper ne quis heredum ſupra dictorum, præter quos nec dum alios habui. aut officialium, ſeu villicorum meorum, eccleſiam in prædictis prædiis juſto titulo conjunctis temere præſumat inquietate, aut im̃unitatem conceſſam attemptet infringere, præſentem literam ſub teſtium aſtipulatione, noſtro roboramus ſigillo, quatinus eccleſia ſine interruptione debito gaudeat privilegio. Hujus autem rei teſtes ſunt Henricus comes de Schwartzburg, Rodolphus pincerna, Hermannus dapifer, Hermannus de Merchesleibn, Theodericus niger, Reynardus Varc, Adelpertus ſcmeling, Ehrenverdus dapifer de ſummerd, & alii quam plures viri catholici. Acta ſunt hæc anno Domini M. CC. XXII. Indictione X. Regnante FRIDERICO, Romanorum Imperatore invictiſſimo & Rege Siciliæ. Ego Sophia Lantgravia de prædiis quæ mihi ex dote maritali provenerant, neceſſitatibus Luodewici filii noſtri conſulens, prædicto contractui conſenſi, cum ceteris heredibus meis, & præſentem literam bullæ meæ impreſſione roboravi, ut ratum maneat, quod hujus auctoritas approbat.





NVM. XIII.

Cirographum Sophiæ Lantgraviæ ſuper commutatione agrorum apud Appelſte, 1224.

Sophia Dei gratia Thuringiæ Lantgravia. Notum ſit omnibus præſentem audientibus literam, quod in villa Apelſte reſidens quidam colonus meus Walterus nomine, mediante Sculteto meo, Burchardo, cum aſſenſu filiorum ſuorum, Henrici & Ghiſelerii cum fratribus de valle Sancti Georgii ibidem in curia ſua commorantibus convenit. quod undecim agros & dimidium, de poſſeſſione eorum qui agris meis adjacebant, quos idem Walterus colebat, per commutationem accepit, & de meis agris ejusdem numeri agros, qui, fratrum illorum terminis contigui erant; deinceps libere poſſidendos, cum meo favore & permiſſione aſſignavit. Propter quod ne quis factum noſtrum retractare præſumat, literam iſtam bullæ noſtræ impreſſione roboravimus. Acta vero ſunt hæc anno Domini M.CC.XXIIII. Regnante filio meo Luodewico Thuringiæ Lantgravio & Saxoniæ Palatino. Hujus rei teſtes ſunt Burcardus villicus, Henricus Reinverdi filius, Conradus, Hermanus livene, Arnoldus, Wlfram, Reinvert, Henricus Faber.

Sigillum idem eſt cum præcedente.

NVM. XIV.

Landgraf Heinrich von Duringen, Pfaltzgraf zu Sachſen und des Heyligen Reichs durch Chermanien Befehlträger, bewilliget und bezeugt, daſs Mechtild Cämmerin von Mühlhauſen dem Cloſter Georgenthal, dem Wald zum Tambach aigent, den Sie von Ihren vorigen Ehemanne zum Ehevermechtniſs entfangen vor XLV. Marg Silber, und von Grafen zu Mülberg zu Lehen gegangen.

Nos Heinricus Dei gratia Lantgravius Thuring. Comes

mes Palat. Saxon. & Sacri Imperii per Germaniam Procurator, presentis ſcripti tenore conſtare volumus univerſis tam presentibus quam futuris hanc literam inſpecturis. Quod Mechtildis, conjunx Theoderici Camerarii de Mulhuſen, una cum filiis & univerſis coheredibus ſuis, Tambuch ſilvam cum ipſo fundo, quæ de ſponſali donatione prioris viri ſui Edelheri, jure feodali a Comite Meinhardo de Muleberg receperat, pro quadraginta quinque marcis, Venerabili Abbati Bertholdo, & Conventui vallis Sancti Georgii ad quietam poſſeſſionem condonavit. Hujus Rei teſtes ſunt Dominus Gebehardus de Arneſtein, Cunradus de Botenſtein, Heinricus Marſcalcus de Ebersberg, & Kunemundus, frater ſuus Ludewicus de Wangenheim, Rudolffus pincerna de Varila, Hartungus de Erpha, Wolfherus de Drivort, Albertus de Ebeleiben, Hermannus de Lupenze, Lupoldus de Arneſtete, Arnoldus de Vanre, Cunradus de Helingesleben. Igitur ut hec juſta & rationabilis donatio firma & inviolabiliter obſervetur, præſentem literam ſigilli noſtri munimine roboramus. Acta ſunt hec anno gratie MCC. quadrageſimo ſecundo, in caſtro noſtro Warberg.



NVM. XV.

Privilegium Domini H. Marchionis Misnensis, super bonis in Oillebin.

Landgraf Heinrichs Gunstbrief über die Hufen zu Illeben.

Nos Heinricus Dei Gratia Misnensis & Orienta Marchio, Thuring. Lantgravius & Comes Pa tinus. Saxoniæ Universis præsentem literam inspect ris volumus esse notum, quod Abbas & Convent Vallis Sancti Georgii Cysterciens ordinis Mogu dioc. comparaverunt sex mansos & dimidium, sitos Olleibin pro septuaginta una & dimidia marca a Gu thero, filio Volmari de Lupenze, Beatricis sororis suæ, Hermanni (a) de Lupenze, nostri ministerialis. patr sui & tutoris ejusdem, aliorumque quorumlibet coh redum suorum consensu & voluntate firmiter accede te, super quibus bonis eisdem fratribus quiete po dendi plenariam conferimus libertatem. Eandem iam libertatem & protectionis nostræ tuicionem co cedimus eisdem fratribus super quodam rubeto, qu de permissione & voluntate nostra, sicut & præmis emerunt ad Kunemundum de Matsleiben ministeri lem nostrum & pro duodecim marcis pecuniæ comp rarunt. Ne autem ipsi fratres in dictis bonis aliqua calumpniam inposterum a quoquam possint vel d beant sustinere, præsentem literam sigilli nostri impr sione decrevimus roborare. Testes sunt Comes Gu therus de Keverinberg, Hermannus Burggravius Nuenburg, Heinricus Burggravius de Donin. Boto de I burg, Albertus dapifer de Barne, Fridericus & Frideric fr

(a) Diplomatis tergo adscriptum erat: *Ista bona emit m ter DN. Volmari, & Hermanni de Lupenze, ab Hildebra do de Meigene, qui fuit mancipium illorum de Keverenberg*

fratres Drivurt, Helwicus Marscalcus de Giltbach, Heinricus villicus de Gotha, & alii quam plures. Datum in campo apud Utſtete, Anno Domini MCCL. quarto. VI. Kal. May.



NVM. XVI.

Privilegium Theodorici de Vipeche ſuper quodam prato & ſalicto prope Rudenſtete.

Dieterich von Vippeche, Lewenheupt genannt, verkeuft dem Cloſter Georgenthal fünf Acker Weidich,

G und

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

und 25 Acker Wiesen, zwischen Eckelstet und grosse
Rudenstet an der Gramma gelegen.

Ne ex tempore dissoluantur, quae in tempore contr huntur, scriptis solent fidelium perhennari. Hi est, quod ego Theodericus de Vipeche, cognomine L wenhoupt, notifico universis, tam praesentibus qua futuris, quod salictum quinque agrorum, & pratum v ginti quinque agrorum, quae habui inter villam Ekelst te, & maius Rudenstete, prope aquam, quae Gramn dicitur, vendidi pro viginti quinque marcis, venerab Domino Abbati & conventui vallis Sancti Georgii, C stercienfis ordinis, Moguntinae dioecef. de liberali co sensu filiorum meorum, Hermanni scolaris, Alber Theoderici, & Sophiae, filiae meae, & heredum meor quorumlibet aliorum. Contractum huius fori contuli confirmavi coram villicis domini mei Marchionis M nensis, videlicet Friderico de Butstete, Iohanne de Sp te, Wernhero de Belgim in Rudenstete, ubi tunc iudi praesidebant. Testes sunt Rudolfus de Vargila, He ricus de Cornre, Wokregil de Vipeche, Theodericus Rudenstete, Otto de Rode, civis Erfordensis, & ali qu plures. Quae ut firma in perpetuum maneant & inc vulsa, praesentem litteram sigillis Comitis de Henn berc, & domicelli mei Alberti, filii Domini mei March nis Misenensis, qui per totam Thuringiam a Domi Marchione iudices fuerunt constituti, meoque add roboravi. Acta sunt haec anno Domini M. CC. L. V. N nas Februarii in die Sanctae Agatae virginis & mart in maiori Rudenstete.

Sigilla Comitis Hennebergensis & Theoderici de Vipeche desunt. Alberti vero tunc adhuc iuuenis sigillum tale est.



NVM. XVII.

Albertus Landgravius degener vulgo dictus, monasterio Reinhardifontano montem Cimmirbeck (vel Ztymmerbergk) dictum cum vicino montis adiacentis latere, Tamvortnowe vocato donat.

In nomine summe & individue Trinitatis. Albertus Dei gratia Thuring. Landgravius & Saxon. Comes Palatinus. Omnibus imperpetuum. Cum secularium negotiorum sarcina nos in infimis deprimente. raro vel nunquam. quod cum dolore dicimus mentis nostræ oculos ad superna erigere valeamus. necesse est, ut eleemosinarum largitione. ad concambienda transitoriis eterna. inspirante tandem Domino assurgamus. Hinc siquidem est. quod ad notitiam Christi fidelium tam præsentium quam futurorum pervenire volumus & exten

di. quod ad instar progenitorum nostrorum qui intuitu æternorum Ecclesiam in Reinherisbrunn temporalium rerum copia laudabiliter extulerunt. cupientes eandem solita liberalitate in divitiis & honore pro viribus ampliare. de consensu parili & unanimi voluntate filiorum nostrorum. videlicet Heinrici. Friderici & Theodorici contulimus ipsi Ecclesiæ. maxime tamen ad instantiam Venerabilis Viri Dni Marquardi. eiusdem loci Abbatis. ob honorem DEI & eius gloriosæ genitricis & virginis Mariæ. Sancti quoque Johannis Evangelistæ (quorum) patrociniis ipse locus feliciter gubernatur, montem Cimmerberc. usque ad fluvium Loucha. cum parte nemoris. & vicino ipsius montis latere adjacentis quod Tamvortinowe dicitur. simpliciter & pure. cum omni utilitate. ac proprietatis jure. nunc & in perpetuum justo donationis tytulo. libere possidendum. firmiter præsumentes. quod fratres ibidem die noctuque Domino servientes pro salute nostro invigilent. Quatinus - nostris meritis fiduciam non habemus. orationum suffragiis eorundem divinam propiciationem facilius impetremus. Huius rei sunt testes. Comes Otto de Luterberc. Guntherus & Guntherus Comites. & fratres de Kevrimberc. Matthyas prothonotarius noster. Hermannus de Myla. Guntherus de Matheim. Hermannus iunior Stranz de Tullistet. Heinemannus de Hain. Hermannus de Hsilderode. Albertus de Wilchwiz. milites. Ludewicus de Horsilgowe. Guntherus & Christianus fratres de Loucha. & quam plures alii fide digni. Igitur vt haec nostre liberalitatis donacio, ab hac die. inviolabilis & inconvulsa permaneat omni evo. Nos super eo præsens conscribi fecimus instrumentum sigilli nostri munimine roboratum. Datum & actum in castro nostro Wartberc. Anno Domini millesimo CC. LXXXII. VIII. Kalend. Februarii.


ALBERTVS DI GRA THVRI
GIE LANTGRAVIVS AD SAXONIE COMES PALATINVS

NVM. XVIII.

Albertus, Landgravius Thuringie appropriat duos manſos ſitos in Apfelſte ſanctimonialibus in Ilmene.

Hy egint man zwe Hufe zu Apffelſtete.

Nos Albertus Dei gratia Thuringie Landgravius & Saxonie Comes Palatinus. Recognoſcimus, & tam preſentis quam futuri evi Chriſti fidelibus cupimus fore notum, Quod duos manſos ſitos in campis ville Apfelſte, quod Theodoricus dictus de Gruzen, bone memorie quondam Caſtellanus in Swartzburch, miles exiſtens feodatum receperat, a Nobili Viro G. Com. de Swartzburg, actenus & poſſedit, & ipſis eidem Nobili reſignatis, Conventui Sanctimonialium in Ilmene ipſo annuente adtribuit, & ad manus noſtras iidem Nobilis pleno jure voluntarie reſignavit, ſupra dicto Conventui appropriavimus, & literis preſentibus in proprium erogamus, ſupra eadem noſtra appropriatione confectis, noſtrique ſigilli appenſionis robore ſolidatis. Huius rei teſtes ſunt Otto de Wechmar, Rudolphus de Heilingen, Hermannus Magiſter noſtre curie. Fridericus de Sliteſe, Conradus dictus Weiger & Matthias noſtre curie Prothonat. Datum & actum Wartberch. Anno Domini milleſimo CC. LXXXIX. pridie non. Junii.



NVM. XIX.

Gotfrid Præpositus, Irmeno Abbatissa in Ilmene dant cum consensu Comitis Guntheri in Schvvartzb. aream in Elxleybin sitam Friderico de Angilroda pro XXXIII. agris sitis cira Ilmen.

Hy gibt das Cloſtl. eyne Hofeſtad zu Elksle- bin deme von Angilrode yme Acker zu Ylmene.

Nos Guntherus, Dei gratia Comes de Schwarzbur Recognoſcimus per preſentes quod dilecti in Chri ſto, Dominus Gotfridus Prepoſitus. Irmengardis Abbati ſa, una de conſenſu Conventus ſanctimonialium in Il mene, dederunt aream quandam ſuam in Elxleibe Friderico de Angelrode, militi, pro triginta tribus agri ſitis circa Ilmene, quos hy ſubſcripti jure hereditario po ſident, ſecundum quod litera continet hec ſubſcript Gertrudis relicta Draconis, aut ejus heredes, dabit ſing lis annis de quatuor agris ſitis juxta Cimiterium in mo te ſancti Andree quinque ſolidos. Margareta relic Guntheri de Achelſtete de decem & octo agris dabit d cem & octo denarios. Fridericus Hoetrune de undeci agris dabit decem & octo denarios annuatim. Agroru etiam proprietatem predictorum, que ad nos pertine dinoſcitur damus cum omni jure conventui prehabi ſanctimonialium in Ilmene libere perpetuo poſſide dam. Super hys dedimus preſentes literas noſtri ſig munimine roboratas. Acta ſunt hec bono de conſen omnium heredum Friderici de Angelrode militis prer tati. Anno Dni M. CC. nonag. quarto in die Apoſtoloru Philippi & Jacobi, preſentibus Dno Gotfrido Prepoſi in Ilmene. Magiſtro Wicfrido. Friderico de Wiceleib milite, & aliis quam plurimis fide dignis.



NVM. XX.

Privilegium Theod. junioris Lantgravii ſuper Waldenfels.

Landg. Diterichs Privilegium, worinn er ſeines Vaters Vergünſtigung an dem Schloſs Waldenfels bewilliget.

Ne ea quæ aguntur in tempore cum lapſu temp
ſimul a memoria excidant hominum, quæ res
fragilis & caduca, expedit geſta perpetuitatis robur
bitura ſcripturarum apice perhennari. Hinc eſt qu
nos Theodericus Dei gratia junior Thuringiæ Lantg
vius. Luſacenſis & orientalis Marchio omnibus CHRI
fidelibus tam præſentibus quam futuris has literas au
turis notum eſſe cupimus, publice proteſtando, Qu
illam proprietatis donacionem, quam Illuſtris Princ
Albertus Thuring. Lantgravius, pater noſter dilect
feciſſe dinoſcitur, Eccleſiæ & Conventui vallis San
Georgii ordinis Ciſtercienſis, de Caſtro ſcilicet Wald
veils cum omnibus ſuis pertinenciis ſecundum con
nentiam litterarum patris noſtri præfati de ſuper tradi
rum, ſive in villis, campis nemoribus, aquis aquar
decurſibus, viis & inviis, cultis & incultis exiſtat, rata
gratam & inconvulſam ſemper volumus obſervare,
illam deminuere ulla parte. Super quod noſtram li
ram conſcribi fecimus, noſtri ſigilli robore commu
tam. Hujus ratihabitionis noſtræ teſtes ſunt, Herm
nus de Miela, Albertus de Brandenberg, Cunradus
Amera, noſtræ curiæ Prothonotarius. & Johannes fra
ejus. Fridericus de Hopfegarten, & alii quam plu
Actum & datum Iſenache, Anno Domini milleſimo
centeſimo nonageſimo quarto, Tercio decimo Kale
Marcii, Indict. VII.



NVM. XXI.

Albertus iunior (vulgo Apitius dictus) remittit monasterio Reinhardifontano VIII. marcas, quas praefecturae Tennebergensi quotannis soluere consueuerat.

Neperhenni res dignae memoria obliuionis aliquando labilitate temporis impellente, secedant in baratrum, scriptis fulciri solent, autenticis, vt per secula sui non desinant monimenta. Noscant igitur vniuersi tam praesentes quam posteri huius paginae inspectores, Quod nos Albertus iunior Lantgravius, iunior videlicet filius Lantgravii Turingorum, progenitorum nostrorum illustrium, qui Reinhersburnensem Ecclesiam piis sem-

ſemper ſtudiis proſequentes, multis beneficiorum & gratiarum ipſam impendiis illuſtrarunt, laudabiliter inhaerere veſtigiis ſatagentes, nec non honorabilium virorum, Domini Marquardi abbatis, & conventus eiusdem Eccleſiæ, quorum erga nos in multis plerumque deuotionis affectus enituit. Quique nos ad praeſens viginti & quinque marcis argenti voluntate gratuita donarunt, hortatibus & monitis ſalutaribus accedentes, villas ipſi eccleſiae pertinentes, videlicet Friderichérode, Aldenberge, Cumbach, Rode, quae & Steynenvirſt, Duiſterberge, Linungen, Erphisrode. & Wigbrandenrode, ob honorem Dei omnipotentis & glorioſae virginis matris eius, ac vt ibidem noſtri & illuſtris Domini Alberti Patris noſtri in perpetuum agatur memoria, antiquiori ſua libertate gaudere volentes, dictas villas ab angaria, petitionis octo marcarum, quarum medietas in feſto beatae Walpurgis, & medietas in feſto beati Michaelis, ad caſtrum noſtrum Teneberg, ex conſuetudine vt audiuimus, nuper ſiue ſecundum ius, ſiue praeter ius inolita annis ſingulis petebatur, abſoluimus, de conſenſu & beneplacito memorati Patris noſtri, liberaliter in aeternum, nolentes incolas dictarum villarum per huiusmodi angariam deinceps vllo tempore per nos vel noſtros haeredes aut ſucceſſores aliquatenus moleſtari. Huius rei teſtes ſunt Ludewicus de Hurſilgowe, Heilmannus iunior de Hayn milites, Fridericus dictus Gitz, & alii fide digni. Vt autem hoc noſtrae liberalitatis indultum perpetuo robur obtineat, nec inpoſterum vllo malignitatis ingenio quatiatur, praeſens inſtrumentum deſuper conſcribi fecimus & ſigilli noſtri munimine roborari. Actum & datum in Reinhersbrunn, Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, pridie Nonas Decembris.



NVM. XXII.

Charta Domini Landgravii Alberti & filiorum ejus ſuper proprietate Waldinfels & bona illorum de Reinherisbrunn.

Verſchreibung Landgrav Albrechts, und ſeiner Söhne Friedrich, Marckgr. zu Meiſſen, Herrn Dietrichs Marckgraven in der Luſatz, und Oſterlande: darinnen J. F. Gn. ſich verzeihen alles eigenthumbs am Schloſs Waldefels, und an den Dörffern Tambach, Dietarts, ſamt ihren angehörungen, und eignen die dem Cloſter Georgenthal.

Quoniam ſunt hominum geſta tenui pendentia filo, expedit res robur perpetuitatis habituras per ſcripturæ amminiculum roborari. Hinc eſt, quod Nos Alber-

bertus, Dei gratia Thuringorum Lantgravius, & Saxoniæ Comes Palatinus, Et nos ejusdem filii Fridericus eadem gratia Misnensis Marchio, nec non Theodericus, simili gratia Lusaciensis & Orientalis Marchio, præsentibus recognoscimus, & ad singulorum pervenire cupimus notitiam, & extendi. Quod maturo ac diligenti præhabito consilio, de pari & unanimi consensu, illi proprietati sive proprio, quod in castro Waldenveils hactenus nos respexit & nobis competebat, similiter & in Villis Tambach & Dietarts, cum omnibus ipsorum apendiciis, scilicet Pratis, pascuis, agris, cultis & incultis aquis, aquarum decursibus, piscaturis, silvis, lignis, cum aliis omnibus pertinenciis, quocunque nomine seu vocabulo censeantur, prout illa Heinricus de Meildingen miles in feodo a nobis tenuit, & possedit, renunciamus, simpliciter & in toto. Et illa omnia universa & singula sine deminutione, sine differentia, ob honorem Dei, suæque genetricis Virginis Mariæ offerimus & in proprium erogamus, volentes ipsam Ecclesiam & Conventum de hiis bonis ac proprio ubicunque indiguerint locorum, plenarie Warandare, nec in hiis ab aliquo impediri. Præterea eadem liberalitate, & gratia, Ecclesiæ eidem, & Conventui vallis Sancti Georgii jam dictis proprietatem conferimus in bonis quæ a religiosis Viris de Reinhersborn de nostra permissione & licencia sive etiam in aliis possessionibus aut bonis ubicunque sitis quæ hactenus nostris temporibus sua providentia compararunt. Vt autem hæc nostra tam solempnis donatio majori perseveret vigore, nec alicujus calumpnia generis valeat infirmari, præsentem divalem desuper confectam paginam nostrorum fecimus communiri robore sigillorum. Hujus rei & facti testes sunt Hermannus Strantz, Hermannus de Miela, Hermannus Camerarius senior de Vanre, Theodericus de Wechmar, Ludewicus de Blankenhain. Ditmarus de Buseleibin, Hermannus de Hirsinge-

gerode. Albertus de Brandenberg, Cunradus & Johannes de Otmera fratres, & Wilhelmus Notarius, cum aliis pluribus fide dignis. Actum & datum in Wartberg. Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, tercio Kalend. Decembris, hoc est in vigilia B. Andreæ Apostoli, indictione XIIII.



NVM. XXIII.

Charta Theodorici iunioris, Thuringiae Landgravii, qua monasterium Reinhardifontanum & aliqua eius bona eximit a potestate & iurisdictione arcis seu praefecturae Tennebergensis.

Theo-


Theodericus Dei gratia iunior Thuringie Lantgravius, Orientalis Marchio, & Dominus in Groytzh omnibus in perpetuum. Facta modernorum in tempore consueverunt literarum apicibus ingeri, ne trahantur a memoriis hominum per oblivionem que semper mater erroris existit, & deducantur cum tempore per defluxum continuum temporalem. Hinc est quod ad noticiam omnium tam presentium quam futurorum apertius volumus ut accedat. Quod intuentes quia bonum est eterne felicitatis premium opere laudabili pervenire, omnem jurisdictionem, seu judiciariam potestatem, que nobis de facto vel de jure competebat, ratione videlicet hereditarie successionis vel dominii in Tenneberg, in monasterium Reinhersburn, seu villas ad idem monasterium pertinentes, scilicet Fridericherode, Aldenberge, Wigpranderode, Cumbach, Erfesrode, Lynungen, Vynsterberge & villam Steinersvirst, nec non predia eiusdem monasterii. scilicet Espenevelde, Ovve, Egenboldesbach, Bassenrod & Snepffenthal appropriavimus seu in proprium dedimus eidem monasterio in Reinhersburn, in remissionem nostrorum peccaminum, ob reverentiam & honorem Dei, & sue matris Marie virginis gloriose sanctique Johannis Evangeliste, cum omni utilitate pariter & honore quibus ad nos per tinuisse dinoscitur eadem jurisdictio seu potestas, tollentes ab inde omnem libertatem nostri Dominii & quorumlibet successorum nostrorum, videlicet quod nec

nos

nos, nec advocati noſtri, aut eorum Bedelli in prefatis monaſterio, & ſuis villis, ſeu prediis habeamus aliquid jurisdictionis judiciarie poteſtatis. Adiicimus etiam ſupradictis: Quod ſi aliquis advocatorum noſtrorum vel officialium dictum monaſterium aut bona - - - - - - - ario in libertate ſua preſumpſerit aliqualiter conturbare, licitum ſit Domino Abbati & Conventui memorati monaſterii, vel eorum hominibus, jure repetere, aut ſi potuerint prohibere. Preterea huic ſcripto duximus annotandum. Quod ſi caſtrum noſtrum Tenneberg vendere, vel obligare, aut feodare, ſeu quocunque modo alienare nos contigerit, propter horum quodlibet idem monaſterium in omni ſua libertate nullatenus conturbetur, & privatum jus ſibi per nos donatum absque diminutione qualibet obtinebit. Si autem nos dicto Abbati ſeu monaſterio quingentas quinque marcas puri argenti perſolverimus, in feſto beati Michaelis proxime nunc venturo, vel deinceps infra annum, prefata appropriatio ſeu donatio quam in his ſcriptis fecimus, inanis erit & irrita, & carebit omnimoda firmitate. Si autem ipſam pecuniam infra preſcriptum temporis ſpatium non ſolverimus, predicta libertas robur habebit perpetue firmitatis. Super quo preſentem literam conſcribi fecimus, & ſigilli noſtri munimine roborari. Actum & datum in Gotha, preſentibus Viris nobilibus. Heynrico Comite de Stalberg, Heynrico advocato de Wyda, itemque Rudolpho pincerna de Dornburg, Johanne de Gegbiowe, Heinrico de Arnſtete, Bernardo de Ulleybem militibus, Heinrico de Loucha, & quampluribus aliis

H fide

fide dignis. Anno Domini MCCCVI. quarto Kalend. Marcii.



NVM. XXIV.

Wy de Rad tho Eimbecke bekennet openbar in dussem Breve under unser Stad groten Ingesegel, dat wy mit Willen unde Fulborde unses olden Rades, unser Gildemestern, unde alle der yenen, der uns dar vorder noth unde behoff tho was, van unser Stad Borger unde Gemeynheyt wegen hebben vorkoft, unde vorkopen in macht dussen open Breves vor Tweyhundert gude fulwerighe gheneme Rynische Guldene, de in eyner hovetsume uns an bereidem Golde ful und alle vvol to Dancke betalet sin, de wy vord in unser Stad Nut unde gemeynen Fromen gewant und uthgegeven hebbe, sesteyn Pund Peninge guder überighen Geldmünthe, de bynnen unser Stad gheneme ghinge und gheve is, yerliker Renthe plichtlich to gewende van unser Capellen unde Schotkamern up unseme Radhusse, uth unser Stad Schote, unde andern unser Stad gemeynen reidesten Gütern Renden unde Upkomen alle yarliken uppe de hilligen Dage tho Passchen dem Ersamen *Albrechte VVelegen* Borgere tho Ganderssen unde synen rechten Erven edder holdem dusses Breves mit Orkunde ores gudes Willen. Doch hebben wy uns unde allen unsen nakommenn fulle Macht hirinne beholden, dat wy de vorgeschr. sesteyn Pund yerliker Renthe vor tweyhundert gude fulwerighe gheneme Rynsche Gulden mogen wedder affkopen tho allen wan wy willen, dest wy one dat erst vorkundigen, unde witlick don in unsen schrifften eyn verdel Jares tovorn, unde one denne de gunten hovet summen mit allen verseten Renthen bynnen Ganderssen wol to dancke betalen unde weddergeven sunder alle Indrachte, List unde Geverde. Dat. anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tercio feria secunda post Dominicam Quasimodogeniti.



SEMICENTVRIA BVLLA
RVM RARIORVM, ATQVE MON
MENTORVM AD ILLVSTRANDAM R
MANORVM PONTIFICVM HISTO
RIAM FACIENTIVM.

NVM. I.

Gregorii VII. expoſtulatio cum Henrico T dentino Epiſcopo.

Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, frat Coëpiſcopo Tridentino, Heinrico, ſalutem & a ſtolicam benedictionem. Miramur fraternitatis prudentiam verba noſtra neglexiſſe, vt ſecundum nullum decreveris dare reſponſum, maxime cum ſinodalem ſententiam in Heinricum Regem prola dilectio tua minime differre debuerit; ad cuius ni

r

rum ſententie promulgationem nos iuſtitie zelo impulſos, & non aliqua promotione iniurie concitatos manum exercuiſſe, neque ſolertiam tuam ignorare, neque aliquem ſane mentis hominem putamus poſſe ambigere. Quod tamen ſi in dubium cuiquam deveniret, conſtat eius rei rationem prius ex nobis fore ſcrutandam, quam in illum preiudicium factum temere eſſe credendum. Verum, vtcunque ſeſe opinio habeat, factumve interpretetur, illud procul dubio clementia divina ſperantes promittimus, feſtum beati Petri non prius tranſeundum, quam in cunctorum notitia certiſſime clareat, illum iuſtiſſime eſſe excommunicatum. Et inde fraternitatem tuam volumus atque monemus, vt certos nos ſtudeat facere, vtrumque Deo an hominibus magis elegerit obedire, vtrumve iuſtitie obtemperando fidem Deo & ſancte Romane eccleſie obſervare, quam filiis iniquitatis herendo (*adhaerendo*) conculcare cenſuerit. Rogamus ergo atque invitamus, vt ad ſervitium beati Petri pro poſſe tuo milites mittere ſtudeas, eosque ſi decreveris mittere, Mathilde filie noſtre notificare procures, cuius ope conducti ſecure poſſint ad nos, & ſine impedimento favente Domino pervenire.

NVM. II.

Gregorius VII. Rudolphum Suevum Anti-Caeſarem, & aſſeclas eius vniverſim hortatur ad conſtantiam, deque auxilio & favore ſuo ſecuros eſſe iubet.

Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Rudolfo Regi, omnibusque ſecum in regno Saxorum commanentibus, tam Epiſcopis, quam Ducibus & Comitibus, nec non maioribus & minoribus peccatorum abſolutionem & apoſtolicam benedictionem.

Cum veritas ipſa dicat, omnium, qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, regnum eſſe celorum,

& apoſtolus clamet, neminem, niſi qui legitime certaverit, poſſe coronari, nolite, filii mei, in hoc, qui vos iam multo tempore exagitat, bellico furore, deficere. Nolite per vllius fallentis perſone mendacia de noſtro fideli adiutorio dubitare. Sed magis magisque pro tuenda veritate eccleſiaſtica, pro defendenda veſtre nobilitatis liberalitate (*libertate*) labori finiendo incumbite, & ex adverſo aſcendendo, vos & corpora veſtra quaſi murum pro domo Dei opponere ſatagite. Quicquam iam in duabus ſinodis noſtre conventionis de Rege Rudolfo, & de Heinrico ſtatutum, quidque ibi de pace & concordia regni & cum iuramentis ſit diffinitum, per litteras noſtras, & per legatos noſtros, niſi forte capti ſint, apertiſſime poteſtis agnoſcere, &, ſi quid adhuc remanſerit, per Epiſcopos, Metenſem, & Patavienſem, & Abbatem Auguſtenſem, qui nobiſcum finem rei preſtolando morantur, cum ad vos ipſi pervenerint, quaſi in promptu habetis audire. Poſtremo hoc vos ignorare nolumus, quia omni qua oportet inſtantia, tum orationis noſtre aſſiduitate, tum officii noſtri gravitate & proſpiciendo conſulere, & conſulendo proſpicere veſtre neceſſitati non dubitamus. Audivimus de veſtro Archiep. Magdeburgenſi indiſciplinatam quorundam eiusdem eccleſie filiorum pro acquirendo ſeculari ambitu & honore obortam fuiſſe contentionem, & eorundem, quod etiam erubeſcendo dicimus, bonam & convenientem ad hoc opus non eſſe converſationem, quos modis omnibus ex precepto Dei omnipotentis, & ſancti Petri, & noſtro, ne ſibi in locum damnationis culmen arripiant regiminis, prohibete, & Dei dignum diſpenſatorem, prout ius poſtulat & ordo, cum noſtra voluntate & apoſtolica benedictione, & communi omnium bonorum, tam clericorum, quam laicorum electione diſponite. Vos enim ipſi noſtis, quod in conſtituendis Epiſcopis neglecta ſanctorum patrum inſtituta, hunc, qui modo funditur, ſanguinem genue-

nuerint, & adhuc nisi provideantur, peiores prioribus errores fovendo parturiunt.

NVM. III.

Epistola Vrbani II. ad Clerum & populum Halberstadensem, de confirmatione Herrandi, seu Stephani, Halberstadensis electi.

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, clero & populo Halberstetensi salutem & apostolicam benedictionem.

Non exigua salutis vestre iactura perpenditur, quod tamdiu ecclesia vestra pastoris solatio destituta. Venerabilis siquidem filius noster H. qui & Stephanus, quem communi assensu secundum sanctorum canonum scita in pontificem vobis elegaeratis, scismaticorum vi cogente, partim dolis & blandiciis, partim terroribus & minis, a vestra est ecclesia contra sanciones canonicas & consuetudines ecclesiasticas exturbatus. Neque enim licuit susceptam semel iuste & canonice pro apostolice sedis obedientia electionem sine apostolice sedis licentia & permissione deserere. Respexit tamen vos superne miserationis dignatio, cum eum ad sanctorum Apostolorum limina & ad presentiam nostram venire concessit. Nos igitur, quibus licet indignis pro apostolorum principis vice ac loco cunctarum per orbem ecclesiarum cura ac dispositio cernatur imminere, ipsius electionem iustam atque canonicam cognoscentes, presentisque temporis necessitatem, qui a sancta Mogontina sede consecrationem suscipere in tanta scismaticorum tempestate non posset, considerantes eum in prima primorum apostolorum principis sede, annuente Domino consecravimus, consecratum ad vos cum litterarum presentium comendatione remittimus. Vos itaque antique fidei & obedientie memores tanto eum devotius alacrius suscipite, quanto amplius vos

veſtre ſalutis, & fidei veſtre apoſtolice ſedi debitores eſſe cognoſcitis. Sanĉte ſiquidem memorie noſter in ſede apoſtolica predeceſſor G. primum veſtre gentis Archiepiſcopum Bonifacium pallio donans, vicis ſue auĉtoritate corroborans, veſtre religionis inſtruxit ecclesias. Et nos igitur diuturnam veſtre ecclefie deſolationem pro noſtri officii debito perpendentes, hunc ad vos ſalutis veſtre dirigimus inſtruĉtorem. Omnipotens Dominus apoſtolorum ſuorum meritis vos a peccatis abſolvat, & externe vite conſortes efficiat.

NVM. IV.

Urbani II. Epiſtola ad Ruthardum Moguntinum, de Ottonis Bambergenſis Epiſcopi conſecratione.

Urbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei R. (*Ruthardo*) Moguntino Archi-Epiſcopo ſalutem & benediĉtionem.

Quantum a ſue inſtitutionis exordio Bambergenſis eccleſia ſedi apoſtolice familiaris extiterit, prudentie tue notius exiſtimamus. Congruum igitur duximus, vt venientem ad nos venerabilem fratrem noſtrum O. (*Ottonem*) Bambergenſis ecclefie eleĉtum, cum preterite familiaritatis gratia ſuſciperemus. Preterea quoniam eccleſia per diuturna iam tempora Epiſcopalis officii ſollicitudine caruit, & propter preteriti ſcismatis vltiorem in Teutonici regni partibus perpauci Epiſcopali funguntur officio, iuxta ipſius poſtulationem eidem fratri cum per multa ad nos pericula perveniſſet, conſentientibus, & vnanimi ſententia decementibus omnibus, qui nobiſcum aderant, fratribus, Episcopalis benediĉtionis manum domino largiente contulimus, ſalva nimirum debita tue metropolis reverentia. Eum igitur ad vos cum gratie noſtre dulcedine remittentes fraternitati veſtre litteris preſentibus commendamus, vt quan-

quanto ſedi apoſtolice familiarior creditur, tanto apud vos carior habeatur.

NVM. V.

Paſchalis II. Epiſtola ad Clerum & populum Merſeburgenſem de Gerhardi Epiſcopi electione & expulſione iniuſta.

Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei clero & populo Merſeburgenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Lator preſentium G. (*Gerhardus*) confrater noſter, cum duobus eccleſie veſtre clericis & totidem laicis, ad noſtram preſentiam veniens, ſe a vobis communi conſenſu electum aſſeruit, preſentibus & collaudantibus Metropolitano Magdeburgenſi, & ſuffraganeis eius. Ceterum poſthec nullo praeeunte iudicio, quaſi ex precepto noſtro ſe per Archi-Epiſcopum eundem conqueſtus eſt ab eccleſia & electione ſua violenter expulſum. Unde nos ad Archi-Epiſcopum ipſum, & comprovinciales Epiſcopos literas miſimus, vt, que ſuper hac cauſa iniuſte acta ſunt, corrigantur. Neque enim noſtre voluntatis eſt, vt cauſa eiusdem fratris preiudicium patiatur. Data Rome VI. Kalend. Novembr.

NVM. VI.

Epiſtola eiusdem argumenti ad Adelgotum Magdeburgenſem Archi-Epiſcopum.

Paſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus A. (*Adelgoto*) Magdeburgenſi Metropolitano & ſuffraganeis eius ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Veniens ad Apoſtolorum limina confrater noſter, Merſeburgenſis electus, ſuam apud nos querelam expoſuit, quod videlicet a clero & populo Merſeburgenſis eccle-

ecclesie electus sit presentibus & collaudantibus vobis, & in ea sacerdotis officium vestra ordinatione susceperit. Posthec nullo praeeunte iudicio non solum Episcopalis ei sit gratia benedictionis denegata, sed ab eadem ecclesia quasi ex precepto nostro violenter sit expulsus. Nos igitur eum ad fraternitatis vestre presentiam cum litteris presentibus remittentes, precipimus, vt idem frater plenius electioni huic & ecclesie restituatur, (&) mox secundum canonicas sanctiones cause eius presentie vestre iudicio decidantur. Quod si iudicii apud vos difficultas emerserit, cum communibus fraternitatis vestre litteris & nuntiis ad examen apostolice sedis causa eadem remittatur. Data Rome VI. Kalend. Novembr.

NVM. VII.

Andriani IV. invectiva in Fridericum I. Imp.

A. (*Adrianus IV.*) Episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus H. (*Hilino*) Treverensi Episcopo A. (*Arnoldo*) Mogontiensi, F. (*Friderico*) Coloniensi cum omnibus suffraganeis vestris salutem & apostolicam benedictionem.

Quoniam absque quiete animi nemo potest gratum Deo impendere famulatum, nos quamvis inquietassent verba rapsacis, tamen minus non impendemus animi famulatum verba inquam, quibus nos blasphemavit & contradixit ille, cuius manum apprehendit regulus, & in cuius subsannatione saltavit camelus, & qui gloriatur vt accinctus, dum sit discinctus. Nos, qui habemus arma spiritualia, & habemus potestatem claudendi super eum, dumque lingua nostra clavis sit celi, nobis arma tenenti omnia dat, qui iustitiam negat, Cauda etenim titionis fumigantis est, & avertere debemus ab eo oculos sane mentis nostre, ne dum suffumigati fuerimus a fumo sue iniquitatis, minus intendere possimus,

mus, quomodo celeſtis nauta de profunditate ſui conſilii ventos concitat, mare conturbat, miniſtros excitat, pigros a torpore ignavie revocans, & ceteros, qui in fine ſunt ſtabiles & perſeverant, remunerans, & ita ſemper remigante, navis, que eſt ſtatus ecclefie, vbi ipſe Chriſtus ſemper gubernator preeſt, inter fluctus ſeculi in portum quietis vnice deducitur. Infatuatur nempe conſilium Architophel, dum liberatur David de manibus Abſalon, quia non eſt ſapientia neque conſilium contra Dominum. Gloria igitur ſit in altiſſimis Deo, quia fideles inventi eſtis & probati, dum muſca Pharaonis de puteo abiſſi excuſſa, & a vento turbinis exagitata, dum obumbrare ſolem nititur, in pulverem terre redigitur. Dabit vobis, fratres mei, dominus per omnia intellectum, vt intelligatis neceſſariam eſſe deviſionem ſpiritus & anime inter nos & Regem, cuius pars eſt extra hereditatem domini. Sciſma enim, quod adverſum nos commovit, redundabit in caput ſuum, quia comparatus eſt draconi, qui niſus eſt volare per medium celi, trahens terciam partem ſtellarum in cauda, ſe ipſum dedit in precipitium, hoc ſuis ſequacibus relinquens, vt omnis, qui ſe exaltaret, humiliaretur. Hinc eſt, quod malleus veſter vulpis foveam habens, cupit demoliri vineam domini. Sed hec vulpecula capienda eſt & abigenda, dum inſenſatus ſe erigit, & extollit adverſus eccleſiam domini, & non timet eum, qui aufert ſpiritum principum, & ingratus eſt beneficiorum Dei, quia cum dignus non eſſet, vtpote genus iniquum, ſemen nequam, filius ſceleratus, meruit a nobis in Regem coronari. Ipſe enim in primo introitu ſuo, dum nos de promotione ſua per Ducem Saxonie, & per vos duos Metropolitanos, Trevirenſem, & felicis memorie Colonienſem conveniſſet, quidquid promiſit, vos ſcitis ſi perſolvit. Immo totam vrbem adverſus nos concitavit, quia, dum nos in ſimplicitate noſtra feciſſemus, quod noſtrum erat, ipſe immemor iuramenti, fidei, & pactio-

pactionis, dum per omnia mentitus nobis eſſet, vtrobique nos offendit, dum nec ſolvit quod debuit, & ſanguinem Romanorum, quem habunde in nos fudit, cervici noſtre impoſuit, quia quod fecit nobis impoſitum, quaſi nos illum evocaviſſemus ad occiſionem civium noſtrorum, in quorum medio nos habitamus, & inter quos adhuc nequidem tuti ſumus, dum ſanguis ille clamet adhuc de terra. Cum hec omnia ita ſe habeant, erigit ſe adverſum nos, retribuens nobis ſicut prius mala pro bonis, & odium pro dilectione, quia, dum ipſi nobis non pepercimus, ſed illum contra honorem Dei in honorem regni exaltavimus, non gratias egit, ſicut debuit, ſed Deo rebellis, immo nobis odibilis erit a modo nobis vt ethnicus, & publice feriemus eum anathemate. Chaos autem, vnde nobis ſcripſiſtis, quod inter nos & vos confirmaverit, ad confuſionem ſui deveniet, quia certos vos habemus, quod propter eum matri veſtre, ſancte Romane ecclesie, cuius lacte nutriti eſtis & cuius cibo adhuc ſuſtentamini, non contradicatis, neque ſubterfugium faciatis, ne involvamini peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael, & ecce plus Ieroboam hic! Sicut ille fornicari fecit Iſrael, erigens altare Bethel contra altare Iheruſalem, ſic iſte deviare volens, iugum iniquitatis ſue conatur vobis imponere, & vos in ruinam damnationis ſue trahere, ſed vos ne adquieſcatis ei, ne patris ſententia feriamini, iuxta illud: non ſolum qui faciunt, ſed & qui conſentiunt facientibus. Iactitat ſe parem nobis, quaſi poteſtas noſtra in ſolo ſuo angulo, videlicet in Teutonico regno, & non in aliis regnis eque timeatur, amplectatur, diligatur; cum ante dies antiquos & annos eternos, quos in mente habemus, ipſum Teutonicum regnum, cum eſſet minimum omnium regnorum, ab apoſtolica ſede & auctoritate promeruit, vt vocaretur & eſſet regnum Romanorum, caput omnium regnorum. Nonne tranſlatum eſt imperium a regno Graecorum in Alemannos,

vt

vt Rex Teutonicorum non antequam ab Apoſtolico conſecraretur, Imperator vocaretur, & eſſet Auguſtus, & eſſet Advocatus Petri, non perſecutor Petri. Et ecce! iſte non Advocatus, ſed proſecutor Petri. Notate verba: ante conſecrationem ſolummodo Rex, poſt conſecrationem vero Imperator & Auguſtus. Unde ergo habet imperium niſi a nobis? Ex electione principum ſuorum videlicet Teutonicorum, habet nomen Regis, & non Imperatoris; ex conſecratione autem noſtra habet nomen Imperatoris, Auguſti, & Ceſaris. Ergo per nos imperat. Recolite queſo, antequam Zacharias, benedixiſſet Karolum illius nominis ſecundum, quales Reges Theutonici habebantur; qui in carpento boum ſicut philoſophi circumferebantur, ſicut Hildericus & ſui anteceſſores. Quam glorioſus erat Rex Alemannorum, dum in carpento boum quaſi Archiſynagogus reſidebat, & Ducem ſuum, qui tunc Majordomus vocabatur, tractare regni ſui negotia videbat. Rex miſer erat, qui nil aliud habebat, quam quod ei Major domus ſue diſponebat. Hec a primis diebus Teutonici regni iura, quousque Zacharias a Deo miſſus, qui vocat ea, que non ſunt, tamquam ea que ſunt, promotum Karolum in Romanum Imperatorem, & fecit ei nomen grande iuxta nomen magnorum, qui in terra fuerunt, vt ex nunc Rex Teutonicorum Imperator eſſet & Advocatus Apoſtolice ſedis, vt comicie, que pertinent Apoſtolico in tota Apulia per eum omnes pacate eſſent, & ita, cum fortis armatus Imperator cuſtodiret atria Apoſtolici in pace, in pace omnia eſſent, que Apoſtolicus poſſideret, cum tota noſtre auctoritati Apulia ſpectet & non ſue. Diviſum itaque habemus, non cis Alpes, ille trans Alpes. Nonne habet ſedem ſuam Aquis in Arduenna, que eſt ſilva Gallie, ſicut & eſt noſtra Rome, Quanto Roma maior & dignior eſt veſtro Rege? Et unde, quod ſe parem nobis facit, cum totum quod habet ex nobis habet. Eadem auctoritate, qua Zacharias conſecravit Ka-

Karolum, & tranſtulit imperium de Graeco in Teu-
nicum, nonne & nos poterimus converſam facere,
perium, quod tamen ex Teutonicis Regibus anni
latum referre de Teutonico ingratum. Ecce in p
ſtate noſtra, vt demus illud, cui voluerimus. Propte
conſtituti ſumus ſuper gentes & regna, vt deſtruam
& evellamus, & edificemus & plantemus. Auctor
Petri talis eſt, vt, quidquid a nobis digne riteque
non a nobis, ſed a Deo fieri credatur. Et quid erit
digne & rite imperium, quod a nobis Teutonicis
latum, & ab eis conculcatum, a nobis quo voluerim
transferatur? Numquid divine diſpenſationi aſcri
tur, cum per nos, miniſterium ſuum hoc operat
Sicut tunc reputatum, quando ab anteceſſoribus
ſtris ablatum Graecis, & datum Teutonicis, ita & nu
ſi aufertur Teutonicis, & datur ſitienti ſecundum
men ſuum; ita & opus ſuum. Quia gloriatur Rex
ſter, quaſi potens in potentia ſua, quaſi poſſit im
rium revocare ab exteris nationibus, cum vix aliqu
de principibus ſuis, qui forte calcaneum ſuum co
eum levaret, poſſit armis compeſcere. Numquid
peratores Teutonici potuerunt evellere Rucherum
Sicilia, ſive de Calabria & Apulia? Numquid pot
& iſte eruere eadem, de quo vera poëſis eſt:

Parturiunt montes; naſcetur ridiculus mos:

de manibus filii eius, qui nomen quidem Regis non
buit, ſed tamen factis exequitur. Qualiter conſtrin
Greciam, dum non potuit ſubiicere Daciam? For
itaque Grecia quam Dacia. Et quomodo poſſit long
quum armis impetere regnum, dum Freſiam per
virtutis ſue, & robur exercitus ſui, Ducem videlicet
xonie & Bauvarie non potuit alio anno debellare? c
tamen rudis populus Freſie gens ſit ſine conſilio
ſine prudentia. Hec vobis ſcripſimus, vt Regem
ſtrum, qui mente exceſſit, ad cor revocetis, vt &
vos in reconciliationem noſtram veniat, qui per vo
no

nobis multum deviaverat, quia non expedit fraternitati vestre, si scisma erit regni & ecclesie. Data Lateranis XIIII. Kalend. Aprilis, anno ab incarnatione Domini MCLVIIII. Indict. quarta.

NVM. VIII.

Scribit Papa Gregorius IX. in generali vniuersis Christianis qui transfretare non possunt in subsidium terre sancte, vt sibi mutuum conferant auxilium contra barbaras naciones.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei &c. Alto divine dispensacionis consilio agitur, vt conversi ad Dominum persecutiones sustineant & pressuras, Israëlem exeuntem Egyptum acrius, Pharao persequatur, in cuius conspectu in terram promissionis errantes assumpsit Deus magnus, & contribit (contrivit) naciones. Nolens, quod ocio effeminati torperent, sed habentes cum quibus se ad prelium exercerent certando legitime glorie coronam acciperent post triumphum. Tribulatio namque virtutum adiutrix, vt aurum fornax probat electos, partaque tuetur & auget. Nam vexacio excitat intellectum, & ocium tribuit viciis incentivum. Ad hoc ergo dominus, qui mala non permitteret fieri, nisi eliceret bonum inde, suos permittit exterius tribulari, vt se totos interius colligentes, suam imbecillitatem agnoscant, & in conspectu Dei humiliantes se ipsos, ab eo auxilium prestolentur non pacem corporis, sed pocius pectoris expectando. Aliam quoque causam nos exhibet dulcedinem pietatis, in eo quod reservat fidelibus suis hostes, quos possit conterere solo verbo, vt ad vite premia fatigati temptacionibus gloriosius attollantur, quos de tenebris exutos nituntur ad tenebras persecutionibus revocare. Cum igitur plures vestrum exsistant, qui cum debilitate virium, tum rerum defectu non audent hume-

humeris ſuis affigere ſignum crucis, in terre ſancte ſubſidium profecturi, eis in remiſſionem iniungimus peccatorum, quatenus mutuum ſibi conferant auxilium contra barbaras naciones, pro populo Chriſtiano tam ſpiritualibus armis quam materialibus pugnaturi. Ut per hoc & alia bona que fecerint a bonorum omnium largitore conſequantur graciam in preſenti, & gloriam in futuro & in ſingulis oportunitatibus ſuis nos inveniant favorabiles & benignos.

NVM. IX.

Scribit Papa quibusdam, quod, cum intellexit quendam laicum gladio vulneraſſe quendam Abbatem, & tantum crimen gravem penam requirat, & Epiſcopus in civitate & dioceſi ſua eundem tamquam excommunicatum & ſacrilegum mandarit artius evitari, evitent ipſum, nec recipiant in eorum hoſpiciis, aut quomodolibet cum eo communicent ſeu participent.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum &c.

Si enormitas ſceleris vagari permitteretur impune, ſi culpe crudelitas cruciatus aculeos non haberet, niſi vindicte limes excedentium opponeretur offenſis, niſi decurſus iniurie, pene formidine clauderetur, adeo ſevitia ſe extenderet iniquorum, & malignorum iniquitas prevaleret, quod omnem innocenciam equitatis obrueret, & religionis opprimeret honeſtatem, vexaret quietos, & omne ſalutis obſequium perturbaret. Sicut ergo in virtutibus dinoſcitur ſe habere, vt vbi maius meritum, & altior gradus invenitur, ibi merito debeantur premia pociora, vt maior virtus, maioribus premiis honorata, homines ad maiorem ſui alliciat amplius & invitet; ſic etiam equa reſpondet proporcio ex ad-

adverſo, vt, vbi profundior culpa, pena digne maior & gravior ſubſequatur, vt culpa ipſa, pena debita caſtigata, ſe ipſam fugiendam oſtendat, & nullam delinquendi blandiatur audaciam impunitam. Accepimus autem, quod pocius dignum eſt querulatu, G. laicum, ab humani generis inimico in talem fuiſſe temperitatis audaciam devolutum, quod in virum venerabilem Abbatem trium phoncium (trium fontium) vtique religionis honeſtate timendum, gratum, moribus, & multiplicis ſciente gracia venerandum, divino timore & humano pudore poſtpoſitis, abiectaque reverentia ſanctitatis tamquam tenebrarum filius, manus incutiens temere violentas, ipſum lucis filium, non timuit gladii percuſſionibus agitare, eum nihilominus per eos, qui ſecum aderant, eiici de equo ſuo impie faciens, & inique, & alias eidem, ac ipſius monaſterio damna gravia & iniurias inferendo. Cum igitur, tantum crimen gravem penam deſideret & requirat, vniverſitati veſtrum, qui eſtis iuriſdicionis eccleſiaſtice in virtute obediencie, & vobis laicis, ſub pena excommunicacionis diſtricte precipiendo mandamus, quatenus cum Epiſcopus - - propter hoc excommunicatum publice nunciaret, & tanquam ſacrilegum, tam in civitate quam in dioceſi ſua mandaret artius evitari, ſicut in ipſius patentibus litteris dicitur contineri; & vos ipſi, iuxta earundem litterarum tenorem, ſingulis diebus dominicis & feſtivis denunciantes, & facientes in veſtris eccleſiis & ſpecialiter in eccleſia talis loci ſimiliter nunciari, evitetis ipſum, & faciatis a veſtris omnibus arcius evitari, talem ſacrilegum in hoſpitio nullatenus admittentes, nec communicantes cum eo, bibendo, vel comedendo, ſeu etiam matrimonium contrahendo.

NVM. X.

Scribit Papa Peruſienſibus, redarguendo eos de quodam edificio per eos incepto, contra mandatum

datum ecclesie, vt cuidam legato suo efficaciter pareant, & demoliri debeant omnino edificium per eos iam inceptum, alioquin sciant, se dedisse prefato legato firmiter in mandatis, vt in rebelles ferat sententiam excommunicationis.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei, consulibus & Populo Perusiensi spiritum consilii sanioris.

Per usum gracie, affeccionis iusticiam, & beneficiorum sequentia, que de matris ecclesie liberali dextra dudum recepit civitas Perusina, fide preclara, devocione conspicua, & obsequio placida deberet asidue reperiri. Sed ecce perceptarum immemor graciarum, quasi eius incolis sint oblivionis pocula propinata fel pro melle, pro pane lapidem, & pro ovo tribuit scorpionem, dum iterato monita, & etiam iussa, verbum pacis, dileccionis & concordie reverenter audire, & retinere fideliter, & laudabiliter exequi non curavit, illa stulte cogitans, superbe incipiens, & persequens imprudenter, per que Christum offenderit merito, in iram provocatur & ecclesia, & graviter proximi conturbantur. Certe ni aliquos affectus fallacia forte sustineat, vel seducat, communi iudicio super hiis incaute proceditur. Si novissime diebus istis per nos facta gracia in medium producatur, illam quidem cum plurimorum relatibus, vbi nostri vicarii quasi iugiter exponamus, libenter vellemus sub silencio preterire. Sed quia nonnumquam contumacie immanitas importuna excludit pacienciam a sinceris pectoribus & tranquillis, illa quoque inviti cogimur, explicare, cum sic in desiderio nostro potissimum benignitatem sedis apostolice sit effundere circa filios ecclesie speciales, vt nobis omnino silentibus alii qui nutu illam percipiunt, vel auditu referunt, ad culturam devocionis exurgant. Scitis enim, nisi serio ignorare velitis, quod cum perdicione rerum

per-

personarum interitu, & animarum periculis essetis adeo miserabiliter involuti, quod civitas vestra desolacionis subire discrimina timebatur, misericors ecclesia benevolencia consueta desudans, afflictorum relevare miseriam, multa & diversa erga illam exercuit opera pietatis, suscipientibus vobis incognita, & nobis conferentibus non ignota, per que cum ipsa, civitas votive reparacionis munera non obtineret ad plenum, surrexit mater induta fortitudine, ac virtute precincta, properans ad presenciá filiorum, vt eos a perdicione redimeret, & ipsorum perdita restauraret. Hec enim auctore Christo, nedum indigenis scientibus, sed eciam peregrinis, & taliter sunt effecta, quod civitas ipsa, quia demolita vinea videbatur, nunc sicut amenitas agri pleni fertiliter, deliciis omnibus habundare. Sed ecce quam tedeat vos prosperitate potiri; ad instar venuste arboris, que graviter onusta fructibus, nimis prepondere nutans, flexionem patitur & fracturam, in precipicium, probrose irruitis, qui discrecionis lumine careatis, adtendere non curantes, quod in flammam sponte ruere a fatuitatis specie non discedit. Quis enim vobis, qui pre filiis hominum ecclesie beneplacita devocione promptissima prosequi deberetis, tante spiritum infudit vertiginis, vt inhibicionem dilecti filii, Hostiensis electi, & penam tam nobis, quam sequacibus nostris mandantibus, vobis impositam, de nullo edificio in loco vbi dicitur in colle faciendo improvide contempnentes, presumptione dampnabili edificare cepistis, non absque contemptu nostro, & ecclesie Romane iniuria manifesta. Porro si prudenter attenditis, quem profectum, immo quod dispendium temeritas huiusmodi sortiatur, cum voluntati nostre sit penitus alienum, quantumcunque vos diligere teneamur, id eciam si pacientia nostra permitteret, que esset pocius discriminis quam commodi productiva, nullatenus faceretis. Nonne scitis, quod collata celitus virtus ecclesie, illo pro ipsa pugnante, qui

cuncta palma concludit, & ſolo nutu concutit vniverſ
exceſſus veſtros gravi pena poteſt corripere, & proce
ſus veſtros triumphanti dextra revocare? cur ergo r
gati protrahitis, quod vltronii facere deberetis? c
damnoſe proſequendum aſſumitis, quod nullaten
poſſe ſubſiſtere bene ſcitis? Non vos ſeducat impro
voluntatis arbitrium, ſed provide dirigat concilium r
cionis, ſtudentes in id ipſum ducere gratis; quod i
ſticie ſtimulate neceſſitas vos compellet efficere, rigo
coacte penitencie ſubſeqvente. Id autem, quod abſ
ſi ſuperbia procurante non contingat accidere, pot
noſtra eccleſia, quam pro debito vlcionis gravi expe
gencia ſencietis, hiis qui ſunt in circuitu veſtro in ſu
ſanacionem eritis & deriſum. Aſumat ergo veſtra d
crecio pia vota monentis eccleſie animo reverenti. A
mat providencia ſpeculum noſtre parate percute
neſcie miſereri dilectum filium magiſtrum Bartho
meum, notarium noſtrum, honeſtatis & ſciencie titu
inſignitum nobis & fratribus noſtris acceptum, ſue m
rito probitatis, qui honoris noſtri appetens incremen
ta civitatem veſtram affectu complectatur ſpeciali,
vos providimus deſtinandum, vt eius conſcilio & ex
tatione prudenti, ad exequenda mandata matris ec
ſie, celeriter & viriliter exurgatis. Ideoque vniverſi
veſtre ſub debito fidelitatis, & pena mille marchar
diſtricte precipiendo mandamus, quatenus eidem m
giſtro, ymo nobis in ipſo intendentes, humiliter &
vote, ipſius conſciliis, monitis & preceptis, efficac
pareatis, verbis, que in ore ſuo pro ſalute veſtra po
mus, fidei plenitudinem praeſtituri, ita quod omni
ditate ac excuſacione, ſublatis demolientes omnino
ficium iam inceptum, edificare ſtudeatis ſuper fun
mentum devotorum & fidelium, qui merentur favo
eccleſie fructuoſum. Alioquin ne credamur vbe
tem errandi vobis noxiam indulſiſſe, qui errata de
quencium correccione ſalutifera iugiter caſtigan

nisi pro eis penitencia voluntaria intercedat, prefato magistro dedimus firmiter in mandatis vt tam in omnes, in locis predictis edificia construere presumentes auxiliatores, consciliatores, & in hac fautores, quam omnes illos eciam, qui se illuc contulerint, ibi habitaculum habituros, ac sacerdotes & clericos, ad loca eadem accedentes, perpetua suspensione damnatos, quos quibuscunque bonis, que intra ecclesiam obtinere noscuntur ipso iure volumus esse privatos, ac eadem bona iuribus ecclesiæ decrevimus esse applicanda, excommunicatos, denunciet, & denunciari faciat, & vsque ad satisfaccionem condignam ab omnibus arcius, evitari, predicta pena mille marcharum per vos suo tempore nihilominus exigenda. Ceterum iudices, advocati, tabelliones, qui tante temeritati aliquod conscilium, auxilium, vel favorem prestare presument, officio suo noverint se privandos, & vt qualitati culpe quantitas pene respondeat, nisi super premissis nostro beneplacito pareatis terram vestram, appellacione remota, per eum supponi volumus ecclesiastico interdicto.

NVM. XI.

Scribit Papa Imperatori, quod nimis iniqua vicissitudine videtur altissimo respondere, quia cum ipsum magnificet & exaltet, ipse manifeste conatur iniuriari eidem, ministros eius publice persequendo, & cum sibi iam semel scripserit, vt que per eum temere fuerant, attemptata, provide revocaret, quod facere recusavit, iterato sibi scribit, vt prefato Episcopo (Ternensi) & aliis ecclesiis Fesulanis satisfaciat plenarie de dampnis illatis & iniuriis irrogatis, nec attemptet vlterius alia gravamina contra eos.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei &c.

Nimis iniqua vicissitudine videmini altissimo respondere, quia, cum vos magnificet & exaltet, vos eidem iniuriari conanimi manifeste. Non attendentes, quod si non irascitur per singulos dies in vos, tamen, nisi convertamini, facile vibrare potest gladium vlcionis, cum non sit qui eius possit resistere voluntati, vtpote qui respiciens terram timere facit eam, & vniverse carnis speciem potest perdere in momento. Quod namque posset apercius domino rebellare, quam ministros eius, in quibus honorari debet, publice persequentes, ecclesiarum bona, que ei speciali titulo sunt ascripta rapere in superbia & tumultu, & requisiti eciam satisfacere aspernari? Cum enim contra venerabilem fratrem Ternensem Episcopum, bonis fere omnibus spoliatum, banno X. milium librarum, sicut accepimus dampnabiliter supponentes, alia contra eum gravissima temeritate acceptaveritis abusiva, nos sperantes vos posse corripi in spiritu lenitatis, vobis salubria monita direximus & mandata, vt que per vos temere attemptata fuerant, provide revocantes, predicto Episcopo satisfaceretis de damnis & irrogatis iniuriis competenter, & ab eius molestacione de toto cessaretis. Sed vos, sicut intelleximus & dolemus, monita nostra privata contempnentes, non solum satisfacere non curastis, verum eciam literis nostris reiectis, non sine nostra iniuria latorem earum turpiter expulistis. Nec hiis contenti Ecclesias Fesulanas libris & bonis aliis ausu sacrilego spoliantes, contra memoratum Episcopum & suos, damna damnis & iniurias iniuriis cumulastis. Et sic eis litere nostre nullum attulere remedium, sed discrimen, & que relevare debuerant, facte sunt gravaminis incentive. Certe de tot illi illatis non possumus non dolere, sed multo vobis gravius condolemus, si tamen ipsi doletis, & nisi doleatis, dolemus gravissime, vos animarum vestrarum incurrere detrimenta, quibus vniversi mun-

mundi leta nequeant compenſari, adhuc autem experiri volentes, vt iteratis noſtris monitis premoniti vos a pena ſervare velitis immunes, mandamus, quatenus, non erubeſcentes illi humiliari, qui ſuperbos deprimens exaltat humiles in ſalutem, prediƈtis Epiſcopo, & aliis eccleſiis Feſulanis, ſatisfaciatis plenarie de damnis illatis, & iniuriis irrogatis, nec attemptetis de cetero alia gravia contra eos.

NVM. XII.

Scribit Papa Brixienſibus, vt transmittant eorum ſolennes ambaxiatores matura pro reformanda pace inter eos & Imperatorem ſuper prediƈtis taliter inſtruƈtos, & pro parte ipſorum plenum mandatum habentes, vt omni occaſione & neceſſitate poſtpoſitis mandatis venerabilium legatorum eccleſie Romane, quos ibidem propter hoc deſtinavit, reverenter valeant obedire.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dileƈtis filiis poteſtati, conſcilio, & communi Brixienſi ſalutem & apoſtolicam benediƈtionem.

Scitis & ſcimus, quod nos ſuper hiis, que inter imperialem excellentiam & vos ac Lombardos vertuntur, ſolicitudinem patris habentes, diverſa ſtuduerimus invenire conſilia, & experiri labores, vt eisdem finis poſſet laudabiliter annuente domino provenire. Idem autem tanto plenius & nunc efficere volumus, quanto dilacioni locus de caetero non occurrit. Et cum Kariſſimo in Chriſto filio noſtro Federico Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, Ieruſalem & Sicilie Regi illuſtri, a nobis per ſpeciales nuncios requirenti, vt ſibi ex officio noſtro aſſiſtamus, deeſſe in ſuo iure non poſſimus, qui ſumus omnibus in iuſticia debitores, quin

ymmo, quia in omnem eventum expedit, vt in tan discrimine imminenti, que ſunt cauſa diſcordie, p veſtra & tranquillitate imperii, ac pro dirigendo fe citer terre ſancte negocio divina providencia facien ſalubriter ſopiantur; ideoque preſencium vobis a ctoritate mandamus, & bona fide conſulimus, qua nus poſt ſuſceptionem earum ambaxatores veſt Mantuam transmittatis ſuper predictis ita ſufficien inſtructas, & pro parte veſtra plenum mandatum h bentes, vt omni ſubterfugio & occaſione ſeu neceſſit poſtpoſitis, conſciliis, monitis, & mandatis venerabi fratris Epiſcopi Hoſtienſis & dilecti filii noſtri T (*Thomae*) tituli ſancte Sabine presbyteri cardinalis, qu ad partes ipſas propter hoc cum plene legacionis offi providimus deſtinandos, parere poſſint in omnibus verenter, ſolicite proviſuri, vt dicti Ambaxatores p octavam ſancti Ioannis mature valeant inveniri, cu timendum ſit, quod ſi expedicio huiusmodi neg ex quacunque cauſa modo, quod avertat dominus, p ponatur, id poſſit imminere periculi, quod vix in poſ rum multis laboribus poterit aboleri. (a)

(a) Encycliam iſtam epiſtolam, provt perſcripta eſt ad Mediolanenſes, adduxit quidem Raynaldus XIII. Annalium Eccleſiaſticorum ad a. 1237. n. III. p. 447. ſed non integram. Poſtrema enim verba a *licite* vſque *aboleri* ibi non leguntur.

NVM. XIII.

Scribit Papa Bononienſibus, vt, cum pro ſedan diſcordia inter eos ſuborta, & reformanda cis concordia inter eos, quendam ſuum le tum ad eos duxerit deſtinandum, ea, que per hiis idem legatus eisdem pro parte duxerit iniungenda, recipiant humiliter obſervent.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c.

Audivimus & dolemus, quod inebriati dulcedine libertatis, in qua vos ſtudet, & ſtuduit mater veſtra ſedes apoſtolica conſervare, nec ſtatum actenditis, nec futura pericula, que ſolent ex diſcidiis & ſciſſuris contingere, formidatis, ſed quod amentes effecti matris abutimini pietate, pro eo, quod illam ſuper veſtris exceſſibus facilem ſepe ad veniam, & favorabilem forte plus debito inveniſtis. Sane cum nuper, ſicut accepimus conveniſſetis ad tractatum habendum ſuper regimine civitatis, gravis inter vos occaſione creandi rectoris, ſeminante hominis inimico, ſeditio eſt ſuborta, ita quod exinde proſilientes ad arma in vos invicem crudeliter incurriſtis. Cumque malis occurrere cupientes, que vobis & civitati veſtre poſſent ex preſenti ſcandalo imminere, dilectum filium M. de Briſia, clericum probate fidei, virum nobis & fratribus noſtris acceptum ob ſue vitae probitatem, cuius circumſpeccionis induſtria reddit ipſum nobis merito gratioſum, pro huiusmodi ſeditione ſedanda, & reformanda inter vos pacis concordia, ad civitatem eandem duximus deſtinandum, vniverſitatem veſtram monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta ſub debito fidelitatis & pena mille marcharum diſtricte precipiendo mandantes, quatenus ea, quae ſuper hiis vobis ex parte noſtra duxerit iniungenda recipiatis humiliter & inviolabiliter obſervetis. Alioquin preter exaccionem pene predicte, gratam habebimus firmam atque ratam, quam ſpiritualiter vel temporaliter dictaverit in rebelles.

NVM. XIV.

Scribit Papa Bononienſibus, quod cum ſemel & iterum eis ſcripſerit pro quodam nobili, petendo, ipſum pro ſpeciali gratia ab eorum carceribus liberari, quod facere noluerint ipſius mandatis & precibus obauditis, iterato

rogat & monet eos, vt ipſum nobilem con petentibus ſaltim receptis obſidibus, ſine m re diſpendio liberent.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis liis, poteſtati & populo Bononienſi ſalutem & ap ſtolicam benedictionem.

Miramur non modicum, quod cum ſemel & iteru vobis pro nobili viro, Comite Aginulfo direximus ſc pta noſtra, petendo ipſum pro ſpeciali gratia libera vos precibus & mandatis noſtris, quod non decuit, b auditis, id efficere non curaſtis. Quia vero dicto C miti adeſſe ſuis neceſſitatibus ſincere dilectionis aff ctus, quo ipſum complectimur, nos compellit, vnive ſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur atte te, per iterata vobis ſcripta mandantes, quatenus dilectionem, quam ad civitatem veſtram gerimus r ſpectum habentes ipſum, & familiam ſuam compete tibus ſaltim receptis obſidibus, ſine more diſpend liberetis, preces & mandatum noſtrum hac vice talit impleturi, quod idem eas ſibi ſentiat efficaciter fructu ſas, & nos propter hoc amplius ſcribere non cogamu qui cum ſimus vobis in arduis favorabiles & benign non immerito moveremur, ſi apud vos per tantam pr cum inſtantiam in hac parte proficere non poſſemus

NVM. XV.

Gregorius IX. quaedam Faventinorum one apud Bononienſes deprecatur.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilec filio, nobili viro, poteſtati conſcilio & commu Bononienſi ſalutem & apoſtolicam benedictione

Cum propter gverrarum diſcrimina, que immine provincie Lombardie, cum hiis, qui in ſervicio noſt ſunt, pacem & concordiam expediat vos habere, ac

vit

vitas Faventina, que nos ſemper in puritate dilexit, propter ipſius cuſtodiam, que nunc vobis incumbit, importabilia quaſi ſubire cogatur onera expenſarum, & que alias, ſicut ſcitis, propter diſcordiam intus & exterius imminentem, magna premitur ſarcina debitorum, vniverſitatem veſtram rogandam duximus & monendam per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus provide attendentes, quantum predictorum Faventinorum auxilium preſertim hoc tempore vobis valeat exiſtere fructuoſum, predicte cuſtodie ſumptus ſic temperare curetis, ne, quod abſit, ad id eos nunc inducat neceſſitas, ad quod actenus nequaquam induci voluntarii potuerunt.

NVM. XVI.

Scribit Papa Bononienſibus, quod confirmat electionem epiſcopi (a) factam per capitulum eccleſie Bononienſis eidem Epiſcopo in temporalibus & ſpiritualibus plenam adminiſtrationem committens.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei poteſtati conſilio & populo Bononienſi.

Ita nos iugiter plene devocionis odore reficitis, vt ſit nobis in gaudium & litteras ſinceritatis veſtre recipere, & que digne petuntur in illis, paternis affectibus adimplere. Sane nobis per nuncium ſpecialem & litteras ſupplicaſtis, vt cum eccleſia Bononienſi vacante, dilecti filii, capitulum eiusdem, dilectum filium Archidiaconum Bononienſem, ſubdiaconum & capellanum noſtrum, virum vtique, quem nobilitas generis, mores & ſcientia nobis & fratribus noſtris conſtituunt gracioſum voluntate vnanimi, ſpiritus ſancti gracia inſpirante, in ſuum epiſcopum poſtularent, eis non obſtante, quod adhuc ad annum triceſimum non pervenit, in paſtorem concedere curaremur. Verum cum deceat, vt

vt ſic in hac parte veſtris deſideriis annuamus, quod inſtitutis canonicis perſonam ipſius Archidiaconi condigno proſequamur honore, ac eiusdem vtilitatem eccleſie procuremus, eum in paſtorem ſibi duximus concedendum, eidem plenam adminiſtracionem in temporalibus & ſpiritualibus comittentes. Rogamus itaque vniverſitatem veſtram & hortamur attente, per apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatenus vos eidem, quem ſic carum vobis ſcripto proponitis, ſic dilectum exſiſtere per evidenciam laudabilem exponatis, devote ipſius ſalubribus monitis intendentes, vt qui perſonas veſtras in ſua honorari diligimus, vobis exinde favoris oportuni gratiam cumulemus.

(a) Octavianum ſcilicet Ubaldinum patria florentinum, Henrico Epiſcopo a. MCCXL ſuffectum, iuxta Ughellum T. 11. Italiae ſacrae p. 25. n. 63. vbi tamen hanc Gregorii IX. Pontificis bullam non habet.

NVM. XVII.

Scribit Papa Bononienſibus, vt inducere debeant Ducem & populum Venetum ad ſuccurrendum illis de Marchia Anconitana, regracians Deo, quod nomen dictorum Bononienſium ad ſui gloriam nominis, exaltacionem eccleſie, & confuſionem rebellium tam mirifice dilatavit.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſcilio & communi Bononienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Exultamus pro vobis in Domino, & ei graciarum exolvimus acciones, quod vobis per miſericordiam ſuam feliciter aſtitit, & greſſus veſtros proſpere dirigens in ſalutem, ad ſui gloriam nominis, exaltacionem eccleſie, & confuſionem rebellium, nomen veſtrum mirifice dilata-

latavit. Commendamus preterea diligencie vestre studium, quod & effectus ipse commendat, cum ex eo fructus provenerit exoptatus, pro quo, non evitando dificultates innumeras, multaque discrimina & pericula indefesse ac efficaciter laborastis, prosequentes tam commune quam proprium interesse. Sit benedictus Deus, qui non amovit demptacionem nostram, & misericordiam suam a nobis, & sponsam suam, ecclesiam eius, desiderio non fraudavit. Ceterum licet dilecti filii - Dux & populus Venetorum magis sint laboribus & sumptibus fatigati, considerato tamen, prout convenit, diligenter, quantum vtilitatis fructibus vestre devocionis accrescat, si Marchia Anconitana, que a devocione ipsius ecclesie in devocionem Friderici recesserat, flante leni aura, sed iam reverti ad eius gremium, sicut accepimus, sit parata, vniversitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prefatum Ducem ad succurrendum fidelibus nostris de Marchia in forti manu, & extento brachio secundum datam vobis a Deo prudenciam inducatis, ita quod sinceritatis vestre zelum possimus in Domino commendare.

NVM. XVIII.

Scribit Papa Lombardis & Romaniolis, quod ob devocionem, quam habent erga Romanam ecclesiam ipsos recipit sub proteccione sedis apostolice.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, societati Lombardie, & Marchie Romaniole salutem & apostolicam benedictionem.

Constans fides, & vniversitatis vestre constancia laudabiliter promeretur, & suis videtur eciam meritis comparare, vt vos speciali sedis apostolice gratia continua prosequentes, favore benivolo prosequamur, quod di-

leccio-

leccione operante per fidem, matri veſtre adherentes, inviolabili caritate voluntate ſed & accionibus capitur complacere, ea propter, dilecti filii, veſtris ſupplicationibus annuentes, ſocietatem vniverſitatum, & ſocietatem Lombardie, Marchie, & Romaniole, ſub beati Petri & noſtra cuſtodia, proteccione ac tutela recipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hos attemptare preſumpſerit, indignacionem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

NVM. XIX.

Scribit Papa cuidam legato ſuo, quod moneat quasdam communitates vt intra certum tempus debeant depoſuiſſe pecuniam, quam promiſerant.

Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei dilecto filio G. (*Gregorio*) de monte longo, ſubdiacono & notario noſtro, apoſtolice ſedis legato, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Mirari poſſumus & non iniuſte, quod cum Mediolanenſes, Placentini, Bononienſes & Briſienſes, nobis per nuncios ſuos ſuper hoc ſpeciale mandatum habentes, quod in feſto beati Michaelis XV. milia, & in feſto omnium ſanctorum proxime preteritis V. milia marcharum argenti, partim apud Ianuam, & partim apud Venecias deponere procurarent, exceptis V. milibus marcharum ab eccleſiis deponendis, quarum peticioni ad preſens ſuperſedere providimus, preſtiterint iuramentum, ipſi proprii honoris & vtilitatis immemores, id efficere neſcimus qua intencione ſeducti hactenus neglexerunt, non attendentes, quod qui facultatis tempore in proprio inveniuntur negocio, auxilio deſides, frequenter

quenter ad id invitati redduntur temporibus impotentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus dictos Mediolanenses, & alios, quod predictas marchas in locis predictis, intra festum assumptionis beate Marie proxime futurum deponere non omittant attencius moneas & inducas; alioquin sibi merito poterunt imputare, si eis iacturam aliquam exinde contingerit imminere, mandatum nostrum taliter impleturus, quod ex hoc tua possit diligencia commendari.

NVM. XX.

Scribit Papa Mediolanensibus, se eorum litteras recepisse, recommendans eos de constantia fidei, quam habent ad Romanam ecclesiam, notificans, quod cum defensare fidem catholicam pre ceteris teneatur, ad id totis viribus intendit, & pro posse conatur.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis potestati, & populo Mediolanensi salutem & apostolicam benedictionem.

Vestris nuper litteris presentatis eas promta manu recepimus, visu perlegimus, diligenti & fideliter retinuimus, quod earum continentia obtutibus mediis memorie commendavit. Sane fuit grata nobis ipsorum receptio, lectio gratior, & relectio gratitudini superlativum adiecit. Etenim erga Christi fidei, & ecclesie negotium, vos cordis constantiam, sinceritatem affectus, & devotionis fervorem gerere, sui tenoris insinuatione monstrarunt. Merito igitur apud dominum pro vobis apostolica sedes preces cumulat, supplicationes inculcat, intercessiones annectit, quos tam catholicos & fidei catholice sollicitos reperit defensores. Ecce quidem legatus nostre salutis emulus, Fridericus dictus Imperator cuius lingua dogmatis heretici calamus fidelium

men-

mentes inficiens, & liber calamo ſubſcriptus eodem, deformans alios proditionis exemplis ad deprimendum libertatem eccleſie, quidquid infra metas ſue poſſibilitatis habet, exponens, ad perdendum genus humanum Chriſti ſanguine in cruce redemptum, totis intendit conacionibus, & tota intentione conatur. Sed obſiſtentibus precipue vobis vires debilitantur ipſius, impugnantibus vobis, conatus reprimuntur eiusdem; porro nos, qui eccleſiarum omnium regimini preſumus licet immeriti, eo magis defenſare fidem catholicam, eccleſie iura tueri, ac omnium fidelium pacem conſervare tenemur, quo magis obligamur ad iſta iugo apoſtolice ſervitutis, nunc autem prefato Friderico adverſus Chriſtum eiusque populum nequiter inſurgente, ad illa preſertim intendimus, & iuxta promiſſionis divine gratiam opere adimplemus. Ceterum que hactenus ordinata fuere, opitulante Deo in felici perſecutione conſiſtunt.

NVM. XXI.

Scribit Papa (Gregorius IX.) vt Mediolanenſes ſuos nuntios ſolempnes transmittant ad eum pro concilio celebrando.

Gregorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis nobili viro poteſtati conſilio & populo Mediolanenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Nuper conſiderantes, quod inſtantis malitia temporis negotiis diverſis & arduis, non ſolum Romanam verum etiam vniverſalem angit eccleſiam, & cupientes in hiis ſub ea providentia in diſcretione procedere, quo & ipſa negotia optatum auctore Deo finem ſuſcipiant, & exinde honor eccleſie generali, & ſalus populo Chriſtiano conſurgant, prudentiam veſtram apoſtolicis ſollicitavimus litteris, vt vsque ad feſtum proxime venturum reſurrexionis dominice, ad quod & ſuper hoc advocavimus con-

consilium prelatorum, ad nos vestros nuncios qui nobis vice vestra salutare concilium tribuant transmittatis, vt dispositio nostra tanto cunctis sit gratior, quanto plurimorum fuerit provida & salubri deliberatione concepta. Verum sicut pro certo intelleximus adversarius & hostis ecclesie Fridericus dictus Imperator, qui in diversis articulis matri ecclesie, quibus potest conatibus adversatur, & vniversalis ecclesie commodum proprium extimans detrimentum, vt auctoritatem apostolice sedis annichilet, & vnitatem scindat, quod absit ecclesie generalis, prefatum concilium nititur impedire diversarum fraudum venena conficiens, vt conceptum tam pii desiderii propositum hiis perfusa mater ecclesia pariat abortivum, propter quod ipsius, qui calcaneo ecclesie insidiari non desinit non ignorantes astutias, ne tanta ecclesie generalis vtilitas de facili eius dolo impedita depereat, super omnibus, que ad tantum negotium exequendum expediunt annuente Domino curabimus providere. Quare vniversitatem vestram rogamus attentius & rogantes hortamur in Domino Ihesu Christo, quatenus ad nos super premissis omnibus ydoneos & providos nuncios vsque ad sanctum festum destinare curetis. Ita quod ex hoc comprobemini tamquam viri catholici zelari honorem vniversalis ecclesie salutem propriam & populi Christiani. Dat. Lateran.

NVM. XXII.

Scribit Papa (*Innocentius IV.*) Ianuensibus, multum eis regraciatur de bona affeccione, quam ad personam ipsius habere videntur, & quod prius, quam eorum nuncius se suo conspectui presentasset, eis direxerat litteras de promocione sua.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, potestati, conscilio, & communi Ianuensi salutem

tem & apoſtolicam benedictionem. Quod de promocione noſtra, in qua dextra Domini fecit nobiſcum ſua miſeracione virtutem, ex affeccione, quam erga perſonam noſtram geritis ſpeciali, laudes quas valetis, gracias graciarum omnium agitis largitori, quod auditis de nova ſtatus noſtri mutacione rumoribus, precordiali exultatione gaudetis, ſicut nuncius veſter, quem ad noſtram ſubito preſenciam deſtinaſtis, nobis oretenus retulit, & litterarum veſtrarum pagina continebat, quas nobis ex parte veſtra humiliter preſentavit; Vniverſis vobis & ſingulis gracias tante iocunditatis condignas, ex corde referimus, & ſinceritatem animorum veſtrorum quam plurimum in domino commendamus. Sed priusquam idem nuncius cum huiusmodi litteris noſtro ſe conſpectui preſentaſſet, in ipſis promocionis noſtre diebus, natalis dulcedine ſoli ducti, nec eius immemores, vniverſitati veſtre de aſſumpto nuper a nobis, ſicut domino placuit, apoſtolatus officio, litteras direxeramus ſpeciales. Nihilominus alias providimus deſtinare, rei huius ſeriem, & quod aliter circa id expedire videtur plenius continentes. Ceterum vt plenitudo in vobis exuberet gaudiorum, volumus vos firmiter credere, ac pro certo tenere, quod, cum de civitatis quondam filio Ianuenſis, tranſlati ſimus in patrem, in propoſito gerimus, & voto habemus eandem civitatem dileccionis paterne affectibus confovere, ac ipſam, quantum cum Deo poterimus, in omnibus honorare.

NVM. XXIII.

Scribit Papa cuidam Prelato, quod, cum ad audientiam pervenit, quod quedam moniales ſue dioceſios vitam ducant adeo inhoneſtam, quod ipſorum vulgaris infamia & acciones profane vniverſam regionem circumpoſitam

tam infecerunt, perſonaliter ad locum ipſum accedens, eidem monaſterio tam in capite quam in membris ſecundum Deum & beati Benedicti regulam officium correccionis impendant.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei &c. Grande ſcelus & immane flagitium nuper noſtris auribus eſt relatum, quod moniales monaſterii ſancte Agate tue dioc. in iniuriam Trinitatis Dei vivi non formidant iugum monaſtice profeſſionis a ſuis cervicibus tamquam odioſum & importabile pondus excutere, ac vitam ducere ſic enormem, quod ipſorum vulgaris infamia, & acciones profane, que non ſolum deteſtabiles ſunt relatu, ſed etiam orrende ſunt penitus auditu, vniverſam regionem circumpoſitam infecerunt, & nominari non poteſt ipſarum tabernaculum Dei templum, ſed proſtibulum convicii lupanaris. Licet ergo tu penam pro huiusmodi delicto negligentie ſentire deberes, qui diu tam gravia ſcelera corrigere non curaſti, tibi tamen hac vice de ſolita ſedis apoſtolice benignitate parcentes, experiri volumus, ſi demum apoſtolica correptione correptus debitum paſtoralis officii circa tuos ſubditos perſequeris. Quocirca tibi per apoſtolica ſcripta diſtricte precipiendo mandamus, quatenus perſonaliter ad locum ipſum accedens, eidem monaſterio tam in capite, quam in membris ſecundum Deum & beati Benedicti regulam officium correccionis impendas, ac ſtatuta ſalubriter ibi ſtudeas ordinare, faciens, quod decreveris, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, firmiter obſervari.

NVM. XXIV.

Scribit Papa quibusdam civibus, ſe decreviſſe deſtinandum quendam legatum ſuum ad eos,

 pro

pro reformanda pace inter eos, & quosdam cives, & quod dicto legato, tamquam sibi reverenter super premissis debeant obedire.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis - - potestati, conscilio, & communi Tudetinorum salutem & apostolicam benedictionem.

Officii nostri debitum exigit, generalis svadet vtilitas, & salus flagitat animarum, vt inter discordes & maxime illos, in quibus, & per quos patrimonii beati Petri status concutitur, & tranquillitas perturbatur, pacis remedia procuremus. Cum igitur belli tempestas, que inter vos & vrbem veteram (*forte vrbem veterem, seu Urbevetanos*) fervere dinoscitur, montium inconsultis insultibus partes allidens, dampnosa vexet inquietudine regionem vos reputantes iam satis super quam sufficere poteritis odiosi certaminis sudasse laboribus, & volentes de cetero voluntarios altercancium impetus cohibere, dilectum filium, Iacobum de Sybello, subdiaconem & capellanum nostrum ob sue prudencie meritum nobis & fratribus nostris acceptum, ob hoc, ad partes vestras duximus destinandum, vt extirpatis contencionum iurgiis, mutua requies conciliet discidentes, contra eos, qui pacis respuerunt conscilium & patriam non siverint esse pacificam, auttoritate nostra procedendo temporaliter & spiritualiter, prout ad conterendam, contradictorum contumaciam viderit procedendum. Quocirca vniversitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem capellano, immo nobis in ipso, humiliter intendatis, monitis & mandatis eius super premissis sine difficultate qualibet parituri.

NVM. XXV.

Scribit Papa, increpando Imperatori super eo, quod non contentus finibus quibus contenti

fue-

fuerant hiy, qui ipſum in imperio preceſſerunt, patrimonium beati Petri invaſere preſumpſit, quare monet eum ſub pena excommunicacionis, quatenus apoſtolice ſedis iura de cetero per ſe, vel per alium nullatenus inquietet, & que ſibi iuravit, ſervare ſtudeat ſine fraude.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Friderico Dei gratia Romanorum Imperatori ſemper Auguſto ſalutem & apoſtolicam benediccionem.

Quamvis ad regimen apoſtolice ſedis, que Domino diſponente mater omnium dinoſcitur & magiſtra, nos inſufficientes meritis & ſapiencia reputemus, altiſſimi tamen patris miſericordia ſuffragante, ab illis optamus pro viribus abſtinere, per que contra nos indignacionem domini provocemus, & ſollicite omnibus intendere nunc & ſemper, quorum interventu officium aminiſtrationis exhibite laudabiliter exequi comprobemur. Ne igitur de illorum eſſe numero videamur, qui humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere pertimeſcunt, murum pro domo Iſrael ponere nos oportet, & libera voce illorum incurſibus contraire, qui temporali confiſi potencia nobis preſumunt in ſpiritualibus adverſari. Si ergo aſpere ſcribimus imperatorie majeſtati, ex aliquo ſupercilio aut elacionis ſpecie non procedit. Sed quia ſcriptum eſt, clama cum neceſſe eſt, quaſi tuba exalta vocem tuam, argue, obſecra, increpa, inſta, oportune ac eciam importune, tum quia turbamur non modicum, & dolemus, te ſubito converſum in artum perverſum, quem fore ſedis apoſtolice filium protectorem firmiſſime dicebamus. Iam quantum deſideravimus perſonam tuam ad imperiale faſtigium ſublimari, & qualiter nos ac eciam venerabiles fratres noſtri operam dederimus efficacem, vt coronam imperii (*prae*) ceteris circumſcriptis principibus

obtineres, presenti pagina non duximus inserendum, quia te latere non debet, cum per cunctas orbis partes fuerit dimulgatum. Attende igitur apicem dignitatis, qui per sedem apostolicam sublimatus, merito debes Romanam ecclesiam, matrem tuam & dominam revereri, & ipsam multipliciter honorare, & recognoscere Deum celi, qui deponit potentem de sede, & sublimat pauperem & egenum. Sed quod Dei timorem pre oculis non habeas, vt decet imperatoriam maiestatem, ex fructibus tuis colligitur evidenter, quia opera, que facis, perhibent testimonium veritati. Non enim videntur sufficere tibi fines, quibus fuerunt contenti, qui te in imperio precesserunt, immo patrimonium beati Petri iam invadere presumpsisti, & ipsum vndique niteris vsurpare, non attendens qualiter displiceat Deo patri, & cunctis debeat mortalibus displicere, cum per te non debeat minui, sed augeri. Nam inter claras magnitudinis tue laudes, tamquam solis radius pre ceteris radiares, si debitam Romane sedi reverenciam exhiberes, eiusque augmento studiose intenderes & honori. quia nihil est, quod magis imperiale decus roboret vel exornet, quam ecclesias, personas, ac res ecclesiasticas venerari, & in festinacione pravorum impetum refrenare. Cum autem illorum impetum non refrenas, immo, quod gravius est, per te ipsum inquietare sedem apostolicam incepisti, qualiter vinculo fidelitatis es nobis nostrisque successoribus obligatus, scire debes. Ergo fortitudinem tuam accinge, ne illud propheticum ascribatur, in quo dicitur: Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Memorare itaque novissima & antiqua tua iuxta sentenciam sapientis, vt facilius te possis ab illicitis abstinere. Conscidera quod dies Domini sicut fur de nocte venit, cui potencia terrena resistere numquam valet. Animadverte, quod omnes stabimus ante tribunal Christi

rationem de omnibus, que gessimus, reddituri, attende preterea diligenter, quod quanto gradus alcior, tanto casus gravior comprobatur. Numquid in illo tempore audivisti, quod Nabugadonosor confisus in potencia temporali, propterea, quod in robore sue fortitudinis & glorie incepit se nimium exaltare, subito regnum amisit, & in bovem fuit ex homine commutatus, fenum tamquam brutum animal comedit, & cum feris per VII. annorum spacium in solitudine habitavit. Pharaonem autem te habere volumus in exemplum, quia cor eius semper extitit induratum, divino percussus iudicio periit in eternum, cuius acta exitus approbavit, quem referre vel audire propter diversarum penarum genera non modicum aborremus. Habeas pre oculis, que modernis temporibus facta sunt in antecessore tuo, videlicet Frederico, qui fidelitatem nolens, vt tenebatur, sedi apostolice observare, combussit prima facie porticum sancti Petri, & alia preter modum gravamina intulit ecclesie sacro sancte, pro quorum meritis in ipso corpore tulit penam, & ipsam in filios derivavit, quia scriptum est: Ego sum Deus celi, qui vindico peccata patrum in filios vsque in quartam & terciam generacionem. Nam Fredericus ipse volens sepulcrum domini personaliter visitare Israëlitis non immerito potuit comparari, qui propter peccata sua repromissionis terram, nequaquam ingredi meruerunt, qui antiquam Ierosolimam intraret, morte fuit repentina in quodam flumine suffocatus, cuius animam optamus ad celestis Ierusalem consorcium pervenisse. Postea sicut totus orbis manifeste novit, divina vlcio filios eius Henricum videlicet & Philippum tetigit & punivit. Quid ergo in malicia gloriaris? Quid in iniquitate desideras esse potens? quid invadere niteris aliena, cum latissime sufficiant tibi tua, & cum ipsa non sis longo tempore possessurus? Nescis, quod mens potencie avida non novit gaudere concessis, nec a vetitis abstinere

conaris ? Ignoras quod per iniusticiam plus petendi, summa tocius debiti vacuatur? Dubitas, quin amittere privilegium mereatur, qui permissa sibi abutitur potestate ? Hoc siquidem non propterea scribimus, vt imperiali corone iniuriam irrogare velimus, sed, vt possimus te a pravis actibus revocare, & ad viam reducere veritatis. Quia quanto personam tuam inter ceteros principes Christianos sinceriori diligimus caritate, tanto molestius & gravius reputamus, quod ea facere non vereris, que in nostra redundare gravissima gravamina dinoscuntur, nec intueris corporis opprobrium, nec anime detrimentum. Cum igitur gladio spirituali bona ecclesiastica defendere teneamur, & de quolibet peccato mortali corripere quemlibet Christianum, ac eciam si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam coërcere, te monemus, inducimus & hortamur, atque sub pena excommunicationis tibi damus firmiter in mandatis, quatenus apostolice sedis iura de cetero per te, vel per alium nullatenus inquietes, & que nobis iurasti, servare studeas sine fraude, in nulla magnitudine vel potencia confidendo, quia non est apud Deum acceptio personarum. Scriptum est enim ita: iudicabo magnum vt parvum; & alibi: Constitui te super gentes & regna, vt evellas, & destruas, discipes, edifices atque plantes. Plantavimus enim pro vinea ecclesiastica vitem, que versa est nobis in amaritudinem labruscarum. Caveas ne propterea Deus destruat te in finem, & radicem tuam de terra vivencium evellat, dissipet atque dispergat. Nos autem non poterimus evitare, si diu in tua duraveris pravitate, quin te sentencia anathematis feriamus.

NVM. XXVI.

Scribit Papa quibusdam canonicis Pergami, quatenus moneant cives Brixie, vt rancorem,

rem, quem conceperunt adversus eorum Episcopum, deponentes, ei tamquam patri, & pastori animarum suarum intendant humiliter & devote, ac sibi reverenciam devotam & debitam impendentes, permittant ipsum administrationem spiritualium & temporalium per Episcopatum suum libere & integre, per se, ac suos vicarios, amotis inde quibuslibet invasoribus exercere, compellentes eos ad premissa omnia per censuram ecclesiasticam, omni appellatione remota.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, preposito Guifredo, & Grimando, canonicis Pergamensibus, salutem & apostolicam benedictionem. Antiqui hostis astutia, pacis emula, discordie seminatrix, inter illos petram scandali erigere nititur, vt offensionis lapidem suscitaret, qui veluti patris & filii relativa se vicissitudine diligentes, mutuis se prosequi deberent affectibus, & congruis effectibus prevenire. Sane, sicut venerabili fratre nostro, Episcopo Brixiensi accepimus referente, cives Brixie, quod non absque amaritudine cordis referimus, non contenti, quod eundem Episcopum spiritualem patrem & pastorem etiam animarum, olim coram felicis recordationis Gregorio Papa, predecessore & fratribus nostris, ac alibi etiam, non sine ipsorum labis nota, lacessivere gravibus iniuriis innocentem, contra ipsum postmodum, qui per eos Episcopatus sui temporalibus & spiritualibus spoliatus, depulsusque a sede propria, coactus est iam elapso quadriennio, non absque dignitatis episcopalis iniuria, exulare statuta numquam statuere presumentis, ipsum bannis enormibus supponere presumpserunt, eum, & familiares suos penis mulctantes impiis & iniquis, & de facto sententiis condempnantes, quo non

ſolum eundem afficiunt, ſed etiam ſuos ledunt, & of
ciunt plurimum eccleſiaſtice libertati. Quare a nob
idem Epiſcopus cum inſtantia poſtulavit, vt provid
re ſibi ſuper hiis fraterna ſollicitudine curaremus. Qu
vero eidem, qui nobis & fratribus noſtris ſue meri
probitatis, experigentia grata & converſatione laud
bili carus eſt plurimum & acceptus, in ſuo iure dee
non poſſumus nec debemus, qui ſumus omnibus
iuſtitia debitores, diſcretioni veſtre per apoſtolica ſc
pta mandamus, quatenus eosdem cives moneatis
tentius & inducere procuretis, vt rancorem, quem co
ceperunt adverſus eundem Epiſcopum, deponent
ei tamquam patri & paſtori animarum ſuarum inte
dant humiliter & devote, ac ſibi reverentiam tam d
votam quam debitam impendentes, permittant ipſu
adminiſtrationem ſpiritualium & temporalium p
Epiſcopatum ſuum libere & integre, per ſe ac ſuos
carios, amotis inde quibuslibet invaſoribus exerce
predicta quoque ſtatuta ſeu banna, ſententias ac co
ſtitutiones alias quascunque in dampnum dicti E
ſcopi & ſuorum, inderogationem honoris Epiſcopalis
libertatis eccleſiaſtice preiudicium editas de capitu
ribus ſuis abradi faciant, ac etiam venditiones poſſeſ
num, locationes, & alienationes ſpectantium bonoru
ad ipſum Epiſcopum, & menſam ſuam ab eis factas
vocare ſtudeant, vt tenentur, ſubditos ipſorum reb
les in redendis ipſi Epiſcopo vel eius nuntiis, iurib
& proventibus debitis, ad ea ſine difficultate redder
poteſtate ſibi tradita compellentes, & reſtitutis eid
Epiſcopo ſine difficultatis obſtaculo caſtris & aliis lo
ad eum & Epiſcopatum ſuum pertinentibus, que i
conſtituto in huiusmodi exilio dicuntur temere oc
paſſe, de premiſſis omnibus, cum ad eos non perti
ant, ſe de cetero in eius preiudicium nullatenus in
mittant. Quod ſi monitis noſtris adquieſcere nol
rint, vos eos ad premiſſa omnia per cenſuram eccle

ſtic

ſticam, appellatione poſtpoſita ſub limite iuſtitie compellatis. Quod ſi non omnes hiis exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exſequantur.

NVM. XXVII.

Scribit Papa legato ſuo, vt a moleſtacione Epiſcopi Brixienſis conſiſtat omnino, ac vt poſſit in ſpiritualibus & temporalibus officii ſui debitum exercere, & vt G. ſicut Epiſcopo, ab vniverſa civitate & dioceſi obedientia debita impendatur, conſilium auxilium & favorem (*impendat.*)

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio, Gregorio de Monte longo, Subdiacono & Notario noſtro, & apoſtolice ſedis legato ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Etſi doleamus de preſſuris & moleſtiis ſingulorum, de gravaminibus tamen, que inferuntur fratribus & coëpiſcopis noſtris, qui in partem ſolicitudinis ſunt vocati, multo forcius perturbamur, cum eccleſiam Dei ſuſtentent, quaſi lapides angulares. Sane ſicut venerabili fratre noſtro, Briſienſi Epiſcopo accepimus referente, tu ſibi non compatiens de anguſtiis & preſſuris, eidem & Briſienſi eccleſie, a clero, poteſtate, conſcilio, & populo loci eiusdem multipliciter irrogatis, ſed afflicionem addens afflicto, procuratores ad percipiendum epiſcopatus ſui proventus & reditus poſuiſti, non curans eos poſtmodum, prout in mandatis a bone memorie Gregorio Papa, predeceſſore noſtro receperas, removere, in ipſius Epiſcopi preiudicium & non modicam leſionem. Verum, quia eidem Epiſcopo in ſuo iure deeſſe nolimus, nec debemus, cum ſimus omnibus in iuſticia debitores, diſcrecioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ab eius moleſtacione deſiſtens,

ſiſtens, omnino procuratores prediċtos a percepcio
huiusmodi removeas ſine mora, faciens ſibi, vel e
nunciis integre reſtitui omnia, que de bonis dicti E
ſcopatus ſunt per eosdem procuratores, vel alios
auctoritate percepta, eidem Epiſcopo, vt poſſit in ſp
tualibus & temporalibus, per ſe, ac ſuos nuncios, t
in civitate, quam in dioceſi Brixienſi, libere officii
debitum exercere, ac vt G. ſicut Epiſcopo & paſt
obediencia tam a clericis quam laicis eiusdem civit
& dioceſ. impendatur, impendas conſcilium, auxiliu
& favorem, mandatum noſtrum hac vice taliter imp
turus, quod de inobediencia non poſſis redargui,
ipſe de te iuſtam habeat vlterius materiam conq
rendi.

NVM. XXVIII.

Scribit Papa vniverſo clero civitatis Brixie, revocatis gravaminibus per eos illatis E ſcopo Brixienſi, eundem Epiſcopum, ta quam patrem eorum, & paſtorem animaru reverentes, vt tenentur, impendant eidem verenciam debitam & devotam, ſi indign cionem eccleſie cupiunt evitare.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilec filiis, vniverſo clero civitatis & dioceſ. Brixie ſalut & apoſtolicam benedictionem.

Etſi culpe ſunt regulariter puniende, in illis tam eſt multo forcius manus iudicis agravanda, qui, c debent alios, revocare a noxiis, exceſſus properant teſtandos. Sane non absque ſtupore mentis & tur cione cordis nobis innotuit, venerabili fratre noſtro B xienſi Epiſcopo intimante, quod vos tamquam alie ti ab vtero matris, ipſum, veſtrum patrem ſpirituale & paſtorem etiam animarum, vel verius in eo Ro nam eccleſiam, cui incumbit illius imitari exemplu

c

que quod vni ex nunciis ſuis fit, ſibi reputat eſſe factum, gravibus & manifeſtis iniuriis affeciſtis, cui deberetis pocius, tamquam membra ſuo capiti coherentia adherere, & alia multa gravamina contra eundem Epiſcopum & ſuos in enervationem libertatis eccleſiaſtice attemptantes, preſumpſiſtis quedam ſtatuta nequiſſima contra eum temeritate propria promulgare in transgreſſores eorum de facto, veluti diſcipline eccleſiaſtice conceptores, excommunicacionis ſententiam proferendo. Quia vero talia, ſi vera ſunt, gravem expetunt vlcionem, vniverſitati veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus huiusmodi gravaminibus penitus revocatis. eundem Epiſcopum, tamquam patrem, & paſtorem animarum veſtrarum, prout tenemini, reverentes, impendatis ei reverenciam debitam & devotam, ſibi plene de omnibus ſuis iuribus reſpondendo, vt eum *vobis* reddatis placabilem, quem longo tempore non absque contemptu diſcipline eccleſiaſtice tam graviter offendiſtis. Alioquin ſententiam, quam ipſe rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore domino, vsque ad ſatisfaccionem condignam inviolabiliter obſervari.

NVM. XXIX.

Hortatur Papa Brixienſes, vt aſſurgant in ſubſidium electi Ferrarienſis, & nobilium virorum Marchionis Eſtenſis, & Comitis Veronenſis, devotorum filiorum eccleſiae Romanae.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, &c. dilectis filiis, poteſtati, conſcilio, communi Brixie ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Quam ſincere dilectionis affectu civitatem veſtram dileximus, dum eſſemus adhuc minori officio conſtituti, ad honorem & exaltationem ipſius, quantum cum Deo

Deo potuimus, aſpirantes, veſtra, vt credimus, probitas non ignorat. Poſtquam vero promoti ſumus, licet immeriti, ad ſumme apicem dignitatis, quod dilectionis veſtre requirit neceſſitas, conſuetam dilectionem noſtram erga vos non in aliquo minui, ſed augeri, inviolabiliter propoſito perſiſtimus in eodem, & proponimus etiam perſiſtere in futurum, firmam ſpem fiduciamque tenentes, quod in hiis, que pertinere noſcuntur ad honorem Romane eccleſie, matris veſtre, ac noſtrum, noſtris monitis & mandatis, cum requiſiti fueritis, intendetis. Sane dilectorum filiorum electi Ferrarienſis, & nobilium virorum, Marchionis Eſtenſis & Comitis Veronenſis fidei conſtantia, quam tempore neceſſitatis ad apoſtolicam ſedem hactenus efficaciter habuerunt, adhuc perſiſtunt inviolabiliter in eadem, que tamquam aurum in fornace probatum emicuit, cum eam filii mendacii & a veritate, que Deus eſt, ſeparati pluries conati fuerint ſerpentinis ſvaſionibus ab eccleſie devotione avertere, & alias variis iniuriis & gravibus moleſtiis multipliciter impugnare, nos inducit, & propenſius exhortatur, vt prudenciam veſtram, de qua plenam fiduciam obtinemus, predictorum electi & nobilium ſubſidiis requiramus; quocirca veſtram vniverſitatem rogamus, monemus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus conſiderato prudenter, quod veſtra res agitur, paries cum proximus ardet, eisdem ſic potenter ac viriliter in ſuis perſecutionibus aſiſtatis, preſtando eis conſcilium, auxilium & favorem, quod eccleſiaſticam libertatem manutenere, ac eorum iura & bona, tam in Marchia Veronenſi, quam etiam alibi, quibus ſunt ab inimicis eccleſie, prout noſtis, plenius ſpoliati, recuperare valeant, veſtro auxilio mediante, partes veſtras in hac parte ea devotionis promptitudine impleturì, quod eisdem ſuum propoſitum aſecutis, nos devotionem veſtram, quam eccleſia Romana in ſuis ac ſuorum fidelium negotiis

experta eſt ſepius adiutricem, poſſimus exinde merito commendare.

NVM. XXX.

Scribit Papa (*Innocentius VI.*) Brixienſibus, ſe cum tota comitiva fratrum ſuorum applicuiſſe Ianuam, & cum iam ſit in loco, vbi de ipſorum conſcilio, quos ſpeciales inter alios devotos ſedis apoſtolice reputat, ea que ad tranquillitatem populi Chriſtiani pertinent, poſſit tractare ortatur eos, quatenus taliter in apoſtolice ſedis ſolita devocione perſiſtant, quod idem ad procuranda ipſorum commoda ſtrictius obligetur.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſcilio & communi Briſie ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Licet, priusquam fuimus ad curam vniverſalis regiminis, quamvis inviti, domino diſponente vocati, adeo manſvete in tractandis ecclesie negociis nos habuerimus, in bono malum iuxta verbum apoſtoli vincere cupientes, quod nobis exinde plurimi de nimie humilitatis inſtancias detrahebant, quare cum id non proficere, ſed pocius officere videbatur, cum quocies anſam ſolvi penitus ſperabamus, tunc per interieccionem obſtaculi nodi apparebat indiſſolubilis ligatura, nos diligencius attendentes quod ſtatum eccleſie devotis ſedis apoſtolice non poteramus libere, cum de nobis ad ipſos liber non eſſet tranſitus, nunciare, elegimus pocius diſpoſitioni nos divine committere, quam artari taliter in opprobrium eccleſiaſtice libertatis. Sicque apud civitatem noſtram, ad quam inopinate quodammodo venimus, quia ſic fieri propter maliciam temporis oportebat, mare pridie Kal. Iulii aſcendentes, Ianuam, cum noſtra

noſtra & fratrum noſtrorum, ac aliorum omnium, q nobiſcum venerant comitiva, plena proſperitate app cuimus & ſalute. Cum ergo per Dei gratiam iam ſim in loco, vbi de veſtro conſcilio, quosſpeciales inter ali devotos ſedis apoſtolice reputamus, ea, que ad exal tionem fidei, bonum ſtatum eccleſie, ac tranquillitat totius Chriſtiani populi pertinent, quo liberius, eo v lius diſponere poſſimus & tractare, vniverſitatem v ſtram monemus, rogamus & hortamur, per apoſtoli vobis ſcripta mandantes, quatenus in apoſtolice ſe devocione taliter firmitate ſolita perſiſtatis, quod n qui bonum ſtatum veſtrum, & aliorum devotorum e cleſie totis conatibus querimus & quietem, ad proc randa veſtra commoda ſtriccius obligemur.

NVM. XXXI.

Exortatur Papa Brixienſes, vt viriliter aſſu gant in defenſionem civium Parmenſiu contra Imperatorem, cum ibi pendeat pot ſime relevatio ſtatus Ytalie.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, poteſ ti, conſcilio, & communi Brixienſi ſalutem & apo licam benedictionem.

Admirandum divine virtutis auxilium, quo nu caterva fidelium apud civitatem Parmenſem de Fri rico quondam Imperatore magnifice triumphavit, pro catholicis contra perfidos confligente, in ſubli debet erigere corda, (*veſtra*) vt pro iocunditate v celitus influente, prorum patis humiliter in gratiar vberes acciones. Videntur ſiquidem breviari miſer te Domino dies mali, quibus tranquillitas eccleſiaſ & Ytalice libertatis per iniqua perſecutoris rabiem ceſſitur, & appropinquare deſiderati diutius dies pa ad quam vos, quos pro devocione eccleſie, defenſi patrie, ac protectione fidelium longa bellorum cala

tas fatigavit, inter ceteros debetis ardencius anhelare. Ad ferendum igitur dilectis filiis, civibus civitatis ipſius, (*Parmenſis*) promptum ac fidele ſubſidium excitare vos debet communis vtilitas & privata, quia non ſolum omnium, ſed cauſa manifeſte vertitur ſingulorum, (*cum*) quod erga vos, alioſque fideles maiorem dilectionem iidem cives oſtendere nequiverunt, quam quod pro liberacione communi animas ſuas cum ſumma requireretur neceſſitas, exponentes, ceterorum vitam de lupi faucibus curaverunt eximere cum periculo vite ſue. Quam ſordida turpitudinis macula, & quam horrida inhumanitatis nota fedaret, qui tantum per ipſos & conſolationis beneficium ſunt adepti, ſi afflictiones eorum diſſimulent, ſi anguſtias, ſi labores, ſi ad eorum ſuccurſum omnimode non aſſurgant, ſi ignave torpeant, ſi miſerabiliter refrigeſcant, nemo niſi qui mentis inops fuerit, non agnoſcit. Cum itaque in memorato triumpho Dominus Deus nobis porrexerit manum ſuam, & iuvantis nos divine potentie debeatis exiſtere adiutores, tiranno, ſicut qui agit in deſperationis articulo, extrema remedia moliente, prudentius eſt & ſolertius inſiſtendum, ne ipſius caſus reparetur in ſtatum ad perniciem plurimorum. Quocirca vniverſitatem veſtram rogamus, monemus, & ortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta firmiter iniungentes, quatenus conſiderantes prudenter nimis turpe eſſe, cum res annorum multorum promota laboribus culmen attingit, ab inſtanti per inerciam relaxari, in defenſione civitatis predicte, de qua pendet potiſſimum relevatio ſtatus Ytalie, nullo velitis tempore deficere, vel remitti, quinimo tamquam viri ſtrenui, maiorem ex proſperis ſucceſſibus animum induentes, adhuc laudabilius inſiſtatis ad conſequendum ibidem plenum de tyranno tropheum, vbi tota reſurgit vobiſcum fidelium vniverſitas, ſi hoſtis illic finaliter ſuperetur, cum ſemel quidem alliſiſſe non ſufficit, dum geſtit pertinaciter invi-

ctores, quia victor incautus a victo ſepe revincitur, ſi militie cingulum ſolvit, vel ſe reſolvit in quietem, prius quam cedat adverſitas reluctantis. Porro ne parum ſit vos hortari per litteras, ad tam neceſſarium negocium conſummandum, dilectum filium, magiſtrum Martinum, capellanum noſtrum, virum litteratum & probum, & nobis & fratribus noſtris in pluribus approbatum, de quo plenam in Domino fiduciam obtinemus, ad vos propter hos duximus deſtinandum, per apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ſuper hiis, que vobis ex parte noſtra dixerit, credentes eidem, ea curetis prompto affectu effectui celeri mancipare, ita quod exinde devocionem veſtram dignis in Domino laudibus commendemus. Nos autem qui fidelibus ecclesie vsque ad finem adeſſe proponimus, ſicut precedentia de ſequentibus pollicentur, ſic circa ea, que ad eorum auxilium expedire noſcuntur, intendimus opportune, quod profectus apoſtolice ſolicitudinis auctore domino comprobabit, dummodo manus veſtre in defenſionem libertatis communis & proprie, ac ſtatus provincie Lombardie nullatenus diſſolvantur, ſed confirmentur nunc potius, cum maiori noſcitur robore opus eſſe.

NVM. XXXII.

Exhortatur Papa (*Innocentius IV.*) Brixienſes, vt Placentinis, fidelibus eccleſie Romane, pro ſtatu provincie Lombardie & libertate ſua pugnantibus aſſiſtentes, defenſionis ſubſidio eisdem, cum opus fuerit, viriliter ſuccurrant.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſcilio, & communi Brixienſi ſalutem & apoſtolicam benignitatem.

Sancte dilectionis affectum, quem ad dilectos milites Placentinos obtentu devocionis ipſorum habemus, inducimur, vt eos caritatis brachiis amplexantes, vos ac

ac alios devotos ecclesie ad subventionem ipsorum ex animo inducamus. Sane pro gratis & acceptis serviciis & presidiis, quae ipsis contra hostes suos pro libertate sua, & statu provincie Lombardie pugnantibus, sic eis intimantibus, accepimus, cum oportuit impendistis, gratiarum vobis referimus acciones. Verum quod nondum est finis persecutoribus eorundem, vniversitatem vestram rogamus & hortamur attente, quatenus considerato prudenter, quod iidem ab ecclesie devocione nullis turbacionum procellis hactenus potuerint avelli, sed firmi & stabiles pro libertate ac statu ipsius provincie perstiterunt, eis defensionis presidio assistentes, eisdem cum opus fuerit succurratis, ita quod vestro adiuti auxilio possint resistere hostibus, & in dilectione nostra, ad quam obligastis eosdem, solidius permanere Dat. Perusii.

NVM. XXXIII.

Scribit Papa Bononiensibus, quod eorum Ambaxatorem cum litteris eorum vniversitatis sibi directum benigne recepit, & intellexit diligenter, rogans vniversitatem predictam, vt in devocione sedis apostolice velint solita constancia permanere.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, potestati, conscilio, & communi Bononiensi salutem & apostolicam benedictionem.

Dilectum filium Ioannem de Cerudoldis, concivem vestrum, quem cum litteris vniversitatis vestris ad nostram presentiam destinatis, benigne recepimus, & tam ea, que idem ex parte vestra nobis exponere voluit, quam que predicte littere continebant, intelleximus diligenter. Sane si locus attenditur, quem tenemus, si ad ea, que pro salute fidelium facimus & quiete recta fidelium consideracio dirigatur, quod Christiana pax

eſſe debeat in amplexibus voluntatis, quodque il
dileximus, queſiverimus, & optemus, inſpecti docet
ci condicio, & plene ac plane apium premiſſorum
gumenta demirantur. Nec mater eccleſia mater
rito dici poſſet, ſi contra veritatis officium & natu
pietatis viſcera filiis lauderet tribulatis, ſi oculos ab
flictis averterit, ſi pacem & quietem non diligeret
votorum. Nos igitur, qui ſumus in caput eccleſie
vina providencia conſtituti, ad vos, & vnitatem veſtr
quam ob ſuorum exigentiam meritorum ſpecial
apoſtolice ſedis filiam reputamus, vere matris gere
affectum, tribulacionibus laboribusque veſtris co
timur, & conſolacioni ac quieti veſtre paternis deſ
riis anhelamus, plena mentis exultatione letantes
voluntates & actus veſtri diſponantur in proſperi
ſalutis, ſi ſtatus civitatis eiusdem ad honorem Dei
eccleſie, per mutue inter vos dilectionis graciam,
vnitatem concordie emendatur in melius, condicioni
ſolidetur. Nec eſt ſinceritati veſtre aliquatenus d
tandum, quod nos leviter contra veſtrum vel civit
veſtre honorem omni credamus ſpiritui, aut cuiusp
ſuggeſtio, in conceptum ſiniſtre opinionis men
noſtram de facili a ſancta veritate deflectat. Sed
nos dubitemus de vobis, qui claritate fidei, & devo
nis veſtre conſtancia, locis & temporibus oportunis
nuitatem opum magnifice & multipliciter probavi
Ex habundanti tamen, quod non nocet amiſſo ſub
calcar equo, vniverſitatem veſtram rogandam duxi
attencius, & ortandam, per apoſtolica vobis ſcr
mandantes, quod in devocione ſedis apoſtolice ſ
conſtancia perſiſtentes, hiis ſemper ſtudeatis vir
& gracie operibus vniverſe, per que Deo & eccl
matri veſtre, merito placeatis, vel veſtre laudis tit
honoris & glorie ſuſcipere debeat incrementum.

NV

NVM. XXXIV.

Exortatur Papa Bononienſes, quatenus ad ſubventionem, & conſervationem civitatis Parmenſis attente vigilent, cura & ſedulis ſtudiis intendere procurent, & quum plurimi ex Parmenſibus civibus capti ab hoſtibus detinentur, tot de hoſtibus, quos captivos detinent, Parmenſibus ipſis liberaliter concedant, quo prefati Parmenſes captivi poſſint per eorum concambium liberari.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſcilio, & populo Bononienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

De civium iactura Parmenſium, quam nuper intulit vis hoſtilis, non poſſumus pre compaſſione nimia ſedulo non penſare, licet quo plus illius refricamus memoriam, eo ipſam ſentiamus intrinſecus acriorem, quia crebra dampni recogitatio mentis auget anguſtias, & tanto vehementius vrit intrinſecus, quo ſepius animo recenſetur. Sed quomodo ab afflictione populi ſic attriti cordis avertere oculos, vel intente conſiderationis aciem revocare poſſemus, qui pro eccleſie devotione ſervanda quaſi murum fortem contra hoſtilem intruſionem ſe ſtatuens, tot percuſſiones tuliſſe noſcitur & flagella, qui pro ſua & ſuorum tuenda confidelium libertate, ſub tot tribulationum experigentia conſtanter permanens, & decertans tam viriliter, ſibi & aliis militaſſe probatur. Certe inconveniens eſſet & penitus inhumanum, ſi mater eccleſia tante ſinceritatis filios ſic oppreſſos, abiecta quaſi conſueta benignitate negligeret, & de ipſorum neceſſitatibus velut materne oblita diligentie, non curaret. Certe reprehenſibile & deteſtabile nimis foret, ſi convicini, quos illis fedus colende ſocietatis annexuit, ipſorum diſpendia tamquam ſi non

essent eis videntibus irrogata, sub dissimulatione notabili preterirent, & suorum incendia vulnerum propiciis subventionum postponerent lenire fomentis, propter quod & decet & expedit, vt ecclesia, & illi, quos fidei pure titulus preclarus insignit, circa stabiliendum eorum statum, stabili persecutione collisum, statim cogitent & instanter, ac ipsis in instanti oportunitate remedia provideant oportuna. Verum quum ad relevandum eorum casum, reparandamque ruinam exigitur potissime manus vestra, vos precipue, in tali eorum articulo, ex intimis precordiis duximus requirendos, licet sine omni dubitatione credamus, vos absque omni nostra requisitione de ipsorum periculo cogitare solicite, ac ad eorundem suffragium intendere diligenter, quia non est verisimile, nec patitur solita probitas vestra credi, quod vos quorum liberalitatem egregiam, & ingenuam strenuitatem generalis preconii tuba clamat, quorumque potentiam magnificam acta inclita continue atestantur, illos vestros proximos, immo fratres, in angusto positas relinquatis inconsultos tamquam incognita, & velut extraneos inadiutos. Nam qualiter Bononie civitas posset vmquam suorum necessitatibus non adesse, ipsique dextram non extendere adiutricem, qui ex innata sibi bonitate ac antiquo more videtur annexum, sua liberalitate largiri subsidia, suumque favorem amicis indigentibus largiflue ministrare. Non enim frustra vocatur Bononia, quasi bona per omnia, ipsa equidem fide pura, devotione conspicua, excellens prudentia, constantia fortis, & liberalitate prestabilis, sic exercitium bonitatis amplectitur, quod delicias sibi extimans in illo assidue immorari, quidquid bono congruo & honesto noscitur esse contrarium, in suis prorsus actibus non admiscet, profectus proprios taliter procurando, quod amicorum & propinquorum tractare commoda non omittit. Porro nos novimus, & alii non ignorant, cum quanta fortitudine animi Lombardorum ne-

negocium, pro communi vtilitate certantium, ſemper egerit, quot pro illo ſumptus ſubierit, & labores, quam robuſte geſſerit ipſumet provide, quamque honorifice promoverit, hoſtium aſtutias ſapientia ſuperando. Liquet inſuper, quod ſinceri & ſtabiles eſtis ecclefie filii, quod totis affectibus ipſius honorem diligitis, & per multa ei & grandia obſequia placuiſtis, & indefeſſe placere ſtudetis, quod in agendis Parme negotiis vigiles reperimini atque prompti, & pro illius ſubſidio plurimum ſtudioſi. Super quibus omnibus probitatem veſtram in domino efferimus laudibus, referendo vobis gratiarum multiplices actiones, firma etiam credulitate tenetur, quod ipſius Parme negotium veſtro ſpecialiter poſſit auxilio ſublevari, quod illa in vobis duntaxat ad reſurgendum de preſenti ruina efficax poſſit invenire remedium, & quod a nullis aliis in ſui doloris aculeo medelam valeat percipere ſalutarem, propter quod, ſi quicquam ſiniſtrum, quod abſit, accideret id negligentie veſtre omnis (*omne*) cum poſſitis illius precavere periculum, forſitan imputarent; ſicque fame veſtre lederetur integritas, & labia vos laudantium ad veſtra improperia laxarentur. Quare omnino expedit, vt de illius ſtatu vigili ſolicitudine cogitetis, propter quod probitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandamus, pro grandi munere affectuoſiſſime poſtulantes, quatenus premiſſis omnibus circumſpecte penſatis, ad ſubventionem & conſervationem civitatis Parmenſis attentis vigiletis animis, & ſedulis ſtudiis intendere procuretis. Et quum plurimi ex Parmenſibus, civibus capti ab hoſtibus detinentur, per quorum liberationem reddetur civitas ipſa tuta, cuius ſecuritate munirentur non modicum alie, quorumque defectu in grave periculum civitas ipſa concidit, tot de hoſtibus, quos captivos tenetis, Parmenſibus ipſis, pro noſtra & ecclefie Romane reverentia, veſtroque honore ac vtilitate communi li-

beraliter concedatis, quod prefati Parmenses capt
possint per eorum concambium liberari, advertentes
providi, quod in huiusmodi deliberatione preter di
num premium & retributionem apostolicam, conseq
mini penes homines multam laudem, vestrumque n
men longius diffundetur, & iidem Parmenses pro t
to beneficio vobis obnoxii perpetuo remanebunt, n
non & ceteri confideles gratie tante munificentia vo
artius tenebuntur, ac ipsa civitas suis vestra largitate
habitis, a tot oppressionibus respirabat (*respirabit*) &
cura letabitur libertate, preces, & mandatum nostru
sic efficaciter impleturi, quod non oporteat nos prop
hoc alias inculcare preces, vel litteras destinare.

NVM. XXXV.

Exortatur Papa Bononienses, vt cum quida nobiles cives Ravenne potenter insurrexeri adversus nationes, que dispendere satageba populum Lombardorum, eisdem ad man tenendam dictam civitatem Ravenne iu posse subsidium impendant, regratiando pro eo, quod in defensione civitatis ipsius dem adiutricem manum hactenus porre runt.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei &c.

Civitatem Bononie inter alias civitates Lombar
specialis prerogativa dilectionis & gratie amplexan
que status sui augmenta respiciunt, eo vobis liben
suademus, quo fiducialius vos velle acquiescere nos
conscillis arbitramur. Sane cum dudum nobilis
Paulus (a) Tranusarius malagentis sue videre non
lens adversus nationes, que in fortitudine manus
convenerant disperdere populum Lombardorum,
& eorum libertatem penitus conculcare, patenter &
tenter insurrexit, sicud est evidens in oculis singu

n

rum, propter quod non modicum tam vobis, quam aliquibus Lombardie provenisse creditur auxilii & favoris, vniversitatem vestram rogamus & monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus prefato nobili, ad manutenendum civitatem Ravenne, iuxta posse vestrum, conscilium & subsidium impendatis, promissa, que ei fecisse dicimini, ad honorem Dei, ecclesie profectum, libertatem eiusdem civitatis liberaliter exsolventes. Nos enim pro eo, quod in defensione civitatis ipsius eidem adiutricem manum hactenus porrexistis, ad gratiarum vobis multimodas asurgimus actiones.

(a) Fridericus II. Imp. Paulum Transfurarum vocat, in epistola apud Parisium p. 352. Historiae Anglicanae maioris.

NVM. XXXVI.

Commendat Papa Anconitanos, quod in sincere devocionis apice radicati declinantibus aliis regionis illius; cuiusdam (*quondam*) ecclesie filiis ad sinistram, soli dextram tenuere, & puritatem fidei servaverunt, quare rogat & admonet eos, vt in devocione sedis apostolice constantes perseverent, & immobiles vt ceperunt.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis *filiis*, potestati, conscilio, & populo Anconitanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Gaudet in domino mater ecclesia, sacra Petri sedes exultat, quod civitas vestra filialis affeccionis ardore succensa & infinite devocionis apice radicata, declinantibus aliis regionis illius quondam ecclesie filiis ad sinistram, sola dexteram tenuit, sola fidei puritatem inconcusse servavit, & a matris vberibus non recessit. Porro sedes apostolica non ignorans, quod persecutiones

miserias, angustias & pressuras manus vobis intulit inmici, ac vestram virtutem fideliter insignem facit icessanter affligi, super tribulationibus vestris matenum erga vos habentes compassionis affectum, copacienciam vestram consciderans diligenter, in propsito gerit & votis, vt condigna retributione compenmerita filiorum. Rogamus igitur vniversitatem vstram, monemus & hortamur attendentes, quampericulorum & grave, matris dulcedinem & circuscripta solite perdere privilegia libertatis, & colla vesiugo subiicere servitutis, in devocione & fidelitate dis apostolice sitis constantes & immobiles, vt cepisac puritatem fidei vestre, per quam nominis vestri ma longe lateque diffusa plurimum commendatadhuc inviolabiliter observetur, firmam spem fidciamque tenendo, quod Dn. Ihesus Christus, sacrosctam ecclesiam, sponsam suam ab huiusmodi advsitatibus liberabit in brevi, ipsam ac fideles eiusdmiseratione constituet consueta in quietis & pagaudio salutari. Preterea, cum dilectus filius, ULeccarius, dilecti filii, magistri Nicolai, Camerarii nstri germanus, eiusque socii, cives Ianuenses, nuad terram vestram cum quadam navi venisse dicant eos & alios concives eorum, qui ad locum eundem niunt in futurum, cum omnibus rebus ipsorum, preverencia beati Petri & nostra curetis taliter commedatos habere, quod nos devocionem vestram possim exinde merito commendare.

NVM. XXXVII.

Scribit Papa (*Innocentius IV.*) Episcopo Noriensi, vt recipiat ad misericordiam quoscuque reverti volentes ad mandatum ecclesie

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, venebili fratri, Episcopo Novariensi, salutem & aposlicam benedictionem. Q

Quia noſtrum eſt requirere oues perditas, & ad caulas humeris more referre paſtorum, nec non ad vnitatem eccleſie redire volentibus, materne benignitatis gremium non negare, pro eo, licet pertinacibus ſeveros nos eſſe conveniat, miſericordes debemus tamen eſſe hiis, qui ad primam humiliter ſe proſternunt. Quare fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus communitates civitatum, aliorumque locorum, nec non perſonas quaslibet provincie Lombardie adverſariis eccleſie, eiusque infidelibus adherentes, ac volentes ad communionem eccleſie, ad ſocietatem Lombardorum, ſedi apoſtolice devotorum, conſilio ſaniori converti, ſicut eorum ſaluti, honori eccleſie, ac eorum, qui in eiusdem ſedis devocione permanent, profectui videris expedire, recipias, ad mandatum noſtrum & eiusdem eccleſie, vice noſtra abſolutionis beneficium, iuxta formam eccleſiaſticam impenſurus, ac relaxaturus in terris eorum eccleſiaſticum interdictum, terris Vercelenſis eccleſie, ac nobilium virorum, advocatorum Vercellenſium aliorumque apoſtolice ſedi fidelium nec non perſonis, que per ſe, vel alios detinent ipſas terras exceptis, circa quas excommunicationis, vel interdicti ſententias relaxari per te, vel alios nolumus, niſi eisdem terris plenarie reſtitutis. Ad hec de tua induſtria confidentes volumus & mandamus, vt ad ſolidandam ſocietatem predictam diligenter intenderis. in mutuum auxilium & preſidium convoces & provoces, dicte ſocietatis federe copulatos, monens ipſos ſollicitis exhortationibus & inducens, vt ſibi ipſis ſocialiter & fideliter coherentes, in defenſionem civitatis Parmenſis, per cuius amiſſionem, vt norunt ipſorum vniverſitas, enormem paterentur enervationis iacturam, & adverſariorum brachium magne virtutis robore firmaretur, manus potentis ſubreptionis extendant, tam vota, quam ſtudia in id communiter dirigendo. Quod ſi ad revocationem aliquo-

quorum existentium ex adverso, seu recuperatione locorum, ex quibus possint adiuvari devoti, fuerit l[illegible] gitio pecuniaria oportuna, societatis predicte consorteris sollicitis admonitionibus & inducas, vt pro[illegible] do commercio emolumenta communia prosequent[illegible] ad hoc tribuant liberaliter singuli & sine difficult[illegible] contribuant, quod poterit in vberes vtilium provect[illegible] um manipulos pullulare. Vt illa non negligant [illegible] gumenta solertie pro statu provincie recuperando, qu[illegible] bus ad subversionem eorum alii nequiter abutunt[illegible] contradictores per censuram ecclesiasticam appellatio[illegible] remota; sicut expedire videtur, compescendo.

NVM. XXXVIII.

Innocentii IV. consolatoria ad Mediolanense[illegible] de morte Anticaesaris Henrici Rasponi, cum exhortatione ad constantiam.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilect[illegible] filiis, potestati, conscilio, & populo Mediolanensi [illegible] lutem & apostolicam benedictionem.

Super petram fidei stabilita mater ecclesia sic secu[illegible] cum firmitate fundamenti, tum edificii soliditate, co[illegible] sistit, vt nec flectatur tribulationum minis, nec qua[illegible] tumcunque gravium adversitatum percussione, fra[illegible] gatur. Sic in Christo Iesu, in quo spem omnem poni[illegible] cuiusque regitur virtute, confidens, nec in prosper[illegible] mentis elevatione subtolitur, quinymo potius substern[illegible] tur humilitate spiritus, gratiarum ei exhibens accione[illegible] nec in adversis cordis, consternatione deprimitur, se[illegible] magis de illius sperans presidio vigore animi conv[illegible] lescit. Sed nunc frequencium ecclesia ipsa malle[illegible] persecutionum attrita, illam inter ceteras sensit mode[illegible] nis temporibus graviorem, quam Fredericus, quo[illegible] dam Romanorum imperator, nequitie filius, immo p[illegible] ter intulit, & in ipsam ferali furore indesinenter exe[illegible]

c[illegible]

cet. Nam, nonſolum contra Romanam inſurrexit eccleſiam, ad eliſionem apoſtolice auctoritatis anhelans, ſed contra generalem, in quo ſe accinxit propoſito & pluribus favore ſequacium, quos aſtutia ſerpentina ſeduxit, armavit, molitus ſue praeeminentiam libertatis penitus conculcare. Grandia inſuper & innummera beneficia, ex ipſius eccleſie benignitate collata, pro quibus ei ad omnimode devocionis obſequia tenebatur acriores reddunt iniurias quas ipſi nefaria ingratitudine recompenſat. Acerbius enim illius offenſione quis pungitur, cui ſe benefeciſſe recolit, & in neceſſitatis articulo noſcitur favorabiliter affuiſſe. Verum ſue fraudis commenta cognovit eccleſia, & malignitatis ipſius obſtitit ſtudiis, conatusque repreſſit, cauſam quaſi propriam, de auxilio divino confiſa, defendens. Vnde non in homine fiduciam poſuit, nec in terrena potentia ſpem firmavit, ſed ad Deum ſolum intencionem habuit, huncque ſibi conſtituit in huiusmodi negocio adiutorem. Licet igitur aliqui principes, quorum ſuffragium ipſi prodeſſet eccleſie, morte tollantur, non tamen eius vacillat conſtancia, nec ſua propter hoc fortitudo torpeſcit. Numquam enim illius deſtituitur iuvamine, qui ſalus omnium eſt & vita, cuique ſubſunt ſingule poteſtates. Porro ſicut domino placuit obiit clare memorie Henricus (*Thuringiae Landgravius*) Rex Romanorum illuſtris. Obiit quidem mundo, ſed vt ſperamus firmiter vivit Deo, pro cuius amore ipſius eccleſie ſuſcepit negocium, & laudabiliter eo adiuvante promovit. Grave quippe eidem diſpendium intulit mors illius. Multiplicis profecto doloris eſt cauſa Chriſti fidelibus eius caſus. Sed non ob hoc eorum debent corda proſterni, quinymo firma conſiſtere, non vires lenteſcere ſed vigere. Maxime cum omnes de Alamannia principes, qui regi eidem adheſerant, & ſibi, dum viveret, intendebant, in eccleſie devocione ſtabiliter perſeverent, Ibique prefatum negocium ſucceſ-

ceſſibus proficiat proſperis, & continuum recipiat incrementum. Et ecce nos dilectum noſtrum, Petrum ſancti Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem, virum vtique ſcientia meritum, morum honeſtate decorum, & in conſciliis circumſpectum, illuc propter hoc, commiſſo ſibi plene legacionis officio deſtinamus, confidentes in eo, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſed ſuper eis adeſt propitius, quod dicto negocio de perſona ydonea, que tanto congruat oneri, celeriter providebit. Vniverſitatem itaque veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus fidei, & eccleſie, totiusque Chriſtiane religionis cauſam, nulla ex predicti Regis morte depreſſione remiſſi, virilibus animis proſequentes contra memoratum Fredericum eiusque fautores, de celeſti & apoſtolice ſedis confiſi adiutorio, exſurgatis continuo fortiores. Vobis enim, & aliis de Lombardia devotis eccleſie, feſtinum & efficax ſubſidium non deerit, cum ſuper eo vigiletur ſolicite, ac vt celeriter fiat, diligenti ſtudio procuretur. Confortamini ergo in Domino, & confidite in potencia virtutis eius, quia licet aliquando ſuos baculo adverſitatis percutiat, ſubſequenter ipſos proſperitatis dextra conſolatur.

NVM. XXXIX.

Scribit Papa Medionalenſibus, quod recepit eorum litteras & commendat eos de conſtantia fidei, quam habent ad eccleſiam, rogando eos, vt perſeverent, firmi & ſtabiles in devotione eorum matris eccleſie, prout inceperunt.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſilio, & communi Mediolanenſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Devotionis veſtre litteras, que per dilectum filium

G.

G. (*Gvifredum*) de Habiate, Ambaxatorem veſtrum fuerunt ea qua decuit diligentia preſentate, affectione paterna recepimus, & earum intellecto tenore, conſtantiam fidei, quam habetis ad ſedem apoſtolicam, dignis in domino laudibus commendamus? Verum quia non qui inceperit, ſed qui perſeveraverit, cenſetur a dominorum domino coronandus, vniverſitatem veſtram rogandam duximus & hortandam, quatinus conſiderato prudenter, quod fides eſt virtutum omnium fundamentum, ſic in iugi devotione Romane ecclesie, matris veſtre, prout viriliter cepiſtis, firmi & ſtabiles perſiſtatis, quod virtus veſtre fidei iam probata non nutet in aliquo vel vacillet; Sed in ſtatu ſuo permanens, ſe reddat gratia & benedictione ſedis apoſtolice magis dignam, nos & fratres noſtros variis meritis obligando, vt loco & tempore honori veſtro efficaciter intendamus. Firmam enim fiduciam de nobis & Romana eccleſia volumus vos habere, quod ſine vobis, & aliis, qui in devotione eccleſie fideliter perſtiterunt pacem aliquam cum principe (*Friderico II. Imp.*) ſeu compoſitionem nullatenus admittemus, ſed vos & alios, qui fuiſtis ſocii paſſionum, ſi conſolatio advenerit tamquam caros eccleſie Romane filios, & devotos, favore multiplicis gratie. (*proſequemur.*)

NVM. XL.

Scribit Papa Mediolanenſibus, commendans eos de devocione & conſtancia, quam habuerunt erga Romanam eccleſiam, quod eos recipit ſub ſua protectione, & caſſat & revocat, omnes proceſſus & conceſſionis factas de eorum bonis, per principem Romanum, quibuscunque perſonis.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecti filii

filiis, poteſtati, conſilio, & populo Mediolanenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Sincere devocionis fervor, & conſtancie firmitas inconcuſſe, quibus inter alios eccleſie filios ſpecialiter claruiſtis, fidem catholicam & eccleſiaſticam libertatem oportunitatis tempore totis viribus defendendo, ſuadent, vt vos magne laudis preconio non indignos, prerogativa favoris & gratie noſtre continue proſequamur, & contra perſecutorum inſultum apoſtolico vobis curemus patrocinio ſubvenire. Hinc eſt, quod veſtris deſideriis grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras in eccleſie devocione ac defenſione orthodoxe fidei & libertatis eccleſiaſtice perſiſtentes, cum caſtris, villis, terris, poſſeſſionibus & bonis omnibus aliis, que in preſenti rationabiliter poſſidetis, aut in futurum iuſtis modis preſtante domino poteritis adipiſci, ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Ceterum ſententias, banna, ſtatuta, penas data principis, ac confeſſiones factas de bonis veſtris, ab eo, vel alio pro ipſo, quibuſcunque comitatibus vel perſonis, & quecunque alia, que contra vos, & veſtra bona generaliter & ſpecialiter ſtatuit, auctoritate preſentium revocamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre protectionis & revocationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſent, indignacionem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli, apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.

NVM. XLI.

Scribit Papa (*Innocentius IV.*) Mediolanenſibus, quod benigne recepit eorum Ambaxatorem, & in hiis, que propoſuit favorem adhibuit gratioſum.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, concilio, & populo Mediolanenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Lau-

Laude dignum & gratia dilectum filium, Guifredum de Habiate, ambaxatorem veſtrum, virum vtique diſcretum & providum, ac in veſtris negociis omni ſollicitudine ſtudioſum, nos, & fratres noſtri, benigne recepimus, & audivimus diligenter, ſuper hiis, que propoſuit, veſtris deſideriis favorem gratioſum & precipuum adhibentes. Sicut ex preſentibus litteris plene & lucide colligetis. Sane ſincere devocionis, quam ſemper circa Romanam geſſitis eccleſiam, & inconcuſſe conſtantie, qua illi continue aſtitiſtis, non ſumus immemores, nec dampnorum plurium, aliorumque gravaminum, que pro ipſa paſſi eſtis eccleſia, poſſumus obliviſci. Sed hec omnia ſepius recolentes, & apoſtolice ſedis favore vos dignos agnoſcimus, & eius beneficiis cenſemus ſpecialiter attollendos, ac dilectionis prerogativa ſinceritatem veſtram conſequentes, & gratioſe petitionibus veſtris auditum benignum impendimus, & cum expedit exauditionis ianuam liberaliter aperimus. Id firmo intendentes propoſito, & intencione ſtabili proponentes, vt circa veſtri commodi & honoris augmentum ſolliciti & vigiles exiſtamus, & ſtudeamus vobis promeritis loco & tempore honorifice reſpondere. Verum quia prudentum eſt, de virtute tranſire in virtutem, vniverſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur attente, per apoſtolica ſcripta vobis mandantes quatenus in eiusdem ſedis devocione ſolita firmiter permanentes, ipſius obſequiis aſſidue promptius & efficacius inſiſtatis, vt vberius eius gratiam, licet adiectione plenitudo non egeat, mereamini & favorem. Sciturì quod quantumcunque ſuper reformatione pacis inter eccleſiam & principem (*Fridericum II.*) videatur haberi tractatus, eam vobiſcum, & cum aliis ipſius eccleſie devotis intendimus reformare. (a)

(a) *Idem fere Inſubribus, legato ſuo, Gregorio e monte longo, interprete, pollicetur Papa T. XIII. RAYNALDI ad a.* 1243.

1243. *n. XXII. p.* 521. Adeoque epiſtola noſtra eodem anno perſcripta eſſe videtur.

NVM. XLII.

Scribit Papa vniverſis Prelatis Lombardie & Romaniole, vt cuidam legato ſuo, quem ad partes illas transmittendum decrevit, tamquam apoſtolice ſedis legato pareant humiliter & devote ipſius mandata efficaciter adimplendo.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, venerabilibus fratribus, Aquiligenſi & Gradenſi patriarchis, Mediolanenſi, Ravennenſi, & Ianuenſi Archi-Epiſcopis, & ipſorum ſuffraganeis, nec non ceteris aliis Epiſcopis, ac dilectis filiis Prioribus, Abbatibus, Archidiaconis, Archipresbyteris & aliis eccleſiarum prelatis, tam exemptis, quam non exemptis, per Lombardiam & Romaniolam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

De ſupremis celorum ad yma mundi deſcendens vnigenitus Dei filius, vt hominem de laqueo ſervitutis eriperet, in quem ipſum impegerat ſuggeſtio ſerpentina, veſtem noſtre mortalitatis induit, volens proprii aſumptione ſanguinis incendia perpetui cruciatus extinguere, ac ſuos eterna morte poſſeſſos, vite perhenis efficere poſſeſſores. Qui commiſſe ſibi legacionis in regione peccatorum exercens officium, in vniverſum mundum diſcipulos, quos elegerat, deſtinavit, creature omni evangelium predicare, vicarium ſuum inſtituens, vt eius exemplo nonnunquam alios in partem ſollicitudinis advocaret, vbi officii ſui debitum corporalis abſencia ſolvere prohiberet. Licet enim nobis ſit poteſtatis plenitudo commiſſa, fines tamen humane poſſibilitatis excedere non valemus, vt dum in parte vna officium exercemus iniunctum, illud alibi preſencialiter exe-

exequamur, quia lex condicionis hominis non permittit personam eandem simul in diversis partibus exsistendo creditam sibi exequi potestatem. Nec etiam patitur ius nature, corpus vivum eodem tempore locis pluribus comprehendi. Unde cum suscepti cura regiminis nos vniversis Christi fidelibus constituit debitores, ne absentes negligencie vicio delinquamus, expedit, vt ad ipsas interdum personas ydoneas dirigamus, vice nostra per eas residuum sollicitudinis, quam ad presentes personaliter gerimus dispensando. Sane inter cetera desiderabilia cordis nostri, animarum salutem libertatis ecclesiastice incrementum, & pacem cunctis Christi fidelibus potissime cupientes, sedula vigilamus solertia, &, quod possumus, diligencie studium adhibemus, vt possint laudabiliter summotis impedimentis quibuslibet, iuxta nostri desiderium ad plenitudinem auctore domino pervenire, ac eo ardencius, vt in nostris partibus animarum profectus advenìat, libertas ecclesie vigeat, ac pacis servetur tranquillitas affectamus, quo fervencius bonum parcium statum petimus earundem. Ut ergo ipse partes eo magis in Dei & ecclesie devocione proficiant, quo specialius per sedem apostolicam velud matrem se visitacionis beneficio senciunt refoveri; ecce dilectum filium nostrum O. (*Octavianum Ubaldinum*) sancte Marie inviolata (*in via lata*) Diaconum Cardinalem, virum vtique scientia preditum, morum honestate decorum, & in conscilii maturitate preclarum, ad partes easdem, tanquam pacis angelum de fratrum nostrorum conscilio, commisso sibi plene legacionis officio, vt evellat, & destituat, dissipet & disperdat, edificet & plantet, sicud viderit expedire, duximus destinandum. Quia vero ipsum inter alios fratres nostros specialis dileccionis brachiis amplexamur, vniversitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus eum, immo nos potius in ipso, benigne recipientes, & honorifice pertractan-

tes, eidem tanquam apoſtolice ſedis legato intendatis humiliter & devote, ipſius monita & precepta, & que vobis ex parte noſtra mandaverit, efficaciter adimplendo. Alioquin ſententiam, quam idem tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore domino inviolabiliter obſervari.

NVM. XLIII.

Scribit Papa Papienſibus, quod quanquam diu extra ſvave, ac ſalubre gremium ſancte matris eccleſie, tamquam exteri & degeneres evagantes, contra ſue benignitatis clementiam, quaſi filialis penitus devotionis obliti, vſi fuerint duritia privignorum, nec redire voluerint, licet ſepe vocati, ad ipſius lenes amplexus, ipſa tamen contra eos rancorem non retinens monet, & rogat eos, vt ad ipſius eccleſie gremium puris animis redeant, & cum convicinis & compatriotis ſuis ſolidam pacem reforment.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, poteſtati, conſcilio, & populo Papienſi ſpiritum conſcilii ſanioris.

Tenera matris affectio, de duris etiam filiis, quaſi ipſa nativi federis vnione (conſtricta) de illis ſemper velut timens & pervigil meditetur, abſtinere non poteſt. Sane liquet omnibus, tam proxſimis quam remotis, quid reverencie, quid honoris exhibueritis hactenus eccleſie matri veſtre. Nullius namque oculos effugere potuit veſtra circa ipſam obſtinacio manifeſta, contemptus veſter notabilis, & veſtrorum cordum pertinacia tam prolixa. Diu ſiquidem extra ſuave ac ſalubre illius gremium, tamquam exteri & degeneres evagantes, redire ad ipſam, eiusque demulceri dulcedine, ac

ac mellifluis eiusdem ecclesie vberibus refici neglexiſtis. Et licet ad vos ſepe clamaverit, vt converſi a bivio ad ſuos lenes rediretis amplexus, ſub benevolentie ſue alis cum ceteris fidelibus confovendi, noluiſtis tamen vocem ſue pie revocationis audire, nec ſuffecit ſolum vobis reverende matris ſinum deſpicere, immo ad gravioris exaggerationem offenſe, ſuis emulis, ſuoque perſecutori ſeviſſime adheſiſtis, qui veſtris armatus telis, fortius ad illius depreſſionem inſiliit, & contra devotos ſuos nocentiora paravit. Sed quanquam eidem iniurioſe fueritis, & quaſi filialis penitus devotionis obliti, contra ſue benignitatis clementiam vſi fueritis duritia privignorum, ipſa tamen rancorem non retinet, nec contra vos pro tot eidem illatis induruit, vt renuat miſereri. Sed tamquam propitiationis cellarius miſerationis cavia & domicilium pietatis, conſervat in ſe miſericordiam, parata ſemper libentius ignoſcere, quam punire. Unde nos, quos oportet ex apoſtolatus officio cunctorum ſaluti proſpicere, quia per devia vos pergere timemus litteris clamamus & monitis, vt ad viam revertamini ſalutarem, reverſuri ad caulam dominicam, & in concione ibi fidelium permanſuri. Diutius enim, quod meſti referimus, ab eccleſiaſtica fuiſtis vnitate diviſi, & a convicinis veſtris gravis interpoſitione diſcordie ſeparati, minime advertentes diverſa diſcrimina, que huius occaſione diſcidii contigerunt, & poſſunt accidere in futurum. Nam vt clarius illius apprehendatis effectum, attendite queſumus, vt viri ſagaces, & non prorſus ignorantie reſperſi caligine, quid ex huiusmodi diſſenſione conſurgat. Patet namque, que prodit exinde multa hominum cedes, crebra terrarum vaſtatio, antique ſubverſio libertatis, & totius contritio regionis. Cur igitur hec non inſpicitis? Cur ad iſta oculos non levatis? An in hoſtes debachari creditis, cum in veſtros condigenas deſevitis? Certe non extraneos, in proximos veſtros furitis, & quod eſt terribilius, in veſtros

consanguineos & affines, immo, vt exprimamus amplius, in vos ipsos, quia vix vmquam aliis irrogatis dispendium, quin mox vobiscum illati feratis participium detrimenti. Ecce itaque quales fructus vestra parit discordia, ecce cuiusmodi commodum vobis prestat, & quale patrie affert lucrum. Solebat enim nobilis illa regio, bonorum quidem vbertate locuples, inter cetera prepollere. Sed iam propter rerum carentiam nimia quasi extenuata macie tota pallet, propter quod olim per nostras vos litteras duximus exorandos, quas vniversitati vestre mandavimus exhiberi, vt premissa circumspecte pensantes, ad devocionem ecclesie redite, ac firmam cum convicinis vestris reformare concordiam curaretis. Verum quia tunc ille forsitan vos a pacis vinculo retrahebat, qui contra ecclesiam erecta cervice, sibi ad illius offensam quos poterat, sociabat, nos pensantes, quod eo iam sublato de medio, impedimentum pacis potissimum est amotum, quare materiam excusationis, quod liberum non habeatis processum ad pacem, pretendere non potestis, providimus iterato vobis nostra super hoc monita destinare. Ideoque vniversitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, obsecrantes per sanguinem Ihesu Christi, quatenus de vestra vestreque patrie salute cogitantes, considerantes insuper, quot evenire mala, & quot etiam sequi poterunt, si remaneat patria ipsa scissa discordiis, & pace, sicut hactenus vacuata, providentes etiam quod alias christianorum provincias tanta vestra discensio scandalizat, & quod ad vestram communiter redundat infamiam, quod regionibus aliis in tranquillitate manentibus, vestra solummodo bellorum fluctibus noscitur agitari; attendentes preterea, quod etsi ecclesia multas interdum adversitates & varias patiatur, quia cum recta semper intentione dirigitur, consequitur post tribulationes proventum, & ipsius protector sua negotia felici consummatione concludit, ad ipsius ecclesie gre-

gremium ſine tarditate qualibet puris animis redeatis, & cum prefatis convicinis & compatriotis veſtris pacem ſolidam reformantes, vivatis vlterius, moleſtiis mitius diminutis, concorditer cum eisdem, dantes iam vobis & aliis oportune quietis refrigerium, qui tanto tempore gverrarum eſtis laboribus fatigati. Nos autem ad id noſtra ſtudia dirigemus, vt tam vobis, quam convicinis ipſis, nec non & toti provincie ſalus, pax, honor, & vtilitas valeant pariter provenire.

NVM. XLIV.

Notificat Papa Parmenſibus leticiam, quam habuit, ſuper reformacione pacis habite inter ſe invicem, monens eos, vt in omnibus proceſſibus eorum Dei omnipotentis reverenciam, & apoſtolice ſedis benivolenciam pre oculis habeant, vt ex hoc Deum propicium, homines benivolos, & ſedem apoſtolicam ſibi reddant in oportunitatibus prompciores.

Innocentius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, poteſtati, conſcilio, & communi Parmenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Impleverat cor noſtrum multo gaudio, ad aures noſtras, rumoribus baiulis, fama perveniens, qua impoſitum eſſe finem bellorum calamitatibus, quibus Parmenſis languebat civitas ferebatur. Sed poſtmodum in omnibus ſenſibus noſtris exultationis letitiam miſſa nobis per litteras veſtras rei certitudo perfecit, ita vt eam ſenſerit anima noſtra ex illa novi relatione dulcedinem, quam ſincerus pater certe acciperet, qui binos filios ab interitu ereptos audiret, quos fleverat perituros. Communis quippe paternitatis, qua vniverſos eccleſie filios, generoſos atque degeneres, in vna vniverſali fidei complexione proſequimur, fovendo conſtantes in bono, & eos, quia veritate recedunt, vt reddeant conſtantes in bono, inſequendo, nimio tedio &

 do-

dolore nos afficit, erga ſingulos eccleſie catholice filios ſeſe lacerantes ad invicem, odientes alterutrum & invicem perſequentes. Sed circa vos, quos in diviſas partes malignitas inimica ſecuerat, ſimultates immittens, ſuccedens odia, & conſanguineas concivium acies in exitum mutue cedis impellens, alia private affeccionis ratio animam noſtram in timorem propenſius ſubmittebat, ne civitatem vtriſque communem infelicitas deſolacionis extreme in irreparabilem ruinam everteret, & in alterne calamitatis miſeriam extirparet. Sic enim nullo ſervante civitas ipſa Friderici olim Imperatoris propoſito & inconſulto furori concertantium paruiſſet, commune everſionis dampnum, vtroſque diſcordantium animos, tam vos, quam alios, adherentes Friderico prefato, feciſſet exteros, item que dolor vtrorumque animos cruciaret, & amariſſime flerent exules, ſe non habere, cui poſſent reſtitui civitatem. Spes namque repetende patrie, quantumlibet grave levat exilium, quia eadem omnino ſublata, mors & vita exulum parum diſtant. Non ergo ſufficimus dignos Deo noſtro agere gratias, qui intencionis noſtre propoſitum circa conſervandum predicte civitatis ſtatum, ne illum radicitus predicti Friderici ferrum hoſtile ſuccenderet, deſiderato eſt exitu proſecutus, vt ſpiritu malitie de cordibus altercantium profugato, in fraternam redeat diviſus populus vnitatem, &, Deo pacis conſcilium inſpirante, vndique civium veſtrorum congregata diſperſio agnoſcat, per illa ſtudia, quibus communis civitas cum civibus eſt ſervata ne caderet, ſalubrius fuiſſe proviſum tam voluntariis quam invitis, quam ſi deiecta per hoſtem improbum oporteret rurſus conſtitui fundamenta. Habemus itaque duplicem intencionis noſtre de veſtre civitatis reintegracione proventum, quem quidem diligencie noſtre molimina intendebant, quia videlicet converſa ſunt ad fratres non periculoſe, ſed amicabiliter, iuxta cordis noſtri deſiderium

rium, corda veſtra fatrum. Vnde confidimus eo quod futura ſit firma concordia, quod de tanta equanimitate provenit, alium quoque exinde fructum in ſvavitate percepimus, quia inquerendo pacis veſtre commodo, devotionis veſtre ſinceritas, quam eccleſie Romane manifeſta gratitudinis ratione debetis, diminutionis vel immutationis detrimentum victa non ſenſit, ſed operoſe circa nos benivolentie veſtre memoria inviolabiliter retinet fundamentum. Ex quo nonſolum a nobis facti veſtri laudabile circa fructuoſe gratie incrementum, pacem habendam cum omnibus approbationem laudemque meremini, verum etiam fructuoſe gratie incrementum. Toto ergo, quod geſtum eſt, accipimus gratulationis aplauſu, &, vt pacis opus metam compoſite perfeccionis attingat, fervorem (*favorem*) ei apoſtolicum adhibemus, Dei miſericordiam ſuppliciter implorantes, vt que pia ceperunt hominum ſtudia in hac parte, rore ſupreme gratie adoleſcat, vniverſitatem veſtram monentes attente, rogantes attentius, ac per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatinus in omnibus proceſſibus veſtris, Dei omnipotentis reverenciam, quem cordium occulta non fallunt, & apoſtolice ſedis benivolentiam, manifeſto vobis experimento certiſſimam, ſemper ante oculos habeatis, vt ex hoc Deum propicium, homines benivolos, nosque ſpecialiter vobis reddatis in oportunitatibus promptiores. Ceterum licet ſtatus veſtri reformatio, circa civitatis, & caſtrorum veſtrorum cuſtodiam, vos a ſumptuum oneribus relevaſſe credatur, que cum vobis adeſſe finaliter volumus, in hiis, que adhuc neceſſitas vel cautela requirit, pro eadem cuſtodia vobis ad preſens ſolita mandamus camere noſtre ſubſidia exhiberi, preterea ne propoſitum reconſiliationis veſtre principium aliquo impedicionis obice retardetur, - - Vitalii (a) dilecti filii, electi Parmenſis noſtris damus litteris in mandatis, vt Parmenſibus extrinſecis, ad commu-

 nio-

nionem veſtre civitatis redeuntibus, ſuper eo, quod quondam Friderico, olim imperatori, vel Conrado nato ſuo, aliisque complicibus eius, contra eccleſiam, eiusque devotos preſtiterunt conſcilium, auxilium, vel favorem, ad humilem petitionem ipſorum, veſtramque inſtantiam, auctoritate noſtra, iuxta formam eccleſie, beneficium abſolutionis impendat. Dat. Aſiſii XV. Kal. Iunii, Pontificatus noſtri anno X.

(a) De Alberto Sanvitalio, Parmenſi Epiſcopo, Gvarini filio, & Innocentii IV. Pontificis ex ſorore Margaretha nepote, vide Ughellum T. II. Italiae ſacrae ſub Parmenſibus Epiſcopis n. XXXV. p. 226.

NVM. XLV.

Significat ad gaudium Papa Ianuenſibus, qualiter Manfredus Princeps Tarentinus & alii, qui hoſtilitatis grandiſſime ſignis exercere Romanam eccleſiam conabantur, converſi ſunt in devotionis filios, & ſe in conſpectu ſedis apoſtolice reddere vigilant placidos & acceptos.

Innocentius, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, nobili viro, - - poteſtati, conſcilio & populo Ianuenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Fundator & conſervator eccleſie, Dominus Iheſus Chriſtus, in cuius poteſtate ſunt omnia, per ſuam ineffabilem pietatem finem dedit tempeſtati & turbini, quibus olim dictam permiſit eccleſiam multipliciter agitari. Sane nobilis vir, Manfredus, princeps Tarentinus, & alii, qui hoſtilitatis grandiſſime ſignis exercere, predictam eccleſiam conabantur, iam converſi ſunt in devotionis filios, & ſe in conſpectu ſedis apoſtolice reddere vigilant placidos & acceptos, terris, quas in eorum manibus detinebant, cum multa reverencia redeuntibus ad mandatum ipſius eccefie, ac ſtudentibus

eius beneplacitum humiliter in omnibus adimplere; ita, vt ad Dei gloriam dici possit cum exultatione spiritus, quod eiusdem status ecclesie, magis, quam vnquam fuerit, est hodie gloriosus. Quia vero de multitudine sue spiritualis leticie, que de virtute altissimi dinoscitur processisse, ad vos, illos devotissimos filios, & intima sinceritate sibi dilectos debet specialis & solennis portio pervenire, Dei magnalia vniversitati vestre tribus de causis duximus exponenda, videlicet, quod affectionem paternam, quam circa vos sine intermissione gerimus, per effectum operis agnoscatis, & quod devotis cordibus ac solempni iubilo, de re tam desiderabili, tam felici, que toti populo Christiano deservit adfructuose, seu dulcissime tranquillitatis materiam, glorificetis patris eterni filium, & quod habeatis exinde affluentiam gaudiorum.

NVM. XLVI.

Notificat Alexander Papa Mediolanensibus mortem Innocentii Pape, predecessoris sui, & qualiter eius corpore tumulato, Cardinales Romane ecclesie, fratres sui, missarum solempniis in honore S. Spiritus devote ac humiliter celebratis, de futuri pastoris substitutione tractantes, ipsum, licet invitum, in Apostolatus officio elegerunt.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, potestati, & communi Mediolanensi, salutem & apostolicam benedictionem.

Cathedra preeminentie pastoralis, in hac militanti ecclesia, per plurimos pontifices frequentis successionis vicissitudine variatur, pro eo, quod illos manere diutius nature mortalis conditio non permittit. In ecclesia siquidem triumphanti, que superne patrie regionem inconcussa possessione iam obtinet, Salvator noster,

ſter, Dei filius ſummus eſt Pontifex, qui ſempiterno fungitur ſacerdotio, manens in eternum, & ſubacto mortis imperio ſemper vivens. In hac eccleſia militanti autem, quam exemplarium ad inſtar celeſtium, in conſumationem ſanctorum ſuper terra, Dei fabricavit ſapientia, Pontifices mortalitatis infirmitate trucidati, vt conſtituantur pro omnibus apud Deum, ex omnibus aſſumuntur. Hinc eſt, quod illa triumphans indeficienti eterni ſponſi gaudio & immortalitate beata, luctum viduitatis ignorat, hec militans autem, dum peregrinatur in terris, corporis carceribus obligata, frequenter cogitur viduitatis ſue lamenta reſumere, ac tedia experiri, hiis lamentis & tediis, ſicut domino placuit, qui aufert ſpiritum principum, eccleſie ſancte nuper concuſſa ſunt viſcera; eiusque maxille perfuſe amaro pro fluvio lacrimarum, felicis recordationis Innocentio Papa, predeceſſore noſtro, VII. Idus Decembris, apud Neapolim, per vniverſe carnis viam de nequitia huius ſeculi evadente. Qui cum adhuc neceſſarius eſſet, & admodum vtilis populo Chriſtiano, forſitan ideo vocatus eſt à domino ante tempus, vt mundus in maligno poſitus preſentia eius agnoſceretur indignus, & ipſe de iniquitatum medio, que animam eius diu cruciaverunt, tolleretur. Die itaque ſequenti, iuxta morem exequiarum ſolempnitate premiſſa, eiusque corpore in Neapolitana eccleſia tumulato, nos, & fratres noſtri ad ſubſtituendum convenimus ſucceſſorem, & miſſarum ſolempniis in honore ſancti Spiritus devote ac humiliter celebratis, poſt aliquantulum de futuri paſtoris ſubſtitutione tractatum habentes, iidem fratres noſtri oculos ſuos ad imbecillitatem noſtram communiter & concorditer direxerunt, nos ad conſcendendam ſpeculam apoſtolici culminis, & ſubeundam graviſſimam orbis ſarcinam eligendo. Verum nos ea re ſupra quam dici valeat, ſtupefacti, & que & qualis eſſet illa diſpoſitionis divine vocatio, anxie cogitationis examine

mine revolventes intra nos ipſos, quantum in illa potuimus fraterne inſtantie preſſura reſedimus, meditando negotii gravitatem, metiendo vires, ponderando prudentiam, comparando merita, & ad perficiendum ſumptus virtutum neceſſarios computando. Denique videntes hec nobis non habundanter adeo, quin potius advertentes, quod nichil nobis de noſtris meritis revelabat proprie conſiderationis intento, vnde conſtitui mereremur in mundi vertice ſuper gentes & regna, & vniverſalem in orbe terrarum evellendi atque plantandi accipere poteſtatem, in ſpiritu, non contumacie, vel contemptus, ſed timoris, de noſtrorum defectuum conſcientia precedente, non ſequenda iudicavimus vota fratrum, ſed manus ab opere, ac humeros ab onere, cohibendos. Conſideratio enim gradus, caſus nobis formidinem ingerebat, quia de tam alto culmine dignitatis, terribili videlicet loco apoſtolorum principis, quis nam animus, quantumlibet magnus, inſpecta iacentis deorſum abiſſi faciem non paveret, quis nempe iugum publice ſervitutis, ſub quo probata gigantum virtus, & fortitudo virorum a ſeculo laudatorum hactenus gemuit, audeat ſcienter & prudenter appetere, quod ſpiritum meroribus torquet, mentem eviſcerat, dies laboribus obſidet & noctes pruducit inſomnes. O! quam ſani conſcilii, & quam conſulte deliberationis electo, abiectum eſſe in domo Dei magis, quam loci eminentioris celſitudine preeminere; in convivio Chriſti locum tenere noviſſimum, quam cum pacate quietis diſpendio ſuperius promoveri. Defecit nimium ſpiritus conſiderantibus nobis vndique, quanta nunc ager mundi malorum denſitate ſilveſcit, & ſpem de viribus circa eius cultum difficultas operis vix relinquit. Cum invaleſcens malignitas diffidentium corda populorum induraſſe videtur in lapides, ita vt manum domini pauci ſentiant in flagellis, cui dabitur filios Abrahe de lapidibus ſuſcitare, & reddere domino populum acceptapta-

ptabilem, bonorum operum ſectatorem? Propterea excuſſavimus, cum lacrimis, & vsque ad contriſtationis & indignationis offenſam, eisdem fratribus importabilem nobis ingerentibus apoſtolatus ſarcinam, duximus reſiſtendum, orantes eos, & per obteſtationem divini iudicii obſecrantes, vt a nobis calicem hunc transferrent, & traderent, alii fortiori. Sed ipſi velut ob noſtrorum exigentiam peccatorum irrevincibili importunitatis inſtantia noſtram reſiſtentiam evicerunt, cogentes nos invitos ſuis deſideriis conſentire, & ſic cum dolore cordis & tremore quam plurimo, infirmitatis noſtre colla ſummiſimus iugo apoſtolice ſervitutis, confidentes in Deo, qui dat omnibus affluenter, quod inſufficientiam noſtram, quam humiliter recognoſcimus & libere profitemur, ex ſe ipſo miſericorditer adimplevit. Sollicitudine ergo eccleſiaſtice adminiſtrationis aſſumpta, divine propitiationis miſericordiam imploramus, vt per ſue voluntatis beneplacita in viam pacis dirigens greſſus noſtros in hiis, que ſunt ad ipſum pro populo favorem nobis auxilii celeſtis aſpiret, vt eo nobis incrementum deſuper largiente, ſub ſacerdotio noſtro proveniat quies regnis, pax eccleſiis concordia plebibus, & moribus diſciplina. Vos autem, filii, Deum timete, & mandata eius in ſpe mercedis inmarceſſibilis cuſtodite, in hiis, que ſecundum Deum ſunt de noſtra & apoſtolice ſedis benevolentia confidentes, quoniam vos, tamquam devotos filios intendimus proſequi, gratia & favore.

NVM. XLVII.

Reſponſiva precedenti, in qua notificant Mediolanenſes dolorem, quem habuerunt de morte Innocentii Pape, deinde notificant Alexandro Pape gaudium, quem habuerunt de creatione ipſius, ſe & civitatem ſuam recommendantes.

San-

Sanctissimo patri & domino Alexandro, divina providentia summo & glorioso Pontifici, Philippus de Asenellis, potestas, consilium, & commune Mediolanense, sui per omnia subiectam devotionem, & devotam reverentiam, & pedum oscula beatorum.

Fama, que iocundissime memorie domini Innocentii, predecessoris vestri retulit obitum, vltra cogitationes cuiusvis hominis nostrum turbavit auditum, & amaritavit plusquam exprimi possit per litteras, corda nostra. Nec mirum si eius decessu sic amare doluimus, quia, vt breviter concludamus, & non presumamus attemptare per singula ipsius excellentia gesta narrare, quod numero vincunt maris arenam, ipsum, post Deum, Christiani populi cognoscimus redemptorem. Sed tristitie nebulas per hoc circumdantia mentes nostras eadem fama referens, vos nutu divino factos esse successores ipsius, flatu repulit favorabili. Scimus namque, vt pretermissis omnibus verborum blanditiis, que apud vestram locum non inveniunt sanctitatem, nec fabricari consueverunt a nobis, vtamur ipsa veritate tantummodo, quod ad defensionem fidelium semper & indefesse vestre cura sollicitudinis vigilavit, nullas propterea vitans angustias, discrimina, vel labores, propter quod, quas possumus largitori bonorum omnium gratias agimus incessanter, qui per exaltationem vestram inapostolatus officio, tam patenter quam misericorditer saluti providit populi Christiani. Per litteras autem, quas de tam digna vestre cura sollicitudinis vigilavit sublimatione persone (*ita sane legit Codex*) nobis vestra veneranda misit paternitas quasque plena reverentia nec non devota fidelitate suscepimus, gratias in tota nostra possibilitate vestre referimus sanctitati, nos ad devotionem & fidelitatem promptissimam exponentes, nos & nostram dominationi vestre commendamus affectuosissime civitatem, flagitamus & insuper totis affectibus, vt nobis mandatum vestrum semper adimplere

re volentibus iniungat, quidquid placeat, veſtre dominationis immenſitas, & ſapientie plenitudine deſiderium ſerviendi, quo totaliter animus noſter afficitur, per effectum operis, ſi caſus & poſſibilitas exſtiterint cognitura.

NVM. XLVIII.

Scribit Papa (*Alexander IV.*) communi florentie, quatenus Marchiam (*Marchionem*) Lancie, in regnum pro ſubſidio Regis Manifredi cum armata militum comitiva accedere diſponenti, commodum tranſitum per terras iurisdictionis ipſorum, ita quod procedere nequeat, debeant protinus denegare.

Alexander Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, nobili viro - - Poteſtati, conſcilio, & communi florentie ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Poſt multiplices eccleſie labores, celeſti favore promotos, circa ſedandas motuum tempeſtates, quibus Chriſtianum populum tiranica dudum vexavit iniquitas, adhuc ſuperſunt aliqui malorum, quibus Deus finem videtur imponere, incentores, qui, ſicut accepimus, ſub aliquo pretextu velaminis callide ſubmittere, vel ſubintroducere intentionis ſue complices alia ſpecie palliatos intendunt, vt in regno Sicilie, vnde ſubverſores ſtatus Italici hactenus roboris ſui auxere fomenta, impie debacchari valeant, & iam fere ſopitos ibidem communis incendii cineres ſuſcitare, propter quod oportet cogitationes ipſorum, vt in ſua citius nativitate deficiant, cauto prudentie conſilio preveniri. Audivimus ſane, vnde miramur, quod nobilis vir M. Lancea Marchio, avunculus Manifredi, nati quondam Friderici Imperatoris, olim Principis Tarentini, quem a principatu & aliis benificiorum honoribus, quibus eum preva-

venerat ecclesie misericordia liberalis, gravis culpa, & paterne perfidie similitudo deiecit, cum armata militum comitiva, in prefatum regnum venire disponit, non rogatus quidem a sede apostolica, nec vocatus. De probata igitur fidei & devotionis vestre constantia confidentes, vniversitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eundem Marchionem, & sequaces ipsius sic impedire curetis, quo per loca vestre potestati subiecta nulla possit ratione vel occasione transire. Porro, si qui alii etiam fuerint de partibus Lombardie in regnum predictum venire volentes, nisi manifestis vobis constitent argumentis, quod ad nostrum & ecclesie servitium sint venturi, eis per terras vestre iurisdictionis, ita, quod procedere nequeant, omnimodo transitum denegetis, preces & mandata nostra taliter impleturi, quod fideles probemini, sicut hactenus fuisse vos novimus libertatis & pacis Italie zelatores, & ex hoc specialiter nos & Romanam ecclesiam ad gratam vobis vicissitudinem obligetis.

NVM. XLIX.

Exponunt (Mediolanenses) summo Pontifici puritatem fidei, quam habuit Marchio Lancea erga fideles ecclesie, & rogant, vt eidem in hiis, que petierit, benignum assensum prebere dignetur.

Sanctissimo patri & domino Alexandro, Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie summo & glorioso pontifici, Phylippus de Asenelis, potestas, conscilium, & commune Mediolanense, sui per omnia, se ipsos ad quecunque mandata, & devotissima pedum oscula beatorum.

Si vniversale bonum, quod de potentia viri nobilis, Manfredi, clarissimi Marchionis Lancie fideles habuerunt

runt Lombardi, explicare per ſingula conaremur, vn
dies totus non eſſet ſufficiens, fatigaretur dextra ſc
bentis, & licet veſter animus legendo delectation
ſentiret non modicam, tamen narratione prenim
quam res expoſceret, intuitus gravaretur. Cumq
non ſolum paternitati veſtre, que cuiusque oper
ſollicite perſcrutatur, vt vnicuique pro meriti qualit
reſpondeat, devotionis filios exaltando, deprimer
rebelles, ſed etiam de Chriſtianitate nullam cur
habentibus, non ſit huiusmodi bonum ignotum, ni
aliud eſſet puritatem fidei dicti nobilis papali ex
nere ſanctitati, quam lucem ſolarem videnti cuili
manifeſtam, accuratius predicare. Plena verum
men ſecuritate coram clementia veſtra ſub breviloc
proferimus, & teſtamur, quod dictus egregius tem
re, quo noſter adverſarius credebatur, quantum
cuit fidem ipſius noſtris invigilavit profectibus, ob
ſpectum, ſicut firmiter creditur, ad eccleſiam, qu
habebat, quia quod cito ſibi licere putavit, ad ip
eccleſie gremium ſe convertit. Ex quo cum ini
cos eccleſie ſibi fecerit tantum iniquos, vt communi
deſideriis ſitiant, vituperium & deſtructionem ip
eccleſie providentia, & fautoris eiusdem diſcrecio
bent arborem ſuam, que tot conatibus ſeveris imp
tur, profectiva roborare tutela. Sciunt etenim inin
crudeles, quod ipſe vir providus, Alexandrinos, &
teros fideles de partibus vltra Padum, ad quorum d
cerationem irreparabilem ſuſpirarant, de ipſorum
nibus liberavit. Eſt enim quaſi iam cor aditus illor
ad nos & noſtrum ad illos, per quod, vt alia tacean
ſi meretur veſtrum in ſuis petitionibus ſentire fa
rem, ſententie & veſtrum equum iudicium ſancte
ter (eſt.) Nos equidem latorem preſentium Notar
Iohannem ſecretiſſimum familiarem, ipſius nob
virum multa ſtrenuitate probatum, quem ad veſt
dirigit bonitatem, ex parte noſtra veſtre dominat

totis affectibus commendantes humiliter poſcumus, & ſubiective rogamus, quatenus dignantes eis, que propoſuerit in veſtra preſentia fidei plenitudinem adhibere, & petitionibus, quas pro ipſo potenti duxerit porrigendas, benignum preſtantes aſſenſum, eas pro meritis ipſius & noſtre devotionis intuitu favorabiliter impleatis, vt ex hoc ſperato ecclesie commodo contingente nos habeatis promptiores ad grata, & fervor dicti nobilis propenſius augeatur, & quem expectat honorem & vtilitatem ecclesie poſſit plenius exercere.

NVM. L.

Scribit Papa communi Mediolanenſi, quod non debet mirari, ſi ipſe audito a pluribus, quod Marchio Lancea cum armata militum comitiva in auxilium Manfredi, olim Principis Tarentini, venire in regnum Sicilie diſponebat, quibusdam devotis ecclesie mandavimus (*mandaverit*) ipſius magiſtri (*Marchionis*) tranſitum impediri, cum ſi vera fuiſſent, que de eo rumor attulerat, poterat, nec immerito formidari, quod negotium dicti regni, quod tamen eſt procuratum ſudoribus, turbaretur.

Alexander (*IV.*) Episcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis, conſcilio & communi Mediolanenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Turbari non debet veſtra filialis dilectio, devotio vel mirari, ſi in novitate noſtre promotionis audito a pluribus, quod dilectus filius nobilis vir, Marchio Lancea cum armata militum comitiva in auxilium Manfredi, olim Principis Tarentini, Deo & ecclesie inimici, nepotis ſui, venire in regnum Sicilie diſponebat, quibusdam devotis ecclesie non ad ipſius Marchionis iniuriam, ſed vt

eidem Manfredo eius ſubtraheremus ſubſidium & ſuccurſum, litteris noſtris mandavimus, vt dicti Marchionis ad regnum ipſum tranſitum impedirent, cum ſi vera fuiſſent, que de eo rumor attulerat, poterat, nec immerito formidari, quod negotium dicti regno, quod tantum eſt procuratum ſudoribus & expenſis, per hoc in noſtris manibus turbaretur. Verum intellectis, que ipſius & veſtri nuntii nuper in excuſationem ſuam in noſtra preſentia retulerunt, gaudemus in Domino, quod idem reverſus ad matris eccleſie gremium, a fidelitate ipſius nullius perverſitatis contagio eſt adverſus (*averſus.*) Sed ſicut in veritate comperimus, & evidentia facti probat, ipſe conſtanter in devotionis eius ſinceritate perſiſtens, prompte fidei & inviolate puritatis affectum laudabiliter exhibere ſatagit per effectum, propter quod ipſum de premiſſis habentes penitus excuſatum, & tamquam filium benedictionis & gratie gratioſa benevolentia proſequentes eum plene ſinceritatis brachiis complexamur. Nullum ergo idem ex eisdem litteris in animo ſuo debet concepiſſe rancorem. Nec vos etiam debeatis exinde in aliquo conturbari, cum per facti errorem littere ipſe proceſſerint; nosque ad eiusdem Marchionis profectus grandi deſiderio aſpirantes intendimus perſonam eius congruis efferre honoribus, favoribus proſequi, & beneficiis confovere.

SEMI-

SEMICENTVRIA CHARTARVM LITTERARVMQVE SELECTIORVM A REGIBVS, PRINCIPIBVS ET VIRIS ILLVSTRIBVS ALIIS, INDE A SAECVLO XI. AD XV. VSQVE PERSCRIPTARVM.

NVM. I.

Henricus S. Imp. Coenobio S. Mariae Gandesiensi confirmat bona nonnulla.

In nomine ſancte & individue trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum Imperator Auguſtus.

Si eccleſiarum Dei loca alicuius doni commodo ditare ſtuduerimus, nobis id, regnique noſtri ſtatui proficere minime dubitamus. Quapropter omnium DEI fidelium noſtrorumque noverit vniverſitas, quod dilecta ſoror noſtra Sophia, Ganderesheimenſis eccleſiae venerabilis Abbatiſſa, vna cum beatorum confeſſorum Anaſtaſii Innocentii congregatione ſibi commiſſa humiliter deprecando nos adiit. Quatenus de proprietate eiusdem eccleſie cuidam pauperi monaſterio ibidem in honorem ſancte Dei genitricis perpetuę virginis Marię eſtructum, vbi ſanctimoniales ſub regula ſancti Benedicti iugiter domino deſerviunt, eccleſiam in Darniburc cum omnibus pertinentiis ſuis, villam etiam, que dicitur Burnhuſun, cum familiis vtriusque ſexus, ceterisque appenditiis ſuis, tresque litos in loco vtis levo quorum nomina ſunt hec, Longer. Roderii. Redo. cum coniugitus filiis, filiabus ſuis & manſis quos poſſident, vt in totum omnino triginta manſi habeantur, noſtra imperiali auctoritate firmaremus. Cui peticioni aſſenſum benigne prebentes eidem monaſterio ſancte Marię prenominatam eccleſiam, iamque dictos manſos cum omni-

omnibus quomodocunque nominari possunt vtilitatibus per hanc imperialem paginam firmamus. Eo tenore vt abbatissa eiusdem monasterii liberam habeat potestatem de eadem proprietate quidquid sibi placuerit faciendi ad vsus sororum ibidem domino sub regula servientium. Precipientes itaque interdicimus, vt nulla Gandereshemensis abbatissa aut quelibet magna sive parva persona abbatissam eiusdem monasterii sibique in ordine succedentes de his omnibus disvestire vlterius aut inquietare presumat. Quod vt verius credatur, firmiusque ab omnibus observetur, hoc preceptum inde conscriptum manu propria confirmantes sigilli nostri impressione iussimus signiri.

Data quinto decimo Kal. Octobr. Indictione duodecima, anno Dominice incarnationis millesimo quarto decimo. anno domini Henrici secundi regnante tertio decimo, imperii vero primo. Actum Halverstedi.

NVM. II.

Theodoricus Virdunensis Episcopus, Metropolitano suo, Egelberto Trevirensi, de dilatione consecrationis, quam is petierat, se excusat.

Sancte Trevirensis ecclesie patri reverentissimo vnanimiter electo, canonice admisso Theodoricus Dei gratia id quod est debitam dilectionem, ex dilectione subiectionem ex subiectione servitutem, ex servitute intimam in omnibus servata ratione devotionem.

Teste conscientia, teste & illo, qui omnia novit, nemo est, qui dignitatem vestram melius velit, nemo qui vnanimi electione vestra magis applauserit, nemo inquam, qui tam de iocunda patris ad filium prelati ad subditum affinitate, rationabiliter incepta, rationabilius finienda maiorem fiduciam consilii & auxilii sibi assumpserit. Fateor me in omnibus vobis & ecclesie

Tre-

Treverensi iustum debitorem, vtpote quem elegi & laudavi in dulcissimum patrem, immo quia ecclesiam Treverensem semper habui & vita superstite habiturus sum in dulcissimam matrem Ecclesia Wirdunensis Treverensem vt filia matrem digna dilectione, debita subiectione amplectitur, vt subiecta prelatam veneratur. Membrum enim capiti subconnexum proficit, divisum omnino deficit. Legati vestri F. Archidiaconus N. miles moverunt me, vt Treverin venirem, obedientiam vobis & ecclesie persolverem, ordinationi vestre consecrationem vestram in tanta omnium necessitate, non modo vobis, sed & nobis, qui affligimur, qui angustiamur, valde necessariam vlterius (*non*) differrem. Tam iuste tam saluberrime monitioni nec difficultatem nec moram aliquam pretendissem, si in hoc cum meam tum vestram salutem non attendissem, si non benedictionem pro maledictione hoc tempore reputassem. Non hoc ago, vt voluntati vestre contradicam, vt ordinationem impediam, vt promotionem suspendam, cum pro caritate & paternitate vestra paratus sum vltro offerre corpus & animam. Adaperiat dominus cor vestrum in lege sua, & in preceptis suis, & in presenti causa. Valete.

NVM. III.

Egelberti Trevirensis electi invectiva in Gregorium VII. Papam.

Patribus, non fratribus, dominis, non amicis, E. (*Egelbertus*) designatus Treverensis Episcopus ecclesie devotissimas orationes in Christo.

Ferre sententiam contra apostolicum non est tutum, immo insanum & omnino nefarium aliquid audere in illum, qui in vice sancti Petri fungitur legatione ipsius Christi. Iste autem, qui invasit sedem apostolicam, qui inaudita elatione effertur, qui profanis novitatibus

ſtudet, amplo nomine delectatur, quem neque Chriſtianum appellem, quia non habet caracterem, id eſt pacem & caritatem, quem Chriſtus ſuis militibus impreſſit, qua Chriſtus ſuos notavit, non occurrere contra hunc, non inſurgere, magnum ſancte matris eccleſie eſt periculum, & plane eſt contra dominum. Quis enim neſcit ex hoc quaſi fonte omnis diſſenſionis, & capite omnis ſchiſmatis, excluſa pace eccleſie diſcordiam totius mundi emerſiſſe? Quis inquam non videt per hunc quaſi ſigniferum tantum ſanguinem mundi effuſum eſſe? De multis rationibus, quia non ſequitur Chriſtum, nequeo vere appellare Chriſtianum, ita certe nec Papam, quem video totiens & tam manifeſtum homicidam. En bonus & ſanctus Papa! cuius conſiliis, cuius inſtinctu & ductu, membra Chriſti tot & tam perditis modis ſunt dilacerata. En bonus Paſtor! qui (*in*) illos tanta crudelitate craſſatur, pro quibus Chriſtus in cruce pependit, quos ipſo proprio ſanguine redemit. En verus Pontifex & iuſtus ſacerdos! qui, ſicut dubitat, ſi illud, quod ſumitur in dominica menſa, ſit verum corpus & ſanguis Chriſti, ita nec penitentibus etiam ea, que iuſte fracta ſunt, condonat ſacramenta. Nichil certe ita eſt impium, nichil ita eſt deteſtabile & execrabile, quod ipſe curet, dum alios contra Regem armet, dum alios ad bellum, quod ipſe omnibus intendit, excitet. Inter has multiplices calamitates & miſerias, quas patitur & conqueritur ſancta eccleſia, michi quoque illata eſt ab eo tam ſuperba quam violenta iniuria. Cum enim Treveris pari conſenſu tam cleri quam plebis eſſem electus Epiſcopus, tamen eo impediente, nullam culpam obtendente, fere per biennium non potui conſecrationem obtinere, omnibus eiuſdem eccleſie filiis & ſuffraganeis intercedentibus, & inuſitatam ſue metropolis viduitatem multum querentibus. Nichil michi profuit ſincerus introitus, & legitima mea electio apud illum. Nichil valuit con-

ſona

ſona auctoritas Epiſcoporum, & ſtudioſa loci interceſſio. Vt taceam mea, vt pretermittam privata, quia malus eſt nec purus eius introitus, quem minatus, & provenit ad perditiſſima exempla, ne plus per hec ſancta, que modo in extremum trahit ſpiritum periclitetur eccleſia, ex me dico, quod nullam ei obedientiam poſthinc ſervabo, nec meo iudicio amplius ſedebit in loco, & in vice ſancti Petri, quem ipſe non ſequitur obſtupenda abuſione novitatis ſue & inauditi decreti.

NVM. IV.

Hutzmanni Spirenſis Epiſcopi epiſtola ad Longobardiae proceres de comitiis Moguntinis contra Gregorium VII. habitis.

In Domino dominorum diligendis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, nec non & totius Longobardie tam minoribus quam maioribus H. (*Hutzmannus*) Spirenſis Epiſcopus ſervitutem & honorem.

Super regni perturbatione, regieque poteſtatis derogatione, nec non etiam ſuper vacillante ſtatu eccleſie non minus ego dolens quam ceteri principes regni decrevimus Mogontie inire ſimul conſilium, ſi fieri poſſet, vt & regni perturbatio ſedaretur, regiaque poteſtas redintegraretur, & ſancte matri eccleſie, ne omnino naufragium pateretur, ſuccurreremus. Quonam autem modo hoc fieri poſſet, excogitare nequivimus, niſi caput peſtifere ſerpentis penitus abſcinderetur, cuius venenoſo afflatu hec exorta hactenus intumuerunt. Manente vero cauſa efficiente, quomodo poterit effectus extirpari? Quo inito conſilio tam primates quam minores firmiter fideliterque decrevimus, vt Hildebrandus ille ſedis apoſtolice ſubdolus invaſor, divinarum humanarumque (*rerum*) exſecrabilis perturbator, Deo opitulante omnimodis abdicetur, aliquis

dignior illo in ſedem apoſtolicam eligatur, qui diſperſa colligat, contracta conſolidet, non diſcordiam, non bella, ſed pacem in ſancta eccleſia vt bonus paſtor deſideret. Nec ab hoc negotio perficiendo ſtrenuitatem veſtram abſterreat, quod prius in ſimili conſilio nos portum tenentes periculoſe procellarum iactationi vos commiſimus. Sed potius viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, qui ſperatis in domino, pro certo ſcientes levius extorqueri clavam de manu Herculis, quam in preſenti negotio divellamur vita comite a vobis. Valete.

NVM. V.

Fuldenſium libellus ſupplex ad Imperatorem pro recipienda villa monaſterio ablata.

Domino ſuo Heinrico Imperatori Ceſari auguſto ſancti Bonifacii humilis congregatio exultare in domino & feliciter triumphare de adverſario.

Teſtis eſt, cui omne cor patet dominus quod (*ſine*) intermiſſione tui memoriam facimus noſtris in orationibus, obſecrantes, quatenus pius dominus in faciem Chriſti ſui reſpiciat, & conſilium adverſus te malignantium ad nichilum redigat. Et quia poſt te cariſſimum ſemper adherebit anima noſtra, proſpiciat imperialis clementia ſaluti noſtre, que pendet in manu tua, vt villam pro qua ſepius ad te clamavimus, demum noſtre iubeas indigentie reſtitui, & erimus in perpetuum ecce! coram Deo devotiſſimi oratores tui. Nos autem & in modico & in magno, quia per omnia & in omnibus in te ſperamus. Vivat anima tua, kariſſime dominorum, vt ne pereamus. Vale.

NVM. VI.

Bruno Trevirenſis Archi-Epiſcopus Ottonem Bambergenſem iuſſu Pontificis evocat, ad

co-

cognoſcendam cauſam Spirenſis electi, eiusque & Eichſtetenſis Epiſcopi novi conſecrationem peragendam.

Bruno, Treverorum Dei gratia proviſor indignus O. (*Ottoni*) Bambergenſis eccleſie ſancto Pontifici ſincere caritatis obſequium.

Beatitudini veſtre magna hilaritate congratulor, quoniam non absque magno ſanctitatis veſtre merito credo provenire, memoriam veſtri dominum Papam tam dulciter retinere. Cum enim domini mei Regis legatione functus eſſem, de obedientia veſtre caritatis mecum contulit, vobisque ſalutem & apoſtolicam benedictionem per me mandavit. Inito autem diſpenſationis ſue conſilio nobis iniunxit, vt electum Heiſtetenſem atque Spirenſem conſecraremus, vosque in adiutorem & cooperatorem nobis vocaremus. Quia tamen de Spirenſi quedam ſibi ſignificata fuerant, precepit, vt ſancto eum ſtudio examinaremus, & ſi ordine, fratrum, qui adeſſent, teſtimonio poſſet ſe de obiectis expugnare (*purgare*) ad Dei honorem, & eccleſie neceſſariam providentiam ipſum ordinaremus. Ex parte igitur domini Pape vos moneo, vt ad hoc, quia cauſa Dei eſt, ne per vos proteletur, ſtudeatis, & a die dominice reſurrectionis infra XV. dies ad nos Spiram veniatis.

NVM. VII.

Henrici V. querela de Alberto Moguntino.

Heinricus Dei gratia Romanorum Imperator, Ceſar Auguſtus, Prepoſitis, Decanis, & omne congregationi cunctis etiam Moguntinenſis eccleſie civibus, tam minoribus, quam maioribus, ſibi fidelibus gratiam, dilectionem, & omne bonum.

Confiteantur domino miniſtri eius, & mirabilia eius, filiis hominum, quia nec eſt prudentia, nec eſt ſapientia,

tia, nec eſt conſilium, contra dominum, qui ſcilicet ſpem inſpirante gratia iam convertet corda patrum in filios, & corda filiorum ad patres ipſorum. Vnde & nos non ceſſamus domino gratias agere pro vobis, cuius gratia & dono amara veſtra dulcia facta ſunt nobis. Et ideo, licet per ineffabilem divine pietatis inſpirationem luctum noſtrum in gaudium, & amaritudinem verteretis in dulcedinem, pro antiqua tamen infidelitate (*fidelitate*) quam in cordibus veſtris divinitus iam incaluiſſe cognovimus, dilectionem veſtram ammonere potius quam rogare decrevimus. Memores enim eſſe debetis in omnibus, qua fide, quo pacto, quibus ſacramentis & obſidibus, Adelbertum illum periurum & traditorem, qui non meritis, ſed nomine dicitur Epiſcopus, fidelitati veſtre diligentiſſima convencione credidimus. Et cum vos omnia bona promitteretis nobis ab eo, & nos hoc veſtro promiſſo nichil niſi bonum ſperaremus ab ipſo, exſpectavimus pacem; & ecce turbatio. Poſtquam enim Spiram ad nos redintegrata ſibi corporis & honoris ſui poteſtate veniretis, obſides ſuos manu ad manum ipſe nobis preſentavit, & ſuis ſacramentis veſtra firmavit. (*Cum*) ſtatim inde diſcederetis, miſſis vbique litteris ac nuntiis vos & honorem noſtrum impugnavit, ac per totam Saxoniam & Thuringiam, Bawariam & Alemanniam, amicos noſtros tamquam inimicos noſtros contra nos vbique ſollicitare cepit, ſicque ſicut canis, qui revertitur ad vomitum, antique perfidie ſue recepit venenum, quod quaſi vipera que virus reſumit per coitum a mari vſque ad mare per totum regnum diffundit & imperium. De his ergo & aliis malis nobis reſponſurum ſtatutis induciis eum ad nos venire iuſſimus, & non venit; ſed inſuper apponens iniquitatem ſuper iniquitatem, Spiram, quod in cor noſtrum altius aſcendit, armata manu, & erectis militaribus ſignis violenter invadere voluit; Sed fruſtrato Dei gratias labore rediens, congre-

ga-

gatis quos potuit, caſtrum noſtrum Strumburc funditus deſtruxit, deinde alia caſtra noſtra contumaciter obſedit, invaſorem Verdunenſis ecclefie contra ius conſecrari fecit, regnum noſtrum & imperium rapinis & homicidiis, cede & incendiis quaſi apud de ſilva ſic vbique devaſtavit, vt nichil iam diviſis ipſius reſtet erroribus, niſi vt fiant noviſſima hominis peiora prioribus. Hec igitur & alia mala, quorum non eſt numerus, licet ab oriente vsque in occidentem nota ſint omnibus, omnibus vobis tamen nota ſunt eo melius, quo ſecretis eius omnibus pre ceteris vos ſemper interfuiſtis familiarius. Sed & omnes, qui in regno noſtro ſunt, ſciunt, omnes clamare poſſunt, &, ſi hi tacuerint, lapides clamabunt. Et ideo dilectiſſimi nobis tam clerici, quam laici, tam milites, quam cives, qui hec omnia vidiſtis & audiſtis, diligenter apud vos cogitare vel recogitare debetis (*quam*) dilectionem pro ſacramentis & obſedibus veſtris veſtra ſibi dilectio debeat, qui nec proprio ſanguini ſuo, filiis ſcilicet fratrum ſuorum debitam fidem ſervavit. Verum quia inter alia ſpecialiter hoc in noſtra fuit conventione, vt, quando aliquid contrarii moliretur dignitati noſtre ſtatim determinatis induciis transactis, veſtro ſtudio & labore expelleretur ab vrbe; idcirco, ſi veri fideiuſſores crediti negotii eſſe deſideratis, monemus vos omnes per fidem & obſides, quos dediſtis, & ſacramenta, que feciſtis, quatenus obſidibus veſtris conſulentes, & ſacramentis precaventes eundem periurum veſtrum ac noſtrum, Adelbertum ſcilicet dictum Epiſcopum civitatem iſtam nullatenus intrare permittatis, ſed quaſi ſcopis ab eo mundatam, cum F. Duce, & S. Palatino comite, aliisque fidelibus noſtris diligentiſſime ſervare ſtudeatis. Quod ſi feceritis, & hec omnia diligenter ſervaveritis, pre omnibus, quos in regno habemus ex amicis amiciſſimos vos ſemper habebimus, & quod in nos peccaſtis vmquam, in exemplum illius mulieris peccatricis totum tranſibit

bit inultum, cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Quid plura? Is qui ad hoc venit in mundum, vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum, ita diſperſos noſtros ſub iugum fidei iam coacervando revocet, & revocando coacervet, vt in caritate Chriſti & diſperſa congreget & congregata conſervet. In hoc igitur domino vos & nos domino & vobis intime commendamus, optantes, vt cum reverſi fuerimus ad vos, meliores vos filios invenire quam reliquiſſe gaudeamus.

NVM. VIII.

Reinoldi Colon. Archi-Ep. epiſtola ad Adelheidin, Gandeſienſem Abbatiſſam de parochia Dalheimenſi Richmanno clerico collata.

R. (*Reinoldus*) Dei gratia ſancte Colonienſis eccleſie electus & Italie Archicancellarius prenobili Domine A. (*Adelheidi*) venerabili Abbatiſſe de Gandirsheim ſalutem, & intime dilectionis affectuoſum ſervitium.

Si vniverſa, que circa vos ſunt, iocunda gaudent proſperitate, intime gratulamur, & tanto attentius exultamus, quanto ſpecialius vos in cunctis ſemper feliciſſime proſperari deſideramus. Noverit igitur honeſtas veſtra, quod dilecto & familiari noſtro clerico Richmanno eccleſie beati Mauricii cellario, eccleſiam in Daleheim, quam a largitate veſtra tenuimus, ſub fiducia veſtre benivolentie conceſſimus, vt & eccleſie illius diutino lapſui per eum vtiliter conſolatur, & vice noſtra per ipſum vobis honorabiliter deſerviatur. Quia vero idem veſtre nobilitati novit, poteſt, ac deſiderat honorifice ac affectuoſe deſervire, & non ſolum hoc, ſed & maiori veſtre liberalitatis dignus eſt beneficio, obnixe vos exoramus, quatenus grata vobis ſit hec noſtra conceſſio, atque ad hoc ei benigne cooperari, & efficax auxilium divine pietatis intuitu, noſtreque petitionis interventu impendere dignemini, vt bona eccleſie illius,

lius, que dispersa sunt, recolligere, & ad honorem Dei ac vestrum ea ad statum decentem ac congruum valeat reducere. Cum multiplici enim gratie & honoris fructu ad vos redibit, quidquid ecclesie illi decoris & vtilitatis accesserit.

NVM. IX.

Laudum concordiae inter duo coenobia Reinhardi fontanum & S. Georgii a Ludovico III. Landgravio Thuringiae pronuntiatum.

In nomine sancte & individue trinitatis.

Ludewicus tercius divina favente gratia Landgravius in Thuringia.

Quandoquidem manifestum est, quod oblivione cuncta delentur, & novarum lites contentionum facillime oriuntur ex oblivione gestorum præteritorum, quas tamen contentiones dirimit & in concordiam revocat sigillatorum privilegiorum auctoritas. Inde est, quod quæ in diebus nostris inter Ecclesiam Reinheresbrunensem, & Ecclesiam de sancto GEORGIO pro utriusque partis commodo, & pacis custodia legitime acta sunt, nobis præsentibus & cooperantibus, ut in convulsa permaneant, necessarium duximus scripto, præsentium & futurorum memoriæ commendare, & sigilli nostri impressione confirmare. Innotescat igitur vniversitati fidelium, quibus continentia præsentis paginæ innotuerit, coniunctio & concambium, quod inter præfatas Ecclesias nobis mediantibus definitum esse dinoscitur. Ecclesia siquidem nostra in Reinheresbrunnen habebat villam nomine Herrenhoff, quam in concambio fratribus de sancto GEORGIO cum omnibus pertinentiis suis legitima possessione contradidit, his de signatis terminis. Ipsam villam cum Ecclesia, molendino, prato, quod dicitur Langewiesen, & mansiones in Hohenkirchen, Cranechmor, Sunderen, Rotenbu-

buhil, Gorbere, dimidium, cum ſubjacento planitio. Verſus orientem usque in Virnebach, verſus Septentrionem usque adſtratam, quæ dicitur Ordorf, ab eadem via ſecus pratum, quod dicitur Ungehurenwiſen, usque Santwerf. Verſus meridiem usque ad Ordorfsteiger, Sachſenfeld dimidium cum pertinentiis ſuis. Vizzenroth, dimidium a Rodenbach usque Meinoldeſtrazen, ab ea usque Smalewazzer, ab hinc usque ad Stratam Steiger, quæ tranſit per Heſelenveld. Item tertiam partem nemoris inter Franckenſtic & Ioibam & amnem Aphelſte. Item tertiam partem nemoris inter Rodenbach & Hainbach verſus Loibam. Pro quorum omnium commutatione, eccleſia ſancti Georgii contulit eccleſiæ Reinheresbrunenſi in Strouwe VIII. libras reddituum, In Vodelſtete III. libras, In Boſſenbrunnen ſex ſolidos, In Vneleiben III. ſolidos & dimidium, In Noteleiben XXX. ſolidos. Inſuper VIII. libras argenti ponderati. Convencionem huius concambii compoſuit Ludewicus Landgravius pater noſter, una cum matre noſtra, & fratribus noſtris, ordinante & annuente Hermanno, Abbate præfatæ eccleſiæ, cum univerſo fratrum ſuorum collegio, qui eadem bona pari conſilio præfatæ eccleſiæ in manus Comitis Guntheri, advocati recepto mutuo concambio contradiderit, & delegaverit, præſente Gundoldo, Abbate præfati cenobii.

Acta ſunt anno dominicæ Incarnationis mil. C. LX. VIIII. Indictione I. Regnante glorioſo Romanorum Imperatore FRIDERICO. Feliciter, Amen.

NVM. X.

Conquerendo ſcribit Imperator (*Otto IV.*) Pape (*Innocentio III.*) quod multum miratur, & etiam movetur, quod ad indignam ſui reprehenſionem in tanta verborum multitudine laboravit, aſſerens ſe nichil feciſſe, propter quod ſit ſpirituali & humano gladio feriendus.

Otto

Otto Dei gratia Romanorum Imperator &c. Clementissimo patri I. divina eti- ſacroſanƈte Romane ecclesie ſummo Pontifici reverentiam &c.

Quia ſepe dictorum virtus perditur, cum apud audientium corda minus cauta oportunitate loquacitas levigatur, mirari poſſumus non immerito & moveri, quod ad indignam noſtri reprehenſionem in tanta verborum multitudine apoſtolica clementia laborauit. Cuius prolixitati nolentes ſicut valemus (reſpondere) ſub breviloquo dicimus, nos aliquid non feciſſe propter quod ſimus ſpirituali & humano gladio feriendi. Nam ſpiritualia, que ad veſtrum pertinere officium dinoſcuntur, vobis non auferimus, nec habemus propoſitum aufferendi, ymmo volumus, quod vbicunque maneant illibata, & ſemper imperiali auctoritate ſuſcipiant incrementum. In temporalibus vero plenam, vt ſcitis habemus poteſtatem, de quibus vobis non convenit iudicare, quoniam hiis, a quibus eccleſie ſacramenta tractantur, iudicium ſanguinis agitare non licet. Habeatis igitur in ſpiritualibus libere plenitudinem poteſtatis, firmiter attendentes, quod temporalia tamquam Imperator per totum imperium intendimus iudicare.

NVM. XI.

Conqueritur pupillus & innocens Rex Sicilie coram vniverſis mundi Regibus & Principibus de ſervis ſuis, qui ipſum tenent ſubiugatum, & detinent hereditarium regnum ipſius.

Universis mundi Regibus & orbis terre principibus, quocunque fidei caractare inſignitis, pupillus & innocens Rex Sicilie ſolo nomine Fr. ſalutem in domino, ſi quam poteſt.

Ab aquilone & mari naciones concurrite. Accedite properanter. Si eſt dolor, ſicut dolor meus inſpicite, & que infixa ſunt in mee teneritatis infantiam, in vos ipſos ſentientes bella ſervilia, aut inſonti pupillo ſuccurrite

vel affixas mihi lesi (*laeso*) Regiminis (*minas*) & inauditas contumelias vna mecum invicem deplorate. Ab augusto siquidem Imperatore H. genitus, & ab auguste consortis eius quondam Imperatricis Constancie vberibus educatus, fato (*fati*) novercatione proh dolor! Sic vtroque parente brevi destituor, quod augustales non licuerit delibare blanditias, infra temptatas tamen angustias pupillares passus aculeos, parentum effigies non merui vt viderem. Quibus quidem in fata migrantibus, dum pro hereditario regni & imperii faviculo servili tutele subiacet, vt agnus inter lupos mitissimus quia variis ex tunc & diverse nationis tribubus & linguis traditus Rex maiestative copule, sic in implicitos incidi laqueos, in clientum cum vitia declinavi, qui super vestes & personam regiam sortem mittere presumpserunt. Nam hinc me vexat Theotonicus, hinc me Tuscus dilacerat, hinc Siculus, hinc Gallicus & barbarus inquietat. Victus mihi cottidianus impeditur in - - poculum, & omne denique vicarium impenditur in statera. Regis non efficaci functus vocabulo, potius regor, quam dirigam, iubeor potius, quam imperem; peto potius, quam inpendam. Cum itaque redemptor meus vivat altissimus, & de huiusmodi lacu miserie adhuc mihi resurgere competat iterum atque iterum, qui orbem moderemini vos principes, quacunque possum prece sollicito. Et non mihi, sed vobis ipsis in hac parte ceterisque succurrite, servis resistite, filium Cæsaris liberate, regni dyadema dirigite, & dispersum populum congregate, vt cum taliter facere noveritis si dominus de celo super filios prospicit, videatis, si intelligens est, aut requirens talia, per quem regnatis pariter & mundi climata iudicatis in equitate; nempe iudex celi revelat abscondita. Et nisi manus vltrices in reos extendere curaveritis, simili iudicio vel discrimine vos ipsos puniendos potentis formidare.

NVM

NVM. XII.

Scribit Imperator communi Cesenensi, quatenus non attendentes indebito processui facto per ecclesiam contra imperium eidem expectata subsidia tribuant circa negocium terre sancte in favorem populi Christiani.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus, Ierusalem & Sicilie Rex potestati, conscilio & communi Cesenensi fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem.

Si litteras litteris inculcamus, si devotam nobis & imperio fidelitatem vestram, quam successuum nostrorum esse cupimus non expertem, ad provisionem & participium eorum, que noviter contigerunt, solita benignitate duximus invitandam, ex debito vestre devocionis inducimus, que sic imperio vos adstringat, vt & succedentibus prosperis congaudere, ac adversis emergentibus debeatis communiter obviare. Novit enim dominus de cuius provenit clementia, vt Romani gubernacula imperii moderemus, nos ad terre sancte negocium prosequendum, nihil ex hiis contingentibus omisisse, que ad promotionem ipsius vidimus expedire; sicut per plures litteras & nuncios previa veritate, innocentiam & sollicitudinem nostram devocioni vestre meminimus intimasse. Nuper autem venientibus de Theuthonia cruce signatis paratum pro eorum transitu passagium fecimus exhiberi, habentibus equos minus ydoneos dantes alios competentes, indigentibus quoque subvenientes in equis & armis necessariis, ac providentes singulis in victualibus & ceteris oportunis sic quod in prima septimana presentis mensis Aprilis marescallus noster cum eis & ingens de regno nostro militum comitiva sub ducatu domini transfretarunt. Ceteris etiam, qui accedunt navigia in portu Brundusii

ſunt in ea quantitate parata, in qua vtinam tranſeuntium ſufficientem habeamus copiam perſonarum. Nos etiam ad iter incepte transfretationis inſiſtimus, circa medietatem proximi menſis Maji feliciter tranſituri; maxime quod de proceſſibus exercitus Chriſtiani proſpera & iocunda nova per ſpecialem nuncium ſunt delata, qui acceſſum noſtrum tanto requirit inſtancius, quanto ad obtinendam civitatem ſanctam Ieruſalem, ad exterminium perfide nationis oportunior via patet, Conradino Soldano Damaſci, ſub cuius manibus Ieruſalem tenebatur captiva, noviter obeunte. Diſpoſitum inſuper eſt a nobis, vt poſt felicem transfretationem noſtram, omnibus cruce ſignatis, tam equitibus quam peditibus in noſtrum ſubſidium tranſituris neceſſarium paſſagium tribuatur. Sed dum ſperaremus a Romano Pontifice ad proſequendum iter inceptum verbo & operibus adiuvari, dum benedictinoem eccleſie preſtolaremur, noſtre peregrinationis itineri tamquam peregrinantibus debitam exhiberi, per eum quem deceret pro domo Ieruſalem ſe ſpiritualiter opponere aſcendentibus ex adverſo mirabilis ingratitudo proceſſit. Nam die Iovis ante feſtum paſche cum populum ex diverſis mundi partibus pro diei ſolennitate in ſui preſentia congregatum, deberet ad liberacionem terre ſancte, crucifixi ſervicium ſuccurſum noſtrum, & exercitus Chriſtiani, monitis, remiſſionibus & precibus invitare, ac de preſenti tranſitu noſtro gratam facere mencionem, negocium Mediolanenſium ac aliorum quorundam proditorum noſtrorum coram omni populo, proh pudor! in medium introduxit procedens contra nos, quia terras eorundem proditorum, que ad manus noſtras per exceſſus prodicionis eorum, non absque multa noſtrorum cede fidelium, & immenſa fiſci noſtri iactura devenerant, eis reſtitui minime feceramus, vt per hoc maniſeſtiſſime cognoſcatur, quod ex quo non habuit, vt incepit pro negocio terre ſancte contra nos iuſtam mate-

te-

teriam procedendi, vbi de hiis, que pro terre ſanĉte ſuccurſu expediunt, fecimus, & facimus, que debemus, & in procinĉtu ſumus perſonaliter tranſeundi, cum deberet more boni iudicis hominem cum homine, rem cum re, tempus cum tempore comparare, deficientibus iuſtis cauſis rem inconvenientem aſſumpſit, ſingularem de noſtris proditoribus faciens mencionem, non attendendo ſcripture conſilium admonentis; rationi non voluntati proprie ſervias. Videat ergo vniverſitas veſtra, & diligenter attendat, ſi a ſeculo eſt auditum, quod adverſus aliquem Romanum Principem pro ſuis proditoribus fuerit vmquam tam indecenter a Pontifice Romano proceſſum. Sane ſi pro defeĉtu quolibet, negotii terre ſanĉte, quem ſerio feciſſemus, apoſtolica contra nos incanduiſſet auĉtoritas, foret, vtique patientius perferendum. Sed cum nulla ſuper hoc fieri poſſit obieĉtio contra nos, vtpote qui negotium ipſum in conſpeĉtu totius orbis ardenti voto proſequimur, imo pro noſtris proditoribus procinĉtum transfretationis impediat, moveri cogimur & turbari, maxime cum a pupillari etate noſtra ſanguinem noſtrum, ſitierint, & excidium vite noſtre cum aliis noſtris rebellibus fuerint machinati, qui virum nobilem & conſanguineum noſtrum Oddonem diĉtum quondam Imperatorem introduxerunt in regnum noſtrum, vt nos honore, regno ac vita privaret. Et nunc eosdem idem Apoſtolicus fovet in noſtrum diſpendium & extollit per eorum revocationem, per cenſuram eccleſiaſticam cogere nos intendens, non contentus, quod inſtinĉtu & favore ſuo in multis imperio derogatur, niſi eorundem proditorum noſtrorum inter mixta zizania moliatur noſtrorum fidelium turbare quietem, qui deberet in preſenti transfretatione noſtra, idemptitati & tranquillo ſtatui imperii & regni paterna proviſione conſulere, vt nobis abſentibus nulla poſſet in eis moveri turbacio, que nos a Chriſti ſervicio revocaret. Nos tamen,

quantumcunque noſtris deſideriis in hac parte dictus apoſtolicus ſe opponat ingratum, quantumcunque videatur noſtris conatibus obviare, vt per nos & imperium tantum negocium perfici non contingat, nullatenus obmittemus, quin incepte peregrinationis iter totis affectibus proſequamur. Cum igitur, ſicut ſucceſſuum noſtrorum & imperii debeatis eſſe participes, & ad emergentes caſus teneamini pro honore imperii exponere vos devotos, mandamus, & precipimus fidelitati veſtre, fidei & devocionis quae nobis & imperio vos adſtringunt firmiter iniungentes, quatenus conſiderato tam indecenti proceſſu apoſtolice ſedis, & maxime ſuper hiis, in quibus innocentia noſtra graviter offenditur, & imperium moleſtetur vos quoque, qui eſtis membra imperii eiusdem ſitis moleſtie non expertes, ſed grave & moleſtum ferre curetis, cum ex hoc poſſitis indiciis coniicere manifeſtis, quantum prior occaſio qua contra nos ad denunciationem proceſſit, inepta fuerit, indigna, cum preſens, per quam adoperante noſtrorum nequitia proditorum credidit favorabilius proceſſiſſe, iniuſta ſit penitus & orrenda. Nichilominus inſuper debita ſollicitudine providere & intendere ſtudeatis, vt tam per vos, quam per omnes in comitatu veſtro cruce ſignatos, in ſuccurſum noſtrum & exercitus Chriſtiani exſpectata ſubſidia procurentur, vt ſi qua propter hoc foret oborta turbacio, nullum inferre valeat nocumentum operante Chriſto, cuius obſequium agitur & noſtra diligentia procurante.

NVM. XIII.

Scribit Imperator vniverſis fidelibus ſuis, quod quamquam ſummus antiſtes iniuſte prolatu excommuicationis ſentencie proceſſerit contra eum, & indebite imperialem manſuetudinem exaſperare conetur, non tamen ipſum a Chriſti ſervicio revocavit, quin cum galeis,

leis. & navigiis, & ſtrenua militum comitiva & multitudine bellatorum Chriſto Duce cuius res agitur, moverit de Brunduxio verſus terram ſanctam cum celeritate, & aura proſpera proficiſcens; quare exortatur eos, vt ad ſuccurſum ipſius & ſervicium terre ſancte pro viribus intendant.

Fredericus Dei gratia Imperator ſemper Auguſtus Ieruſalem & Sicilie Rex &c.

Si ſolicitudine cordis, & labore corporis indefeſſi, pro ſervicio Iheſu Chriſti & auxilio terre ſancte, cuius onus ſuſcepimus hactenus noſtra providentia vigilarit & in vnum collegerit vires ſuas, teſtis eſt exactor conſcientie noſtre Deus, cui pro maximis que contulit ipſe nobis pure vovimus & debemus, quidquid accepimus, quidquid ſumus, & ne tanti muneris & tantorum beneficiorum videremur ingrati, firmiter proſequentes devocionis incepte propoſitum, & votum, quod elegimus coram ipſo, gratum duximus in laudem ſui nominis & honoris, in ſtudium vere religionis & fidei, nec parcere ſumptibus, nec quieti corporis indulgere, vt in preſentibus eo potiſſimum ſubtraheremus affectui, quo magis eternorum ſperabatur effectus nobiſcum ſtudio & ſollicitudine occupatis, vt quam cito, quam proſpere, quam provide, quam prudenter firmum proſequeremur mentis noſtre propoſitum, & rem tam dignam tanto molimine gereremus, quid & orbis ambitus miraretur, & altiſſimus acceptaret; & cum ſuper hiis noſtra laboraret intencio, & ſperaremus ab eccleſia Romana omne conſcilium, eum quem rectorem & ducem habere credebamus, ex inſperato contrarium huius noſtre diſpoſicionis accepimus, adeo, quod contra nos procedens iniuſte prolatu excommunicationis ſententie, patenter niſus ſit conatibus & votis noſtris, quibus inſiſtimas pro ſervicio terre ſancti

non Zelo iuſticie, ſed motus proprie voluntatis obſtare, ſed inter hec omnia contra nos ſic immerite, ſic iniuſte prolata patiencia & manſuetudine vſi ſumus, nec ad iniquam exercere voluimus iracundiam animi noſtri motum, vt non deterioraretur in aliquo cauſa noſtra, quam iuſticia fovet, & paciencia fulcit, per quas & ira deprimitur, & iactancia conculcatur. Quod non ob aliud fecimus, niſi ob reverenciam altiſſimi, & ne impediretur ſervicium terre Dei. Ad evidentem inſuper manſuetudinis noſtre conſtantiam licet offenſi pocius quam aliqua culpa notabiles, poſt varias ſupplicationes & preces, quas ad excuſationem innocencie noſtre, & de nullo reatu, & pacem aut graciam obtinendam, per ſolempnes & frequentes nuncios noſtros, etiam vltra quam imperialem excellenciam noſtram deceat, apud antiſtitem eccleſie Romane porreximus, nuper etiam per venerabilem Maderburgenſem, Archi-Epiſcopum, dilectum principem noſtrum, & duos de iudicibus curie noſtre, nuncios noſtros ad hoc ſpecialiter deſtinatos, ipſi Romano antiſtiti formam, noſtre ſatisfaccionis obtulimus, vt nobis iam tranſire paratis pro ſervicio Iheſu Chriſti benediccionis munus & graciam non negaret, quod nullatenus acceptavit, & cum predicti Archiepiſcopus & nuncii noſtri ab eo requirerent, vt ſatisfaccionis formam, que ſibi placeret, exprimeret, id facere recuſavit, preter hoc autem, vt plus iuſto aſpere nos tractaret, & manſuetudinem noſtram verteret in furorem, homines eccleſie, quos licet beneficiorum oblitus ex conceſſione noſtra tenet, iuſſit arma ſumere, & inſurgere graviter ad diſpergendum regnum noſtrum, pro tuitione noſtrorum rebellium & favore. Non contentus, quod homines Reatini primo exercitum noſtrum, quem in obſidionem proditoris noſtri direximus, invadere ſunt conati, quamquam & prima & vltima ipſorum acies ceſa ſit & fugata, quorum maiorum magna pars ibi gladio vltore ſuccubuit, vbi faci-

cinus eſt aggreſſa. Preter hec etiam idem Romanus Pontifex de pecunia ecclefie, quam erogare tenetur in Chriſti ſervicium tranſituris, ſoldatarios retinet contra nos, vt nobis modis omnibus, quibus valeat adverſetur. Quamquam autem idem Romanus antiſtes per hec omnia noſtris deſideriis ſe opponat, & iniuſte manſuetudinem noſtram exaſperare conetur, nullatenus tamen nos a Chriſti ſervicio revocavit. Nam pro certo noveritis nos cum galeis & navigiis noſtris, & ſtrenua militum comitiva & multitudine bellatorum Chriſto duce, cuius res agitur, de Brundiſio feliciter iam moviſſe verſus Suriam cum celeritate & aura proſpera profecturos. Quare fidelitati veſtre precipiendo mandamus, monentes attencius & hortantes, quatenus ac ſuccurſum noſtrum & ſervicium terre ſancte intendatis pro viribus vt poteſtis, grave ferentes quod ſummus pontifex in hiis omnibus nos iniuſte provocat & indigne, cum deberet pocius paterna compaſſione noſtris laboribus providere.

NVM. XIV.

Reſcribit Imperator cuidam conſanguineo ſuo, commendans devocionem & fidelitatem ſuam, vt ſibi conveniencia exercitus, & totam voluntatem ac propoſitum rebellium imperialis maieſtatis inſtanter ſtudeat intimare.

Fredericus Dei gracia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Sicilie Rex, G. Confanonerio, civi Brixie, dilecto conſanguineo & fideli ſuo, graciam ſuam & bonam voluntatem.

Litteras fidelitatis tue ſolita benignitate recepimus, & que continebant intelleximus diligenter, devocionem & fidelitatem tuam in noſtris laborare ſerviciis commendantes, quod autem ad preſentiam noſtram venire deſiderans & non potes, impedientibus inimicis

non habemus pergratum. De te tamen illam indub tatam fiduciam gerimus, quod vbicunque fueris, t tus totaliter noster es corde, corpore, affectu parit & effectu ad omne nostrum servicium & honorem. So licitamus tamen prudenciam tuam, & quantum possi mus, fidei tue studium excitamus quatenus convenie tia exercitus, & totam voluntatem ac propositum ill rum nobis stanti studeas intimare. (Nos enim perfid graciam movimus cum victorioso exercitu nostro fel cibus auspiciis transituri, tam potenti & magnifico c mitatu, quod adversa pars merito poterit formidare significando nobis, si Lombardi contra Cremonensem seu contra exercitum nostrum in transitu venire pr ponant. Et tam hec, quam cetera que videris oport na nobis intimare procures, vt devocionem tuam pr inde de bono in melius commendemus.

NVM. XV.

Scribit Imperator summo Pontifici excusand se quod non debet sibi (*indignatori*) indign tioni ascribere. Sed (*quartele*) cautele quo causam imperii in fine (*sinu*) Penestrini Ep scopi noluit suffocari, quem adversariu evidentem imperii potius, quam federis arb trum sibi expertus, describens etiam, qua ter Lombardi ex toto sibi denegaverint i stitiam, & modestiam suam spreverint, pr pter quod petit considerata ipsorum pertin cia Lombardorum, & evidenti iustitia ipsi imperii, sibi pontificale auxilium & con lium exhiberi.

Sanctissimo in Christo patri, domino Gregorio, Dei gr tia sancte Romane ecclesie summo Pontifici Frede cus Dei gratia Romanorum Imperator semper August

ru

Ierusalem & Sicilie Rex, salutem & reverentiam filialem.

Si multorum exempla potentum sequeremur, & mores quos preter solitum blandientis fortune prosperitas efficit in humanos, si nostrorum rebellium immoderatam superbiam pensaremus, circa ipsos saltim ad presens locum in nobis humanitas & modestia non haberet. Existentes veruntamen memores verbi nostri, per Reges & Principes imperiali programmate divulgati, quod Italiam volebamus intrare pacifice, nec ad eius depopulationem intendere, sed ad pacem, inconstantie notam & levitatis orruimus, illud volenter opere persequi, quod litteris scripseramus, egressinamque perrupta Germania, Theotunicorum impetum ad primum aspectum Italie iuxta solitum insultantium, preter communem morem imperialis exercitus, cuius introitus primitus insvevit potius incendiorum fumus, quam premissa legatio nuntiare, modestia nostra compressimus, nullam detractionis materiam, vel timoris causam aliquibus relinquentes, quod ad vindictam nostrarum offensarum potius, quam ad pacificam reformationem imperii, & inviolatam extirpationem heretice pravitatis non veneramus armati. Verba pacis ibidem libenter audivimus. Brisiensem & Mantuanam, exercitui nostro conterminas civitates, ad favorem gratie nostre vocavimus. Fratrem Henricum, venerabilem magistrum domus hospitalis sancte Marie Theotunicorum, obsequiorum nostrorum avidum, sed & pacis amicum, apud Mantuam ad tractandum pacem, vna cum Reginensi Episcopo duximus destinandum, quanquam ex oppositis & vicinis adversariorum nostrorum conatibus, rebellionis potius quam devotionis signa monstrantibus, tractatus huiusmodi reputaremus ambages, propter quod imperiali magnanimitati decentius deberet attribui, quam rigori, quod nobis ad transitum Mencii, quem audacia tumulenta quorundam & furiosa colectio prepedire crediderat, viriliter

ter preparatis, non prius ab eis per venerabiles Perg menſem & Cumanum Epiſcopos verba concordie gnabamur accipere, vel audire, quam ad indubitata diſgregationem ipſorum, aquilarum noſtrarum sig explicitis, ſub vexillo noſtro noſtre manſuetudinis gr tiam implorarent. Non indignationi preterea de tis aſcribere ſed cautele, quod cauſam noſtram in fi Preneſtini Epiſcopi ſuffocare, noluimus, quem aliu prorſus invenimus, quam ſcripſiſtis, quem adver rium evidentem potius, quam federis arbitrum ſum experti. Parata deinde nobis a Rege iuſtitie de noſt rum rebellium confuſione victoria, predictis Perg menſi & Cumano Epiſcopis ac G - - de Roman. p ſedatione predicte diſcordie prope Cremonam ad n venientibus, Epiſcopi Peneſtrini tacito nomine, ta quam auribus noſtris infeſto, reſpondimus, quod in nos & imperio noſtro ſubiectos nullos recipimus p ſenetas, ſed principes & collaterales noſtros ſolumn do, qui, ſi neceſſitas exigat, pro nobis in hoſtes impe proprium effundere ſanguinem nobile reputant & dele, ad vos ab eis, & a nobis ad ipſos fore verboru huiusmodi volumus paranimphas. Et ſic ad reverſ nem antiſtitum predictorum, coniurationis predi rectores, præfato Henrico, magiſtro Theutonicoru per litteras preſtante ſecuritatem eiusdem (*eisdem*) tractandum de pace, vel coram noſtri venire preſ tia, vel ad certum locum cum magiſtro iam dicto p modum obtulerunt, retinentibus autem primum tentionis propoſitum , nec ob res nobiſcum proſpe geſtas abuti volentibus gratia Regis Regum, cum n eligans crederemus, illos ante faciem noſtram acce re, quos viſionis noſtre reputamus indignos, predictu magiſtrum Theotunicorum, & cum eo magiſtros trum de Vineis, & Thaddeum de Sveſa, magnos cu noſtre iudices , ad tractandum iſtum duximus de gandos, & licet iidem rebelles noſtri per ſe ipſos,

obtinendam benevolentiam noſtram ſe nimium avidos exhiberent, dum per alium pontem, quem ſepe temptaverant, ad noſtram progredi gratiam non valerent, voluntatis veruntamen noſtre formam, per quam posſent ad deſiderata conſcendere, non ipſi volebant exprimere, ſed a noſtris exprimi litteris exſpectabant, quam velut talis aſtutie previdi & experti ad prefata preſagium tale dederamus eisdem, quod ipſi nos eorum Imperatorem & dominum faterentur, & diffiteri non poſſent, & nobis & imperio noſtro fidelitatis ſacramenta preſtarent, per nos ac miſſos noſtros de ſe conquerentibus iuſtitiam facerent, & reciperent conquirentes regalia noſtra, ſeu quecunque regalium appellatione cenſentur, nobis, eccleſiarum prelatis, marchionibus, ducibus, comitibus, & quibuscunque a nobis & imperio ipſa cognoſcentibus ſine difficultate ipſa reſtituant, quibus prout imperium ea tenuit in integrum reſtitutis, rationes & iura ſua eisdem in integrum reſervamus, que coram principibus non minus Italicis quam Germanis, prout eſt regnorum omnium iuris & moris, libere conſequantur, & quia nos ab eis reputamus offenſos, multaque per eos contra honorem imperii aſſerimus eſſe commiſſa, in quibus ad defenſionem & excuſationem ſua iura & actiones ſe habere contendunt, quibus a pena debita legitime ſe tueri confidunt, liberam ipſis electionem offerimus, vt coram nobis, tamquam in ordinario ipſorum iudicio ſuper predictis omnibus poſſint proſequi iura ſua, vel ſine iudiciorum ſtrepitu debeant debitam ſatisfactionem offerre, honori noſtro & imperii competentem. Amplius etiam ſi contendendum putaverint, vbertatem eisdem noſtre celſitudinis non negamus, qui rigorem iuſte ſententie, per quam nobis exiſterint forſitan depravati, miſericordia ſuperante iudicium, imperiali velimus clementia temperari, dum tamen in quocunque caſu pena nobis ab eis ſecuritas, que tanto nego-

tio

tio congruat, impendatur, quod oblatam ſine iudicio ſatisfactionem adimpleat, & iudicio ſiſtere debeant, & iudicato parere, nosque ſecuritatem omnem, per nos, aut principes noſtros ipſis offerimus, quam Ceſarem deceat preſtare ſubiectis, & quod in curia noſtra pleniſſima ſecuritate gaudebunt, nec aſperitatem alterius patientur, niſi quam adventus iudicii, quod, vt diximus, ſale noſtre clementie mitigare promittimus, poſtulabit. Que omnia per antefatos Excellentie noſtre legatos fuere predictis cum tanta moderatione propoſita, quod equitate vellemus temperare iudicium, & ſententiam moderatione condire. Qui videntes, quod iuſte non poterant tam iuſto deſiderio refragari, ceterum ex toto nobis denegavere iuſtitiam noſtram ſprevere modeſtiam, & plenitudine veteris temeritatis imbuti, prepoſuerunt iudicio voluntatem, obſervari pacem conſtantie, cum ſumma conſtantia, vel, vt loquimur proprius, cum pertinacia nimia poſtulantes, quam conſtanti conſcilio precepimus, velut noſtro diſpendioſam imperio, & prorſus contrariam eccleſiaſtice libertati vt acceptare nullatenus deberemus. Attendat ergo provide pontificialis beatitudo conſcilii imperii iuſtitiam, imperatoris modeſtiam, quam alludente ſibi cuiuslibet fortune blanditie non pervertat, & filio pater in tam favorabili cauſa patenter & potenter aſſiſtat. Petitionem enim noſtram, quam paternitati veſtre ſuper expetitione favoris veſtri porreximus in predictis, tanto nunc conſtantius innovamus, quanto vos ex clariori pertinacia eorundem, & evidenti noſtra iuſtitia, multa moderatione condita, efficaciter proſequi poteſtis eandem. Sic vos nobis ad preſens ad iura ſacri imperii reformanda in fortitudine gladii ſpiritualis aſſiſtere petimus, veſtrumque nobis conſcilium & auxilium exhiberi; Sicut ad petitionem veſtram interdum vultis eccleſiam per imperium temporali gladio viriliter adiuvari. Nunquam etenim defenſionem eccleſie me-

melius debilitare possetis, quam debilitando vires & iustitiam defensoris. Scituri firmiter, quod nos nobis, & imperio deesse non volumus, nec inchoatum negotium deseremus, sed si quid de ipso superaverit huic anno reliquie, dux exercituum in futuris, qui processui nostro grande principium temporali gaudio contulit, laudabiliter finem inveniet cause sue. De celesti namque favore confidimus, & iustitia redemptoris, cuius suffragia, quod Romanum defendere dignetur imperium, precibus vniversalis ecclesie postulantur. Et qui nos hucvsque preter omnem spem exaltavit, quod in hoc negotio, quod est suum nullo modo deprimet exaltatum. Ceterum quidquid lator presentium Rog. Portastellus, capellanus & fidelis noster vobis ex parte nostra dixerit in predictis, indubitanter paternitas vestra credat. Dat. Cremone.

NVM. XVI.

Scribit Imperatot Romanis, vt ad eum suos solempnes Ambassiatores & nuncios dirigant, pro decore imperialis consistorii, & robore sui conscilii, vt postquam prepedientibus aliis negotiis Rome presentiam habere non potest, saltem conscilium habeat Romanorum.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Ierusalem & Sicilie Rex, Senatori, senatuique populoque Romano gratiam suam & omne bonum.

Instantia sollicitudinis nostre, qua vos inter domesticas curas & molles delicias dormientes, ad dignitatis antique fastigia cupimus excitare, firmitatis perfecte constantiam, & magnificentie nostre Zelum, quem ad reformationem imperii, & decus vrbis alta mente accepimus, manifeste declarat. In stuporem veruntamen omnium vertitur, ad quos vel antiqua memoria, vel ex facti

facti notitia Romani culminis fama pervenit, & qui monumenta veterum perlegerunt, & nova confiderant, que altercationes tante, queve materia poffit ineffe vel caufa, que vos a veftre nobilitatis origine taliter alterarit. Verum etfi progenitores veftri, vaftitatis & cineris Trojani reliquie vrbem Romam in contradictionem confinium perfonarum in totius orbis invidiam fundaviffet, ipfam velut in omnium vrbium caput per fedem imperii totius reipublice fumma translata, vos, nova pofteritas, magni nominis vmbra contenti, folummodo aviti patrimonii veftri decus & gloriam in numerofa ftrage querentium adquifitam, quam retinere potuit cura facilior, proh pudor! aliis reliquiftis. Ecce nunc Mediolanenfium fuperbia fedem ab aquilone fibi conftituit, non contenta folummodo, quod Rome fit fimilis, nifi Romano imperio contradicat. Ecce hii, qui tenebantur vobis, vt dicitur, tributa perfolvere, vobis contumelias afferunt pro tributis. O quam funt hec a predecefforum veftrorum geftis, & veterum remote virtutes (*virtutibus*,) quod Romano imperio vnica fola civitas contradicat, quibus non fuffecit, vt ipfi vicini fuccumberent, fed cunctas domuere provincias, remotas poffiderunt Hifpanias, & formofam Carthaginem deleverunt. Admirationis quoque iufte materiam omnibus, fed nobis precipue tamen affert, quod cum vobis ad grandia non defit induftria, fubfit habilitas, cur vobis ipfis furripitis animum, vel ab aliis fubtiliter furripi fuftinetis. Refpondebitis forfitan, quod ifta magnalia Reges & Cefares faciebant. Ecce quod Regem habetis & Cefarem, qui pro exaltatione Romani imperii perfonam expofuit, thefauros aperuit, laboribus non pepercit. Regem habetis, qui fomnum veftrum continuis interpellationibus excitavit, ad interpellationes noftras, veruntamen, nimium quod inviti referimus, obdormitis, caufam veftram dampnofe negligitis, negotia veftra dum ipfis oportunitas fuppetit, non cur-

curatis. Nuper enim dum in pratis Auguſte victorie noſtre vexilla ſignifera poneremus, quamprimum ibidem caſtra noſtra defiximus, pro reformatione ſtatus imperii Liguriam denuo reviſuri, nuntios veſtros inſtanter exegimus, quos cum recipere nobis in alpibus obvias crederemus, priusquam pes noſter Italiam legatione veſtra non viſa calcaret, ipſos nondum a vobis electos audivimus, quos veniſſe iamdudum antea firmiter putabamus. Sed cum, prout vera multorum experientia docuit, nimis in magnis ſit periculoſa desidia, ad accelerationem ipſorum, quos ad imperialis conſiſtorii decus, & conſcilii noſtri robur mittendos ſenatus iam, vt audivimus, cenſuit, & populus confirmavit, veſtre ſollicitudinis ſtudium excitamus, eisdemque ſuper hiis, que honorem vrbis & orbis reſpiciunt vota veſtra pleniſſime conferatis; quos etiam, prout tantum negotium condecet, inſtruatis, vt ad totius rei publice Romane decus & ſtatum reſpectum habentes, circa nos a ſiniſtris non dexterent, & ad dexteram non ſiniſtrent. Nos enim in tam arduis & excelſis negotiis non tam vtiliter quam neceſſario nobis ipſos aſumpſimus, vt quia vsque prepedientibus aliis Rome preſenciam habere non poſſumus, ſaltem conſcilium habeamus. Adhec, que Hector de Montiſcis fidelis noſter vobis ex parte noſtra dixerit, indubitanter credatis.

NVM. XVII.

Deſcribit Imperator (*Fridericus II.*) cuidam principi ſuo, qualiter filius ſuus (*Henricus*) quem tam ipſe, quam alii ſui principes in Regem elegerant, transgrediendo ipſius mandatum cepit imperii principes moleſtare.

Fredericus Dei gratia &c.

Ecce facimus vniverſale verbum ad principes, velut ad imperii noſtri membra, ex quorum compoſi-

tione membrorum vnus imperii tronus illuſtris con
git. Sane tua & aliorum principum immenſa dev
in membris noſtris tenaciter eſt infixa, & preſtita qu
dam glorioſe memorie patri noſtro, & nobis veſtre
ceritatis obſequia, & quomodo auguſto patre noſtro
vente concorditer elegeritis nos in Regem pre oc
mentis noſtre ſemper gerimus & habemus, nec
quam poterimus oblivisci, qualiter, cum maior adv
partis immineret hoſtilitas, nos in adoleſcentia no
per ſpeciales nuntios ad Sciciliam (e Sicilia) votis ard
tibus evocaſtis, & immenſis conatibus virium ad ho
rem imperii magnifice provexiſtis. Et vtinam, pr
in mente geſſimus & gerimus, valeamus liberaliter
condigna premia reſpondere. Ideoque cum vnic
filium haberemus, & alias preſentiam noſtram neg
reipublice traherent, eundem ad partes veſtras mitt
dum celſitudo noſtra decreverat, vt ipſe vos omne
ſingulos in perſona noſtra favorabiliter & honorabil
honoraret, ſincere diligeret, & ad vos noſtram grat
dinem filiali devotione ſuppleret, & preſertim cum
devotionem ad nos habitam in eum vniverſaliter
fundentes, abſente patre preſentiam filii debita ho
rificentia foveretis, & ipſum ad regium ſolium ob
norem & gratiam noſtram concordi ſublimaveritis
luntate. Quod eum merito debuit obligaſſe, vt
cialis oneris (honoris) prerogativa vos coleret, alios
biles omnes, miniſteriales, civitates & vniverſos i
ferenter fideles imperii nequaquam offenderet, q
potius ad gubernationem omnem ſic ſe moderat
laudabili contineret, vt nobis a remotionibus iuxta
ſideria ſpei noſtre, meritis tam fame, quam opere
tinuum & plenum gaudium miniſtraret. Sed lon
quod dolentes referimus, noſtra ſpes vacua reperi
fruſtra enim placuimus nobis in filio, proceſſu tem
ris a mandatorum noſtrorum reverentia diſcede
Nam, vt maiorem paterno pectori noſtro anxieta

infigeret, poſt multos in noſtri lumen & tutamen imperii ſe inconſulte convertit & illorum vſus conſcilio, quos propter inſolentiam & ingratitudinem a gratia noſtra proſcripſimus, vel quos manifeſta facinora reddunt nobis iuſte ſuſpectos, incepit principes & alios dilectos noſtros per requiſitionem obſidum, nec non alias multiplices impetere moleſtiarum inſtantias & vexare. Quod vbi nobis innotuit, quod ad pupillas oculorum noſtrorum videlicet principes noſtros manus iniecerat obſequii, quod olim nobis & ipſi tam grande preſtiterant, immemor & ingratus, non potuimus cum patientiā ſuſtinere, quin perſonalem ſubiremus laborem contra fines Alamanie veniendi, & ipſo ad noſtram preſentiam veniente, paternam in eo correxionem egimus, recipiendo ab eo iuxta conſcilium principum, qui tunc aderant in eorum preſentia iuratoriam cautionem, quod mandata noſtra & beneplacita penitus obſervaret, & precipue principes ſpeciali diligeret & proſequeretur favore. Que vtinam poſt receſſum noſtrum ſic obſervare curaſſet, quod ſi defeciſſet in aliis, noſtros tamen principes vmquam offendere preſumpſiſſet. Sed quod ipſe diabolico inſtinctu non ceſſat, nec erubeſcit, timore & reverentia paterna poſtpoſitis, in honorem noſtri nominis horribilia machinari, auferendo noſtris fidelibus obſides, occupando caſtra, & in temeritate notabili viros in obviationem noſtre fidei compellendo, quod pedum apud te & alios principes noſtros in admirationem vertitur & ſtuporem, ſed quantumcunque fama pertranſit, humanus omnis inquinatur auditus. Nam ab aquilone vſque ad ceteras mundi partes panditur tantum nefas. Quia igitur tu ceterique, qui membra eſtis imperii, dolere debetis, quoties veſtrum caput affligitur, nec vigere poteſt ſalus in membris, niſi capitis integritas conſervetur, tibi ceteriſque principibus domeſticum hoc & familiare malum communicare decrevimus, vt vna nobiſcum velut

membrum cum capite doleas de tante enormitatis e cessu, & ad obstandum principiis postquam morbi invalescit, conscilio & auxilio, favore simul & effe consurgas, & zelus & constantia principum cognosca tur ab omnibus, & per vniversum orbem fidei vest titulus extollatur.

NVM. XVIII.

Littera admonitoria - Imperatoris (*Friderici I.*) ad - (*Conradum*) filium suum.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator semp Augustus, Ierusalem & Sicilie Rex, dilecto suo fil Conrado Regi &c.

Gloria genitoris est filius sapiens, & obedientia f paterna cotidie benedictione beatur; gaudium es er nobis o cesarei sanguinis diva proles, quod regalis i doles tua laudabiliter moribus clareat, quod scien cotidie proficiat & etate, vt honorificetur nomen aug sti patris in Rege filio, & iam impleas virtute regnar benedictionem, itaque dextra tibi & tuorum increme to honorum ac felici statui tuo paterno zelo solicitu nis aspiramus, orantes filiationem tuam per gratia nostram, quam in te gerimus paterno corde diffusa quod de bono in melius decores & felicites mores tu de virtute proficiens in virtutem, & cum materia virtutis habeas, proferas rem in actum. Consultor procerum, quorum consiliis & prudentia non aborre informari, & servos aspernari bilingues & viros hon state conspicuos audire te volumus & amare, leves levia non amittas, (*admittas*) palpans adulatio in au tua locum non habeat, & detractoribus, qui serpu circa limina, aures regias non impendas, prelatos nob & imperio nostro devotos, ac Dei ecclesiasticos indiff renter honores ob auctoris reverentiam, qui regi constituit, & imperium preposuit vniversis in severita

m

militum & militie delecteris, affabilem te prebeas & exaudibilem ſubditis, iuſte pius, & pie iuſtus exiſtens, pacificus Rex & verax, vt in te ſibi miſericordia & veritas obviantes iuſtitia ſimul & pax tuum regale ſolium amplectantur. Aucupationes, & venationum ſolacia Regibus aſſueta, tibi non interdicimus loco & tempore cum exercitatis hominibus exercenda. Monemus tamen, & iſtud tibi fore volumus ad cautelam, quod pro venationis exercitio vel deductionis avium non te adhibeas adeo familiarem venatoribus, baliſtariis, & verſatoribus, vt gravitatem regiam frivolis verbis offendant, & ſuis contabulationibus alterent, & infaciant bonos mores. Ad nos autem memorie reſpectum habeas, & velut nobis in pectore ſingula diſtincte provideas & ſequere, aſiſtentium lateri tuo de ordinatione noſtra conſiliariorum conſiliis inherendo. Et vt ſcias evitare noxia, & diſcas ſalutaribus informari, inproviſa tui fratris, quondam Regis Henrici, & incauta temeritas veniat frequenter in mentem, qui pro eo quod nobis deſcendere noluit, & obedire patri filius recuſavit, ſecutus adulationes, blanditias, & ſuggeſtus, nec non prava conſilia diripientium bona ſua, & pervertentium cottidie mores eius, cecidit a ſede, quam habuit ingratus, & tu, bone indolis fili, locum eius nobis concedentibus accepiſti. Sis ergo nobis obediens & devotus, & verba noſtra memori corde retineas, & tam effectu quam opere perſequaris, vt augeatur in te benedictio noſtra continue, & regnum tuum optata felicitate firmetur; nobis quoque de continentia bona, proceſſu laudabili, & optatis ſucceſſibus tuis letitie cumulus, & glorie proveniat incrementum de filio ſapiente.

NVM. XIX.

Scribunt vniverſi principes imperii tam eccleſiaſtici quam ſeculares poteſtati conſcilio &

communi Brixie quatenus ſine difficultate more ad dominum Imperatorem eorum verum & naturalem dominum ſe convertant.

Univerſi principes imperii tam eccleſiaſtici quam ſeculares cum victorioſo exercitu ceſario venientes, poteſtati, conſcilio totique communi Briſie imperii fidelibus dilectis amicis ſuis ſalutem & ſincere dilectionis affectum. Dudum in partibus Lombardie inter imperii viſcera, in tantum per colligationes illicitas membra quedam a ſuo capite diſceſſerunt, vt diſſenſione ſuborta & caput in membris doluit, & membra gravem in multis leſionem incurrerint ſic diviſa, nec parvos labores ſubiit frequenter imperium, vt ad civitatem ſuam reformaret & reduceret diſſidentes. Cumque diu & inutiliter ad id fuerit laboratum, multa & gravia dampna vobis & aliis contigerunt, vt preter rerum incommoda inter vos rebus a pace & iuſtitia ſeparatis, domeſtica clades & perſonarum ſimul pernicies invalerent, vt turbato in viſceribus ſuis imperio, totus totalis orbis non eſſet a tanti diſcidii periculis alienus, nec debita terre ſancte, & ſperata per eccleſiam & imperium poſſent exigente neceſſitate ſubſidia exhiberi. Veniente igitur in Alamaniam inclito domino noſtro Imperatore Friderico, ſicut eum eiusdem terre ſancte neceſſitas inſtantius evocavit, & totius terre ſtatu per Dei gratiam & induſtriam ſuam, omni de medio turbatione ſublata, inoptata pace diſpoſito, deliberatum fuit nobis & aliis principibus aſſiſtentibus ſibi de communi proviſione conſcilium, membra in corpore Lombardie diſcidentia ſuo capiti reformare, vt qui humiliter ſe converterint, recipiantur ad gratiam, & qui ſuperbe reſtiterint, aut oppoſuerint ſe rebelles, tamquam hoſtes imperii in ſua ſuperbia convertantur (*conterantur.*) Ea inter nos deliberatione firmata, quod & nos qui preſentes ſumus & ceteri abſentes, tam ecle-

clesiastici in bonis regalibus & totis viribus quas habemus, vel habere possumus, ad prosequendum quod cepimus, quam seculares alii cum omnibus eorum facultatibus, ducendo, si expedierit, vxores & filios moram in Ytalia protrahemus, nullatenus abinde vita comite recessuri donec superbia humiliata rebellium ad honorem imperii omnia, sicut condecet, disponantur. Verum quia dominus serenissimus Imperator in ea benevolentia & intentione pervenit singulos & vniversos ad gratiam revocare, & brachiis patulis ac favore pacis & iustitie amplecti conversos, tum & nos tamquam membra imperii digniora honori & indempnitati vestre provide summo opere teneamur, vniversitatem vestram duximus attentius requirendam, attentius consulentes, quatenus sano resumpto conscilio, & suggestione contraria non attenta sine difficultate more, quam non patitur recta fides, ad verum & naturalem dominum vos convertere festinetis; attendentes, quod non erit a modo excusationi locus, vbi vocati non venitis & oblate per nos gratie ostenditis vos indignos, scituri quod ad principes coram facie sua non licet allegari colligationes aliquas vel fasciculos deprimentes, cum secundum vestre fidei iuramenta coram vero domino ad vocationem ipsius nulla vos debeat illicita societas detinere, quin omni excusatione & dubietate remotis ad eius presentiam veniatis, facturi modis omnibus quod debetis. Quotquot autem ad eum venient, faciet filios gratie ac favoris. Et nos operam & opem solicite pro vobis adhibebimus circa eum, vt status vester in pace & iustitia de bono in melius valeat promoveri. Promittimus enim & recipimus super nos, quod procurabimus promotionem status vestri per omnia, nec vniversitati vestre deerit favor noster, si conscilium nostrum feceritis celeriter & devote, quin velimus intendere ad vestrum vniversalem commodum & honorem. At si facere distuleritis, nullum ius vel iustitiam, immo po-

tius motum illicitum persequentes, & quantum vobis infamie, & quantum dampni subsequi valeat, ipse vos doceat iuris effectus, quantumve contra vos dominus Imperator & nos provocari possemus. Rogavimus ergo dominum nostrum Imperatorem, quatenus ipse per litteras suas clementiam sue benignitatis vobis exponeret, & quo zelo ducatur ad suos subditos revocandos, vt si contemptus ex parte vestra contingerit, quod ad mandatum suum & nostrum conscilium nolitis attendere, culpe vestre vnice possit adscribi, si quod dampnum & periculum imminebunt. Preterea non miremini de sigillis nostris, si non omnia sed quedam eorum in presenti pagina continentur propter pagine brevitatem.

NVM. XX.

Inducunt quidam prelati ecclesie Romane, & imperii princeps (*principes*) summum pontificem ad reformandam pacem inter ecclesiam & Imperatorem.

Sanctissimo patri & domino &c.

Fundatam ecclesiam militantem duplici robore providentia divina firmavit, dum ipsi sacerdotium ad - - prebuit, & imperium ad tutelam, que duo sic indivisibiliter invicem per designationem duplicis gladii coniunxit, quod altera perimi, vel enervari non valeat sine detrimento duorum, ex quibus non tam probabiliter quam necessario subsequitur (*&*) infertur, vt vtrumque contemnat aut diligat, qui gladiorum alterum diligit aut contempnit. Et nos, quos mediatores quodammodo Dei & hominis, ecclesia & imperii principes statuerunt., ad vtrumque sic oportet & expedit habere respectum, quod explere partes officii nostri non possumus, si quantumvis in altero claudicemus. Igitur, reverendissime pater, promissionis & fidei nostre

Ze-

Zelum diligenter inſpicite, preſens noſtre devotionis alloquium diligenter attendite, ad quod nos, prout poteſtis ex ipſa negotii qualitate colligere, & debiti noſtri neceſſitas impulit, & communis vtilitas perſvaſit. Dum enim ſolicita meditatione revolvimus, in quantum eccleſie teneamur, dum ex diſſenſione ſuborta inter vos & Ceſarem noſtrum futura diſpendia meditamur, ſumma neceſſitate compellimur, & vtilitate prenimia ſuggerente, debemus inter vos, prout ſcimus & poſſumus, interponere preces noſtras, & cum ſe nobis oportunitas caſus preſentis ingeſſit, vt a domino & imperatore noſtro primitus ordinemur, veluti tempore ſuborte diſcordie, tum ipſi preſentes ad ipſum in audacia fidei, ſed & in reverentia maieſtatis acceſſimus diſſenſionis huius originem expetentes, & cauſam licet nobis antea penitus non ignotam & cum inſtantia nichilominus ſuggerentes, vt ad ſacroſanctam eccleſiam matrem ſuam cum omni devotione rediret. Qui nobis omnibus diligenter expoſitis, ſuper quibus antea fuerat admonitus & excommunicationis ſententia innodatus, ac reſponſionibus ſingulorum, prout hec omnia publici teſtimonii ſeries teſtabatur, demum, ſi quis poſſet vllo verbo vel opere notari defectus, ipſum totum fidei & diſpoſitioni noſtre, ac aliorum principum perfecte commiſit, alias devotionem omnem ad Deum & eccleſiam pretendendo, quam nos, prout ab homine licuit exteriore colligere, ſi veritati deeſſe nolumus, preſentialiter vidimus, & veridice poſſumus proteſtari. Quarum ſenſione velut irrefragabili ratione devicti, ad vos, patrem & paſtorem noſtrum de neceſſitate convertimur, & cum reverentia vobis loquimur, & in ſinceritate fidei ſvademus, vt tantum exacerbare filium non velitis, devotionem ipſius paterna pietate reſpicite, orbis ſcandalis, ex quibus ipſi catholice fidei poſſit imminere periculum, occurrentes, ad que, prout diximus paternitati veſtre preſentium ſvadenda, preter commune diſſidium,

quod veremur, illa nos ratio ſpecialis inducit, quod in nobis ipſis attendimus ex veſtra diſſenſione ſciſſuram, dum velut ecclesie filii & prelati reverentiam vobis filialem agnoſcimus, & velut imperii principes, ex ſacramento fidelitatis, & principatus honore, domino & Imperatori noſtro, vel imperio potius, de neceſſitate compellimur non deeſſe; cuius iuſtitiam, propter quam perſecutionem ſe pati queritur, producit in medium dominus Imperator, ad ſue cauſe munimen, preter expreſſe probacionis indicia, vulgaris fame preſidium, & teſtimonium generalis opinionis adducens, quod in favorem Mediolanenſium, & ſuorum ſequacium, proceſſeritis taliter contra eum, ad quod credendum licet apoſtolice ſedis auctoritas, & religionis eccleſiaſtice ſanctitas nos induci de facili non permittant, ſic tamen hoc periculoſe - - veremur, vt gravamen eccleſie, quod generalis opinio predicat, taceamus, preſertim cum ad teſtimonium veritatis & fame favorem non leve probationis indicium adducatur, quod G. (*Gregorius*) de Monte longo, legatus veſter, apud Mediolanenſes continuam moram trahens, fideles imperii modis omnibus, quibus poteſt, a fide & devotione debita nititur revocare, prout hec omnia dominus Imperator ſuis litteris, & multorum teſtimonio fide dignorum probare poſſe confidit. Denique, ſanctiſſime pater, ſedis apoſtolice gravitatem in illa ſinceritate devocionis appetimus, qua fidem noſtram diligamus, & Romanam eccleſiam veneremur, vt circa morbi principia medicina ſalutis & ſalubritate conſcilii velociter occuratis, nec in perplexitatem nos & alios prelatos eccleſie & ſacri imperii principes permittatis adduci, vt cum imperio noſtro, cuius membra nos ſumus, non poſſimus deeſſe, matris noſtre diſpendia deploremus. Habet enim quod vobis obiciat dominus Imperator, quod, dum pro reformatione veſtra perſonam expoſuit, & theſauros effudit, nos; ipſum immo nos ipſos deſerere non poſſimus, nec aliqua-

quatenus debeamus, nec in contrarium alicuius ex principibus noſtris falſa ſuggeſtio, qui vt penes vos propria commoda perſequatur, in aqua turbida piſcari deſideret, vos inducat, cuius ad vltimum voluntas invenietur inſtabilis, & potentia defectiva. Generale bonum & publicam cauſam per reformationem pacis attendite, ad quam, quantumcunque cum reverentia matris ecclesie, & honore ſacri imperii poſſimus, libenter offerimus nos paratos.

NVM. XXI.

Scribit Imperator Ianuenſibus, quod attendens grata ſervitia per eos in neceſſitatis articulo ſibi impenſa, licet hiis diebus eorum devocio viſa fuerit aliquorum rebellium imperii malivolis ſeditionibus alterata, tamen bonum propoſitum, quod perdevote aſſumpſerant ab alte mentis ſignaculo non proſcripſit, ymo ambaxiatoribus vniverſitatis eorum, ad ſuam preſentiam pro obtinenda gratia imperii deſtinatos, gratiam ſuam, quam eorum implorabat oratio pro parte vniverſitatis Ianuenſis, benigne reddidit, & tam ipſos ambaxiatores, quam vniverſitatem predictam in plenitudinem gratie ſue recepit, volens eos deinceps inter fideles & devotos imperii numerari.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Sicilie Rex, conſcilio & communi Ianuenſi, fidelibus ſuis, gratiam & bonam voluntatem.

Tunc apud Deum & homines felices & melitos proceſſuum noſtrorum eventus periculi & invidie minimum credimus habituros, cum in ſe clementie claritatem

tem oſtendunt, & tunc demum oſtendimus poten
noſtre ſigna certiſſima, cum parcimus, & preſertim c
tholico principi clariorem victorie gloriam reputam
petentes gratiam potius gratioſe recipere, quam p
vindicte modo, ſtrage viriliter triumphare. Attende
igitur excellentie noſtre proviſio, quod dum de reg
Scicilie, veluti de matris gremio, & educationis noſ
cunabulis ad partes Ytalie veniremus felicibus auſpic
in Germaniam proceſſuri, civitas veſtra veluti ſecret
ris camere genetrix Ianuam nobis aperiit, per qu
nobis ad ingreſſum imperii liberior pateret acceſſu
attendens etiam grata ſervitia per Ianuenſes vniver
liter ſingulos, & ſingulariter vniverſos tunc temp
collata nobis in Ianua, que tanto remuneratione gra
noſtre digniora penſavimus, quanto in neceſſitatis
ticulo fuerunt exhibita gratioſa, ipſam Ianuam favo
& gratie noſtre ſera firmavimus, ipſa ſervitia, que de
tio veſtra prompta firmaverat, mentis ſcrinio clauſim
vt quoties ipſorum memoria nobis occurrerit, toties
noſtre munificentie dextra premium reportarent.
licet veſtra devotio ex humane fragilitate nature, v
ut, a primo parente in poſteros propagata, viſa fu
diebus iſtis aliquorum rebellium noſtrorum maliv
ſeditionibus alterata, ſerenitatis noſtre potentia, q
velut nobilis ira leonum, repugnantibus non cedit,
proſtratis indulget, bonum propoſitum, quod pro de
tione aſſumpſerat, ab alte mentis ſignaculo non p
ſcripſit, cumque maieſtatis noſtre gremium redeun
bus pateat, & petentibus veniam neſciat denegare, v
verſitatis veſtre ambaxatoribus ad noſtram preſenti
propter hoc ſpecialiter deſtinatis, gratiam noſtra
quam eorum implorabat oratio, pro parte veſtra,
nigne reddidimus, & tam eos, quam vos omnes in p
nitudinem gratie noſtre recepimus, volentes vos
inceps inter fideles & devotos imperi numerari,
tantum vobis ſupplicantibus gratiam noſtram reſtit

m

mus, ſed etiam hominibus caſtri nauli, quos in petita clementia veſtra ſupplicatio concludebat. Banna etiam dictis hominibus caſtri nauli, per Manifredum, Marchionem Lanciam, ſacri imperii noſtri vicarium a Papia ſuperius, dilectum fidelem noſtrum impoſita, ipſis ad fidelitatem noſtram & mandata noſtra redeuntibus, & fidelitatis & hominii ſacramenta preſtantibus remittimus de noſtre plenitudine pietatis, conſciderantes, quod dum liberalitatis noſtre cognoveritis gratiam, fidelitatis veſtre devotio ad obſequia noſtra fortius renaſcatur. Ad hec Beltranium Pontelletum, Rubertum de Pizio, filium Manifredi, & magiſtrum Cofridum de ſancto Germano, magne curie noſtre iudicem, nuncios fideles noſtros, quorum induſtriam ſufficientem ad huius negotii ſarcinam reputamus, pro recipiendis ab vniverſis & ſingulis veſtrum fidelitatis & hominii, pro parte noſtra & imperii iuramentis, & pro aliis noſtris ſervitiis ad vos duximus deſtinandos, & que ſuper hiis ex parte noſtra iidem vobis dixerint, credatis, & efficaciter adimplere curetis.

NVM. XXII.

Scribit commune Bononienſe ſummo pontifici ad hoc ne idem ſummus pontifex, & pia mater eccleſia ſuper deſolacione ipſorum anxietatem aliquam pateretur, rei certitudinem veritatis ſuper hiis que intellexerunt.

Vniverſali Chriſtianorum patri, & domino, domino G. ſacroſancte Romane eccleſie ſummo pontifici A. - - conſcilium & commune Bononienſe ſe toto cum vnanimi promptitudine perpetui famulatus.

Vox amaritudinis & doloris corda fidelium veſtrorum nuper graviſſime conturbavit. Intelleximus equidem ex relacione quorundam ad veſtre ſanctitatis audientiam perveniſſe, quod alumna veſtra civitas Bononia,

nia, pacis & quietis, hactenus & hiis diebus potissime t-
tritiva, discordiarum turbine vexabatur. Metuentes
go ne Christi vicarius & pia mater ecclesia fidem
iusmodi relatibus adhiberent, & ob hoc super desc
cione filiorum anxietatem aliquam pateretur, veritat
duximus apostolice beatitudini declarandam. Si g
vissimas olim intulissemus nobis invicem iniurias &
ćturas. Si nunc alter alteri grandes molestias irroga
asperitatis condicio nobis incumbens, & aliis Lomb
dis ecclesiasticam Zelantibus libertatem, omnia
compelleret equanimi tolerantia supportare. Scim
enim & qualitas condicionum insinuat, quod omni so
sublata rubigine nos oportet, si status proprii & salut
& incrementa diligimus, in identitate cordium aml
lare. Quare defensioni, patrie subsidiis amicorum
hostium nocumentis votis paribus vnanimiter adsp
mus; in hoc donec vixerimus proposito permansi
non enim credimus immo manifeste dinoscimus, qu
contencio, si qua inter nos, quod absit, existeret, in
sionem sedis apostolice verteretur. Non est ergo c
dibile, quod vnitas nostra mutue dilectionis nexi
roborata, vllis dissensionibus corrumpatur, quia filii
atroci crudelitate deseviant vel furore, ad solatium r
tris & non ad gravamina debent intendere studi
Supplicamus igitur humiliter apostolice sanctitati q
tenus quidquid malitiose fingatur, quaeque immi
nes fiant per angelos malos, credere non velitis qu
a concepti stabilitate propositi recedamus. Nam si
nostre suppositi ditioni quacunque damnabili pra
tate corrupti, contra vnitatis nostre statum aliquid
temptare presumerent, tam digna de ipsorum exce
bus vltio sumeretur, quam ceteri gressus suos ab al
rum vestigiis solicite cohiberent & erbe nocive non
tardarent segetibus incrementum. Letetur itaque be
Petri successor, & pia mater ecclesia super nobis, qui
pacis & tranquillitatis constantia reflorentes de bo

se

ſemper ſtudebimus in melius proficiſci, invocato nomine Ieſu Chriſti.

NVM. XXIII.

Scribit quidam nobilis de Bononia, qui acceſſerat ad regimen civitatis Mediolanenſis, poteſtati & communi Bononienſi, quatenus ex captivis, quos tenent, tales ſcontros dare velint, pro quibus illi nobiles, familiares ſui, qui capti fuerunt, dum cum ipſo accedebant ad prefatum regimen Mediolanenſe, valeant a carceribus liberari.

Sapienti viro, domino R. de villa, Bononienſi honorabili poteſtati, conſcillo, communi civitatis eiusdem, firmiſſime ſpei ſue, Pyhlippus de Aſenellis, Mediolanenſis poteſtas, ſuus per omnia cum toto poſſe ſe ipſum.

Anguſtie graves, & anguſte gravedines, que viris nobilibus, iudicibus & militibus, & aliis familiaribus noſtris, qui venientes nobiſcum ad regimen Mediolanenſe inciderunt manus inſidiantium vite noſtre, nequiter inferuntur, cogitationibus multimodis & anxietatibus continuis nos affligunt. Quidni ſuper eis etiam inimicorum deberent corda moveri, niſi humanitate carerent omnino? Dominatores enim ipſorum omnia genera tormentorum & moleſtias preſſurarum excogitant & expendunt in ipſos, eo in eos crudelius ſeviendo, quo illos nobis reputant cariores. Nam viri providi, domini Zacarias de Baſia commate, & Guizardinus, & Guiducius in fundo cuiusdam carceris orrende concluſi, nullo caſu abinde dimittuntur exire. Ceteri vero in carceri communis Cremone coërcendis latronibus deputato cum multis malefactoribus morte reis non ſine manifeſta noſtri omnium & ſingulorum iniuria detinentur, vbi eis afficiuntur martiriis, que potuiſſe per eos ſuſtineri miramur. Super quibus, ſicut indubitan-

bitanter credimus, multa compaſſione movemini, qui extraneis nedum filiis, & compatriotis veſtris habundanter aperire noſcimini viſcera pietatis. Quapropter providentiam veſtram attente requirimus, immo tota mente precamur, & deſideriis vniverſis vt veſtri memores, ad honorem veſtrum reſpectum habentes, attendentes quoque, quod ſuccurſus celer gratioſius acceptatur, & pietas miſeris nititur velociter ſubvenire, viris precedentibus, quos prefeciſtis ad dandos ſcontros predictis civibus veſtris, inſtanter & firmiter iniungatis, quod prenominatis & domino Guilero Comiti, dent Alberconum canem, & tres alios Cremonenſes, ex quibus ſe valeant liberare, aliis alios, ſicut exegerit cuiuſcunque condicio, ſimiliter concedendo, & Regem (*Entium ſcilicet a Bononienſibus captum*) & vniverſaliter captivos omnes, quos habetis in vinculis ſic anguſtiare velitis, quod inde cives veſtri a tam iniquis oppreſſionibus levientur. Requirit hoc fieri noſtra devotio, quam ad vos gerimus & exigit --- quo tenemini Bononienſibus omnibus ad tutelam. Hec ſi feceritis, vt ſperamus, nos vobis ſolidius obligabunt, comparabunt vobis gratiam hominum, & reddent vobis, ni fallimur, magis propicium Deum celi. Nova Mediolanenſia, vt inde letemini, declaramus. Archi-Epiſcopus concordia cum populo dulciter celebrata heri Mediolanum acceſſit, ab ipſo populo grandi ſuſceptus honore. Unde firmiter ſperamus in bonorum omnium largitore, quod cum capitanei & valvaſores intendere teneantur Archi-Epiſcopo ſupradicto, ſtatus Mediolanenſis relegatis odiis de pectoribus civium civitatis ipſius in placida requie remanebit, & inde gaudebunt amici, & qui ſtatum ipſum ſubverti ſperabant, ſpe iniqua decepti, pro meritis ſue nequitie dante domino confundentur.

NVM.

NVM. XXIV.

Scribit Imperator, ſe magiſtrum Ottonem Diaconum Cardinalem & alios eccleſie prelatos decreviſſe liberandos, ad hoc, vt per reverendum collegium Cardinalium vna cum dicto magiſtro Ottone poſſit de Romano Pontifice viduate eccleſie provideri.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Sicilie Rex &c.

Orbis orbitas, & turbatio generalis per viduitatem eccleſie ſuperfuſo veneno veteris ſerpentis inducta, per ſubſtitutionem ſummi Pontificis tam ſalubriter quam celeriter faciendam diu ſpiritum anxium reddiderunt, vt ipſam per continuatos nuntios noſtre celſitudinis & ſolempnes ad fratres multoties deſtinatos procurare ſolicite deberemus, & ne iuſta daretur occaſio tantum bonum volentibus impedire, per detentionem magiſtri Ottonis Diaconi Cardinalis, tam ipſum, quam alios eccleſie prelatos duximus liberandos. Nunc autem rem novam, & nedum admiratione, iuſta digniſſimam, ſed ſtupore, vobis, & ceteris terre principibus epiſtola deſcripta declarat, quod nos venerabilem Epiſcopum Preneſtinum, imperialis honoris & nominis notiſſimum adverſarium preter omnem ſpem omnium ſubito decrevimus liberari. Mirabuntur, vt credimus, principes bellicos viri fortes, memoria Ceſarum ineſtimabilibus decorata magnalibus diffuſa per libros veteres aperiri. Sed alios in alium revolvetur, exquirentur geſta magnifica ſingulorum, nec in tam deſperata eccleſie miſeria comparem nobis invenies perquiſitorum. Nam etſi legatur forte quam plurium principum iracundia, nobiliter clara clementia, & illuſtris humilitas, quorum proſtratis hoſtibus dextera victorioſa pepercit, que leſe maieſtatis ſue reos clementer abſolvit, qui continuerunt ſevere iuſtitie gladios etiam in dampnatos,

pnatos, quilibet tamen illorum vel duxit noxium
potentem absolvere, vel finem imposuit per veni
quam indulsit. Sed quod nos adhuc durante discor
tantum membrum ecclesie, tanti consilii virum, &
re prudentem, nostris processibus obicem, sicut om
bus sperabatur, sed nos omnia credimus, gratis ex
nere deberemus, nec preteritorum exempla sugge
rant, nec cautela presentium svadebat. Sed tan
instancia considerationum variarum flexit rigorem
stitie pietas, iracundie nostre motum generalis disc
compassio tenuit, & singulare dispendium nostrum
tius reipublice Christianorum vtilitas superavit, vtp
cum de liberatione Episcopi nominati indubitata no
fiducia preberetur, quod viduate dudum ecclesie
pastore pacifico, nobis & imperio non ingrato deb
provideri. Nec nos indecens credimus aut nocivu
si cum ecclesia matre nostra pacis avidos nos esse
scribimus, & Zelatores concordie profitemur, cuius c
cium dissimulare aliquando consveverunt Reges
Principes insimul confligentes. Compatimur nem
laboribus seculi, in ruina quodammodo propter ge
rales discordias constituti. Compatimur Petri na
cule, que per tabescentem hominum fidem, & fer
dam hereticorum nequitiam, perturbatione maris
fluctuum laceratur. Igitur regia magnificentia n
miretur, nec aliorum audientium vniversitas stupef
si Romani principis viscera tot & tanta pericula comn
verunt. Si patronum vniversalis ecclesie, si filium s
cialem vidue matris suspiria medulitus conturbaru
vt rationibus relegatis, quas forsitan mundi sagaci
attendisset, matri filium, & fratrem fratribus presert
pro tanti boni fiducia decreverimus liberandum. Q
enim tantorum consideratione malorum, quis in
tante letitie, per detentionem aut liberationem uni
quantumvis persone spectabilis animum obdurass
presertim cum per omnes & singulos fratres tam

vr

vrbe, quam in agris morantes spes nobis stabilis sit oblata quod socio & fratre ipso collegio restituto, continuo nobis & orbi deberent de desiderato pontifice salubriter providere. Utinam in eo, sicut in liberatione magistri Ottonis, sancti Nicolai in carcere Tulliano venerabilis Cardinalis, nec non in aliis, quos propterea nostra serenitas compassione probabili liberavit, nec vota nostra frustrentur, nec integritas fidei, quam de tantorum patrum gravitate concepimus, violetur.

NVM. XXV.

Regraciantur Ianuenses DEO de promocione cuiusdam civis eorum creati in summum Pontificem, & recommendant se & civitatem Ianuensem illi.

Santissimo patri & domino G. (a) sacrosancte Romane ecclesie summo Pontifici potestas consilium & commune Ianuense sui per omnia subieccionem & devocionem, famulatum omnimodum, & devotissima pedum oscula beatorum.

Altissimo conditori, qui salutare curacionis remedium in vestra promocione solempni mundo contulit, egrotanti, non quantas tenemur, sed quantas possumus in exultacione festiva gracias offerentes humili devocione, licet, vt credimus non expediat supplicamur, quatenus alumpne vestre, civitatis Ianuensis quondam matris nunc filie, suorumque concivium, qui pre aliis in vestra paternitate spei singularis ancoram confixerunt, in affectu paterne dileccionis memores existentes, nobis qui vitam exponere cupimus vestris beneplacitis & honori, dignemini quidquid geratis placidum imperare, pignus equidem tante dileccionis arbitrium nos habere, cum iussa patris in nos filios immo super nos fiducialiter effundentur, nec effectus pocior

interpres animi, poſt imperata torpebit, ſi facultas proficiendi materiam exhibebit.

(a) Sine dubio legendum I. & intelligendus eſt Innocentius IV. antea Sinibaldus dictus patria Genuenſis. Gregorium enim IX. Innocentii IV. anteceſſorem Campanum fuiſſe conſtat.

NVM. XXVI.

Scribit Imperator Pergamenſibus, ſe eorum Ambaſiatores hilari animo recepiſſe, qui exquirebant adventum ipſius Imperatoris ad partes Lombardie. Porro cum diu inter ipſum & eccleſiam orta diſſenſio adventum ipſius Imperatoris ad eos ſpecialiter impediret, notificat eis, quod preveniente gratia Salvatoris inter ipſum & eccleſiam Romanam optate pacis federa, (*firmata*,) & quod habito cum apoſtolice ſedis antiſtite colloquio, ac ipſius benedictione ſuſcepta, ad partes ipſas perſonaliter & potentialiter veniet, rebellium contumaciam ſuprema confuſionis pernicie compreſſurus. Ne ob huiusmodi, licet modicam ipſius dilacionem adventus perverſitas inſana rebellium infidelium maieſtatis imperialis poſſit inſurgere leſionem, ecce ad partes illas Henricum filium ſuum ſacri imperii legatum in Ytalia generalem, prepotenti manu militum premittendum decrevit ad conſervationem ipſorum.

Fredericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem & Scicilie Rex, poteſtati, conſcilio, & communi Pergamenſi fidelibus ſuis gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Nun-

Nuntios veſtros, latores preſentium, fideles noſtros quos ad noſtram preſentiam deſtinaſtis, tanto iocundius excellentia noſtra vidit, gratiusque ſuſcepit, quanto & noſtrum ipſos gaudentius beneplacitum expectavit. Et ipſi tamquam conſcii ac veraces veſtre fidelitatis interpretes, fidem, conſtantiam, voluntates & corda veſtra in conſpectu noſtro devotione gratiſſima preſentarunt. Quibus in auditulo noſtro commiſſe ſibi legacionis officium implentibus condecenter, ex ipſorum inter cetera relatione recepimus Zelum veſtrum & votum anxium, quibus adventum noſtrum ad partes veſtra exquiritis, ad hoc tamen non minus vtilem quam neceſſariam ingerentes ardenter tam noſtre perſone preſentiam, quam potentiam virium affectatis profecto ſuper hoc veſtris deſideriis noſtra ſemper propoſita concurrent, vt quantumcunque in partibus iſtis, ſicut non eſt vobis abſconditum, rerum nobis molimina grandium mundus ingeſſerit, aut quevis diverſarum facultatum obſtacula. Malitia temporis importarit, ſpecialem ad vos mentis intuitum ſpeculatione continua dereximus, modos invenire iugiter cogitantes & vias, quibus hic collocatis diſcordiarum fluctibus, aut ſedatis, liberum ad vos veniendi volatum tam preſentialiter quam potentialiter haberemus. Cumque talem in nobis anxie voluntatis affectum diu inter nos & eccleſiam, matrem noſtram, orta diſcenſio ſpecialiter impediret, nec adventum noſtrum ad vos fieri poſſe commode videremus, ni potius matrem & filium, invida dudum ſceleratorum perverſitate ſeiunctos, debite pacis affectus & mutue dilectionis oſcula comirent, nonnullis mundi primatibus ad hoc interponentibus partes ſuas, quas ad id generalis mundi ſtatus adduxerat, audire verbum pacis libenter incepimus, & ſic inter nos & eccleſiam preveniente gratia Dei noſtri, qui facit vtraque vnum, & quocunque vult corda Regum inclinat, optate pacis firmata ſunt federa, & omnis odioſe du-

dudum materia diſſenſionis excluſa, quo vere ac ſtabilis ſperatur firmiter inter nos concordie vnitatis proventura, factumque eſt ita, vt vires noſtras, quas locorum diverſitas, quibus noſtram adeſſe preſentiam oportebat, ſegregabat in partes, iam liberius in vnum collectas, in rebelles veſtros (*noſtros*) ſi adhuc quod non credimus, vlterius reſiſterent, poſſimus commodius exercere, vt qui potentiam noſtram per tot quaſi rivos partim diſtributam vix olim ſuſtinere poterant, nunc rivis vndique reductis in alveum finaliter opprimantur. Neque vos aliquatenus credere volumus, quod quantumcunque nobis ſuccedant proſpera, provocemur ad gratiam, donec obſtantiam Ligurum, quam ecce iam perſonaliter accingimur perſequi, nec vmquam deſiſtere, ſi vlterius palpitabit, pro noſtro beneplacito conculcemus. Ad quod in preſentiarum non miſiſſemus litteras, ſed perſonam, ni iuſte dilationis occaſio greſſus noſtros per aliquantulum more retardaſſet obiectum. Indictum videlicet generale colloquium inter nos, & vniverſalem patrem noſtrum Dei gratia ſummum Pontificem, ſicut firmiter credimus celebrandum, in quo ſumus ab ipſo filiali reverentia benedictionem apoſtolicam recepturi. Cum non deceret, nec vos etiam aliquatenus credimus voluiſſe, vt poſt tam grate mundo conſummationem concordie, abſque benedictione munifica dicti patris, ſibi maxime tam vicini, recedere, abire tam longius deberemus. Ad hoc etiam potiſſime faciendum confidentia fidei veſtre ſpecialis nos induxit, de qua in progenitoribus veſtris & vobis preſcriptione laudabili iam ſecure dum continua mentis recordatione evolvimus, certa & indubitata pericula, que ſemper pro honore imperii ſubiiſtis, & admirabili conſtantia conſervaſtis, mortes corporum & dampna bonorum illata vobis ad ſummam gloriam reputantes, dubitare non poſſumus, quin & nunc ad tam modicum tempus, donec noſtra vobis adſiſtat preſentia, conſtan-

tie

tie voto noſtris ſervitiis inſiſtatis, & quanto magis videtur imminere neceſſitas, tanto virilius virtutes glorioſas vobis acquirere procuretis. Ne tamen ob huiusmodi licet modicam noſtri dilationem adventus, perverſitas inſana rebellium in noſtrum ac aliorum noſtrorum fidelium poſſit inſurgere leſionem, ecce ad partes iſtas Heinr. illuſtrem Regem Sardinie, ſacri imperii legatum in Italia generalem, dilectum filium noſtrum, prepotenti manu militum duximus premittendum, mandantes eidem vt inttentus ad conſervationem boni ſtatus veſtri, & aliorum noſtrorum fidelium, nec non ad dampnificationem rebellium invigilet diligenter. Nos ſiquidem habito cum apoſtolice ſedis antiſtite, patre noſtro colloquio, ac ipſius, vt dictum eſt, benedictione ſuſcepta, ad partes ipſas perſonaliter & potentialiter accedemus, expectatam vobis & cunctis fidelibus pro laboribus meritoriam reddituri quietem, & rebellium contumaciam ſuprema confuſionis pernicie compreſſuri. Vos igitur in quorum conſcientias prerogativam fidei imperii fundavit antiquitas & conſuetudo firmavit. Sic interim inter cuiusvis neceſſitatis articulos claritatem veſtre fidei pretendatis, vt ſicut alios bone voluntatis argumento preceditis, ſic more ſolito in penſionibus operum precurratis, & affluentiam noſtre manus & gratie ſpecialius vobis in ceterorum invidiam vendicetis. Super excontro ſane quorundam veſtrorum civium vt petiſtis, qui apud Mediolanum a noſtris rebellibus detinentur, Henrico illuſtri Regi predicto dirigimus ſcripta noſtra, a quo, cum reſponſum accepimus, petitiones veſtras, quas ſpeciali prerogativa complecti volumus, ſic diſponimus exaudire, quod honorem noſtrum deceat, & vobis merito valeat eſſe gratum.

NVM. XXVII.

Notificat H. (*Henricus Thuringiae Landgravius*

Friderici II. AntiCaesar) Romanorum Rex M. (*Mediolanensibus*) promocionem honoris sui imperii monens eos, vt in solita constancia (*Msſ. legit: in solitam constanciam*) & in devocione Romane ecclesie & imperii viriliter persistant, Fredericum quondam Imperatorem & fidei inimicum more solito impugnantes.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus dilectis fidelibus suis karissimis advocato, potestati, Mediolanensi conscilio, & communi civitatis eiusdem gratiam suam & bonam voluntatem.

Apte quam essemus assumpti ad illius, quem Deus nobis contulit apicem dignitatis, nos nostro fideli, Gvifredo de Habilitate, Ambaxatore vestro viro provido & discreto ac litteris visitastis qualiter cognovimus manifeste, sicut eciam nobis prius fama apud omnes celebris indicabat, quod vos in devocione sancte matris ecclesie constantissime persistentes, promocionem honoris nostri & reformacionem imperii non modicum affectatis, super quo graciarum vobis vberes exolvimus acciones, volentes, vtique vobis, dilectissimis fidelibus nostris, que acta sunt circa reformacionem imperii nunciare, per presentes litteras vobis esse volumus manifestum, quod tercia feria post domini ascensionem principes & concordi & vnanimi voluntate nos circa Herbipolin, nobilem imperii civitatem, in Regem Almanie & Romanum principem elegerunt. Nos qui ob honorem Dei, & sancte matris ecclesie Romane ipsam eleccionem acceptavimus in presenti, ac onus & honorem imperii asumpsimus manifeste, de Christi misericordia, & potencia fidei ac devocionis vestre, nec non aliorum fidelium imperii potissime confidentes. Verum cum inter omnes imperii fideles vos specialissimos reputamus, sicut qui pondus diei & estus sustinuistis, vos prosequi proponimus omni gracia & favore. Univer-

versitatem ergo vestram monemus quanto possumus affectuosius & hortamur, quatenus cum ecclesie & imperii columpna sitis immobilis, ac provincie spectaculum & exemplar, in solita devocione Romane ecclesie & imperii constanter & viriliter persistatis, Fredericum quondam Cesarem inimicum crucifixi more solito impugnantes. Nos enim scutum & gladium ob Dei reverenciam, & sancte matris ecclesie ereximus pro populo Christiano. Speramus enim in domino & in potencia virtutis eius sic confringere cornua inimici, quod sancta mater ecclesia & populus Christianus in sedula pace sedebunt & requie gloriosa. Predictum G. (*Gvifredum*) Ambaxatorem vestrum, qui in conspectu nostro favorabilis & graciosus existit, vsque in solennem principum curiam, die eleccionis nostre a nobis indictam, duximus retinendum, qua celebrata ipsum, favente divina gracia, cum maioribus & melioribus remittemus vobis instructum.

NVM. XXVIII.

Notificat vniversitas Brixie Imperatori H. (*Henrico Thuringo*) leticiam, quam habuerunt de promocione honoris sui, & victoria per eum habita contra Frederici quondam Imperatoris filium, regraciantes sibi, quod eos dignatus est suis litteris visitare, & quod velit ipsos commendatos habere.

Gloriosissimo domino suo Henrico, Dei gratia serenissimo Romanorum Regi semper Augusto C. de Axandris, potestas, consilium & vniversa communitas Brisiensis, fidelissimi sui se promptissimos ad perpetuum reverencie famulatum. Sublimitatis vestre gloriosa promocio, famelias dudum pectoribus expectatas, sacrosanctam ecclesiam & fideles ipsius inter spem & metum anxie fluctuantes, oleo exultacionis inunxit,

& quaſi Manna porrectum celitus, cunctis fidem catholicam reverentibus dulcedinem preſentavit. Celeſtis autem altitudo conſcilii, per quam hec feſtina iocunditas habuiſſe dinoſcitur inicium & progreſſum, operi ſuo ſufficienciam opponere perfeccionis intendens, natum depoſiti, qui aliquando ſe fecit Regem Alamanie nominari, ſuosque potenciores complices & ſequaces libertatem eccleſiaſticam reprobando temeritatibus impotentes, quos Dux eorum diabolus pridem ſatagebat, in laqueum ruinoſe vexacionis induxit, viribus eorum per conflictum ſub triumphanti magnificencia veſtra medulitus enervatis. Hoc autem prioribus gaudiis ex felici promocione veſtra prehabitis tanto pociora contulit incrementa, quanto totus orbis vaporibus diſſenſionum evulſis, & malignorum pravitatibus conculcatis, in maioris pacis & quietis ſperatur ſolamine ſtatuendus. Inter ceteros vero, qui maieſtatem veſtram zelo vere fidei reverentur nulli pre predictis pares nobis in leticia, ſicud pro certo credimus, extiterunt. Nec iſtud immerito credi poteſt, cum ſevus ille F. (*Fridericus*) Nerone crudelior, qui Dei reverenciam, ſicud ipſius nefarii teſtantur exceſſus, vtpote doli ceſpes & fomes nequitie contempnebat, infinitis gentibus, quibus, dum ſibi poſteritas arridebat, quaſi de ſingulis mundi partibus, ſicut eſt notorium, aggregatis, & continuata mora in obſidione per multorum dierum ſpatia cum eisdem, viſus fuerit ſtatum noſtrum omne genus inſidiarum attemptans, in eam deſolacionis ruinam & peſtilenciam anguſtiarum deflectere, que nos mortem optare pro remedio compuliſſent. Sed miſericordia domini faciente, que viam ſuperbie non acceptat, quod aggreſſus fuerat, pudoroſe deſeruit, & ex tunc de die in diem variis percuſſus turbinibus retroceſſit. Quid plura? Iam decem annis elapſis interdum preſens cum exercitu generali, aliquando abſens per fautores ſuos de Lombardia, & ſtipendiarios milites

ſuper

ſuper dorſa noſtra fabricavit malleo pertinaci, terras noſtri diſtrictus vaſtitati tradendo, que inter cetera delectabilia loca provincie Lombardie diviciis & deliciis perflorebant. Et quamquam in pernicie perſonarum & damnis rerum incredibilibus pergrandia pertulerimus detrimenta, numquam fervor noſter aliquatenus tenuit, immo quo durius leſi fuimus, eo conſtancia noſtra radices ſtabiles plenius acquiſivit. Digne igitur noſtra iocunditas ceterorum fidelium veſtrorum gaudium antecellit, cum redemptor noſter viſitans populum Chriſtianum, viſitacione ſalubri, talem apoſtolice ſedi ſuiſque devotis contulerit defenſorem, per quem laboribus finis beatus adveniet, & tribulacionum additus concludentur, fidelium multiplicabitur ſtatus, potencia renitentium evertetur, iuſticia directionem capiet & tranquillitas alumpna profectum excuſſo diſcidiorum pulvere ſumet vires. Et revera devocionis noſtre ſinceritas & mencium fidus ardor evidenti teſtimonio patuit, cum ſubieccioni noſtre regias litteras direxiſtis, culminis veſtri victoriam extolendo, & benignitatis affectum, quem ad nos geritis, exprimentes. Tunc ſiquidem litteris ipſis per me poteſtatem, nomine communis Brixie flexis genibus & plena humilitate receptis, rumor ſuper hoc per civitatem inſonuit. Et ecce! ſubito mares & femine, milites & populus, ſenes & iuvenes omnem angulum noſtri magni palatii repleverunt; & cum ea, que continebantur in illis intentis auribus, nemine turbante ſilencium, audiviſſent, vniverſi manibus ſurſum erectis, clamores vniformiter effundendo dicebant, laudes & gratias agimus trinitati, que dominum noſtrum Regem in obſequiis fidei catholice magnifice laborantem ad edomandam ſevam extollenciam victrici fortitudine roboravit. Benedicta ſit omnipotencia Dei noſtri, quia per hunc inclitum Regem dominum noſtrum tenebras dolorum diluet, & portum conſolacionis impendet, ſedabit amaritudinum procellas,

las, & equitati tribuet fulcimentum. Consequenter quoque tumultu clamancium quietato, multi ad effigiem maiestatis vestre quasi ad signum salutis, reverenter oculos affixerunt, hiis & similibus verbis & nutibus ab intima cordium puritate manantibus, affectus vniversitatis Brixiensis, quem ad celsitudinem habet regiam, in publicam noticiam se porrexit, patet autem clarius & cerciori testimonio monstraretur, si vestra serenitas provinciam Lombardie quod pre cunctis optamus desiderabilibus visitaret. Tunc enim quod quasi per speculum datur intelligi, veritatis integritas exponeret claritati. Et si negocii qualitas debitis consideracionibus attendatur, adventus ipse non magis fidelium Lombardorum vtilitatem inspiceret, quam augmentum vestre potencie procuraret. Illico nempe cum victoriosi accessus vestri fama precurreret, formido superbiam rebellium absorberet, & sicut ante faciem ignis stipula vstione corroditur, sic iactancia sua multiplicatis fidelium viribus tenderet ad occasum. Hinc est, quod premissione gratissima litterarum & oblata favoris ac propitiationis vbertate, per eas in graciarum accionibus supplices assurgentes, humiliter petimus, & affectuosissime supplicamus, quatenus nos, qui toti totaliter cordibus, & corporibus, & facultatibus vestri sumus, habere dignemini commendatos, affectatum nobis & aliis ac oportunum auxilium per presencie vestre decus, vel per strenuam miliciam dirigendo. Petimus insuper pro speciali gracia, vt de felici apicis vestri statu, & rumoribus, quos habet & habebit regia magnitudo, nos frequenter dignemini reddere cerciores, munera provide nostris gratissima mentibus largituri. Vitam quesumus preclarissimi domini brachium divinum longeva sospitate precingat, & ad boni medium fovendo perducat, & finis laudum claviger sub legibus clemencie cupiat firmitatem sub vmbra nominis sui, turbatio discordiarum in exilium propellatur, & fons salu-

lubris, qui per orbem rivos quietis dirigit, cernatur operante celesti misericordia pertransire.

NVM. XXIX.

Notificat Imperator Henricus Mediolanensibus fidelibus suis victoriam quam habuit contra Conradinum (*Conradum IV.*) filium Frederici quondam Imperatoris.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Henrico advocato, potestati, concilio & communi Mediolanensi fidelibus suis gratiam suam & omne bonum.

Cum vestre fidei sinceritas & plena devocio inter ceteros fideles nostros circa personam nostram, & sacri imperii culmen tamquam matutinale sydus irradiet, vniversitati vestre sereno & hilari animo, honorem, quem nobis & Romano imperio tribuit altissimus, scribimus & mandamus. Die autem eleccionis nostre a nobis solenni principum indicta curia, in festo beati Iacobi apostoli, Franchonfort, nobilem imperii civitatem felicibus auspiciis signa nostra movimus, ad celebracionem dicte curie properantes. Quo audito Cunradus Frederici quondam Imperatoris filius, motus intrinseci doloris aculeo in campo circa Franchenfort nobis occurrit, stipatus multitudine bellatorum, volens nobis indicte curie celebrationem totis viribus temere prohibere. Verum licet die dominico castra sua vltra aquam Mogii in loco munito posuisset, aquam & locum pro munimine eligendo, nos tamen & qui nobiscum erant principes, ipsum & eiusdem acies aggressi fuimus, & ipse subito cum suis versus in fugam tergum nobis & non faciem ostendit, fugamque arripuit, quam solent arripere cum sacro imperio decertantes, nobisque campo relicto cum curribus, tentoriis, & spoliis vniversis ex suis DCXXIIII. captivavimus preter occisos in campo

po & illorum (*illos*) qui metu percuffi in Mogio fun submerfi. Gaudeatis ergo in Domino & in potenci virtutis eius, qui in noftra primitiva gubernacione im perii dignatus eft de (*Conrado*) filio adverfarii noftri da re victoriam gloriofam. Speramus enim in domino quod contra patrem eius triumphabimus eo more, qu triumphare folent principes Romanorum.

NVM. XXX.

Notificat Imperator H. (*Henricus*) devotus ec clefie Romane filius Mediolanenfibus fideli bus fuis victoriam per eum habitam contra Conradum filium Frederici quondam Impe ratoris, exortans eos, vt in devocione fancta matris ecclefie & fua perfiftentes, Frederi cum quondam Imperatorem, Dei & ecclefi inimicum more folito impugnare procurent

Henricus Dei gratia Romanorum Rex, femper augu ftus, poteftati, confcilio & communi Mediolanenf fidelibus fuis plenitudinem gratie fue cum falute.

Gloriam & triumphum, quem dominus nobis con tulit contra adverfarios fancte matris ecclefie & impe rii, impugnatores fidei & ecclefiaftice libertatis, non noftris meritis, fed de mifericordia fua fola, fidelitat veftre nunciare volentes, prefenti ferie vobis facimu manifeftum, quod cum effemus in procinctu itineri cum nobiliffima focietate principum conftituti, eunte Franchenfort, pro folempni, quam indixeramus curia celebranda, Conradus filius F. (*Frederici*) quondam Im peratoris, qui fe Regem Alamanie fecit aliquando no minari, excellencie noftre obviare prefumpfit toto fuo exercitu congregato, pugnamque noftre potencie fu giens, folummodo noftrum tranfitum in locis artis fa tagens invenire. Verum divina previa potencia dis-

nen-

ponente, V. die intrantis Augusti, cum eodem conflictum habuimus generalem, in quo suorum innumerabili multitudine captivata, & illorum omnium, per quorum regnare potenciam videbatur, & cum omnibus suis conversus in fugam, campum relictis tentoriis omnibus & rebus ceteris derelinquit. Quocirca fidelitatem vestram propensius exortamur, vobis quanto possumus diligencius iniungentes, quatenus altissimo creatori omnium, qui gressus nostros dirigit, & a quo omnis nostra processit gloria & triumphus, immensas gratias referentes, in devocione sancte matris ecclesie & nostra constantissime persistatis, ac inimico Dei, & ecclesie, & nostro Frederico quondam Romanorum Imperatori resistere more solito totis viribus procuretis, scientes, quod speramus de misericordia Ihesu Christi, qui oculos misericordie sue in nos dirigens contra suos inimicos sue immense magnitudinis solet potenciam exercere, taliter inimicorum vires confringere, quod ecclesie & nostris fidelibus continuum proveniet incrementum, ac nos de vobis & vestris tribulacionibus eximendis poterimus sollicite cogitare, quod est precipue nobis cordi.

NVM XXXI.

Rex Romanorum scribit Mediolanensibus, quod, cum ipse nequiens ad eos ire propter obsidionem Aquensem, constituisset certum vicarium, & iste vicarius sibi sit necessarius, disposuit alium substituere vicarium vsque ad eius adventum.

Wilhelmus Dei gratia in Regem Roman. electus semper augustus, nobilibus & prudentibus viris potestati, consilio, & vniverso populo Mediolanensi dilectis fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem.

Postquam summe considerationis dispositio ineffabilis,

lis, que provide ſtatuit ab eterno vt ſuo ducantur nodo regiminis vniverſa nos ad ſuum & vniverſalis ecclesie ſervitium evocavit. Licet inſufficientes forent noſtre poſſibilitatis humeri, pro culminis tanti ſarcina ſubeunda. In eius tamen cui placuit iuventutem noſtram extollere favore confiſi, cura vigili, in ſolicitudine mentis aſſidua radios totalis noſtre intentionis extendimus ad cuncta que redemptoris gloriam, ipſius defenſionem ecclesie, ac noſtrorum fidelium ſalutem reſpiciant & quietem. Vos igitur, qui per facti experigentiam favorem noſtrum inter alios fideles imperii & gratiam meruiſtis amplecti, noſtre celſitudinis brachiis intendentes ac veſtri velut illorum quos in gremio regie ſerenitatis intendimus perpetuo conſervare, gerere ſolicitudinem volentes & curam, vt membra diſpoſitione capitis conſerventur, ad opprimendam illorum ſevitiam, per quos multa & varia diutius oppreſſionum genera ſubiiſtis, & recompenſandos labores veſtros retributione munerum liberali ad partes Italie regia vexilla victorioſe dirigere duximus diſponendum. Sed dum obſidio civitatis Aquenſis noſtrum retardaret adventum, Dilectum principem noſtrum, electum Spirenſem, imperialis aule cancellarium, ad easdem partes providimus deſtinandum. Cuius preſentiam vtilem inſtanti promovendo negotio, nobiſcum retinentes ad tempus, ne aliqua medio tempore poſſint contingere nobis inferentia leſionem, nobilem virum R. de Suppino Comitem Romaniole, dilectum fidelem noſtrum, de cuius experta probitate confidimus cuius ſinceritatem nullius ſuggeſtionis perverſio, nullius conditionis impulſus, nulliusque labes corruptionis contra devotionem ecclesie ad fidelitatem noſtram aliquibus potuit maculis denigrare conſtituimus excellentie noſtre vicarium in partibus Lombardie. Eodem cancellario noſtro nichilominus e veſtigio properante, fidelitati veſtre noſtri culminis auctoritate mandantes, vt ei tam-

tamquam nobis in omnibus que ad imperiale dominium pertinent intendatis. Nos enim firma & rata semper habebimus banna statuta sententias & precepta, que sua circumspectio duxerit proferenda & ex nunc ipsa, vt in futurum validius observentur, presentis scripti robore confirmamus. Sic itaque sibi in persona nostra velut vni ex carioribus nostris membris plenam obedientiam exhiberi curetis. Sicque in persona nostra ei honorem debitum impendatis vt cum in partibus illis presentiam nostram adesse contingerit, fractis repagulis que hucvsque conceptum veniendi propositum retardarunt, ac inimicis victoriose nostro imperio subiugatis, gradatim quemlibet, velut suorum meritorum suffragia poposcerint, gratis beneficiis, & dignis honoribus attollamus. Dat. in castris.

NVM. XXXII.

Notificat legatus apostolicus Mediolanensibus mortem Friderici Imperatoris, & hortatur eos, vt Regi Regum laudes & gratias referentes, ad contritionem continuam suorum hostium fortius animentur.

Nobili viro Iohanni de Ripa, Mediolanensi honorabili potestati, & conscilio & communi civitatis eiusdem Gregorius de Monte longo, apostolice sedis legatus salutem & prosperos ad vota successus.

In tempore nubilo diem lucidum virgo Lucia nobis noviter obtulit, in quo quietem nunciavit ecclesie, in quo quidem exultationis perpetue cunctis fidelibus presentavit exercitium, in quo cuncti solatium Christicole persensere, dum sicut ad nos scriptum est, in ipsius festo faustus occubuit, & caligantis Friderici quondam imperatoris caligo prorsus evanuit, que texerat hactenus omnem terram. O dies festus festiva rememoratione condignus, qui eum, qui videbatur

R etiam

etiam maris fluctibus imperare, duobus terre cubitis coëgit esse imperii baculus, & vulneratus est plaga mortis, qui gentes in virga nequitie vulnerabat. Nunquid hic fuit Fridericus, qui sedem sibi ab aquilone constituit, cuius turbavit dampnabiliter turbo terram. Nunquid hic exstitit, qui nullius pietatis amicus oppressit populos, concussit regna, civitates destruxit, orbem posuit in ruinam. O mors in tali morte gratuita, que per tam funesti funus vivificat spiritus devotorum. O mors placida, mors optata, que in tot & tantorum mortis morte quodammodo emendasse dinoscitur, quidquid modernis temporibus humano arbitrio in aliis preoccupasse videtur. Sane inter alios Christiane fidei & sancte matris ecclesie Zelatores, (*quos*) indissolubili ligatura ligat in fidei firmitate. Liguria, precipue gaudere debetis, quod post longi sudorem certaminis, acquisivisse probemini vobis, fratribusque posteris perpetue titulum libertatis, Letari debetis, quod pro causa Dei & ecclesie, pro pace, pro salute patrie, demumque pro vite vestre conservatione noscimini tam strenue propugnasse, & letari debetis, quod hostes vestri, quos quantumcunque vos leserint, libertatis titulis reservatis, per mortem dicti quondam Friderici, qui, sicut premissimus, in festo beate Lucie spiritum exalavit, & viribus mortificatur (mortificantur) & spiritu, vosque per dextram domini erigimini virtuosius in virtutem. En diem, quem expectastis, invenistis karissimi, & vidistis. En desiderati nobis temporis oportunitas vobis offert, quod manibus vestris vindictam ex hostibus representat. Absit vt vestre finem glorie reddatis in gloriam, absit vt vos post persequentis occasum, a persecutione inimicorum, qui opes vestras sitiebant & sanguinem, tepescatis. Quesumus igitur & sinceritatem vestram modis omnibus, quibus possumus rogamus & hortamur attente, vt in tanti profectione doni, quod a patre luminum descendisse dinoscitur, tanteque plenitudine gratie,

tie, Regi Regum, qui potentes depoſuit, dignas gratiarum laudes in cordis & vocis iubilo humilime referentes, ad continuam contritionem hoſtium noſtrorum, quibus leta omnia iam valedixerunt, ſic vires viriliter ac animos animoſius innovetis, quod in cuiusdam quaſi victorie ſignum aſcribant, quod vincantur a vobis, & ad apoſtolice ſedis, & vere fidei, & devotionis viam redire, veſtris repercuſſi conatibus compellantur.

NVM. XXXIII.

Comitis Dannebergenſis litterae de villa Drenis ſeu Dreneke Rorbergenſibus vendita.

A. Dei gratia Comes in Danneberg, omnibus ad quos præſens ſcriptum pervenit, ſalutem in Ieſu Chriſto.

Quoniam humana memoria labilis eſt & caduca, conſultum eſt ea, quæ in noſtris aguntur temporibus, ſcripto, aut teſtium robore confirmari. Notum igitur eſſe volumus, ad quos præſens ſcriptum pervenit, univerſis, quod nos habito conſilio fidelium noſtrorum, civibus de Rorberge, villam noſtram Drenis iure hæreditario vendidimus pro XXXVI marcis argenti, ad uſum fructum pauperum & divitum tam in parenis quam in lignis, ita videlicet, quod de duodecim manſis eiusdem villæ duodecim cori ſiligenis, & duodecim ſolidi levis monetæ nobis dabuntur annuatim, advocatia noſtra in eisdem bonis nihilominus ſalva permanente. Ut autem hæc noſtra venditio ſtabilis, & absque cavillatione perſeveret, ipſam appenſione ſigilli noſtri confirmavimus. Acta ſunt autem hæc Danneberg, anno Dominice incarnationis MCCLII. XVII. Kal. Januarii præſentibus viris, quorum nomina ſunt ſubſcripta, Cyriaco præpoſito noſtro, DN. Georgio de Hiddeſacker, DN. Gerberto de Bardeleve, Domino Hermanno de Bretze, Domino Alverico, Domino Gerardo de Lupo, Willeki-

no Gallico, Godefrido Byzvil, & aliis quam pluribus pr
bis viris, quibus debet merito fides adhiberi.

NVM. XXXIV.

Epiſtola de morte G. de Soretina Poteſtatis Te donenſis.

Honorabili militi DN. G. de Soretina Maxilie (*Ma liae*) & Avignoni poteſtati tales dicti de Soretina amici eorum ſalutem & cum gaudio repatriare. D loris anxietate preventi meſtos cogimur inire modos materiam proſequi lacrimoſam, quia tempus perturb tionis advenit. Cithara noſtra in luctum ex gaudi prodiit & merorem, quidquid epiſtola vobis expreſſ rit gravitatis equanimiter ferat patientia veſtra, con derans, quod humana condicio pondere fragilitatis o preſſa, inevitabili ſubiacet corruptele, & per aſpera qu que indeſinenter progreditur & amara. Nam meri prime damnacionis ab eterna ſtabilitate deiecti in h ius miſerie devenimus regionem, & dum ſtare cred mus labimur, dum aliqua felicitate gaudemus, acul pungimur, & tempeſtuoſis fluctibus agitamur. Cu cta quidem in huius calamitatis exilio conſtituta m nantur exitum & ruinam, & celeri curſu properant occaſum; ecce dum frater veſter G. multa etate vig ret, ob probitatem & bonam famam vocatus in Terd nenſem poteſtatem, quos vsque adhuc in bono ſta cum multa retinuerat de inimicis victoria & ſua pru dentia conſervarat, dum videretur corporea ſoſpitat potiri, ſubito fuit valida infirmitate preventus, qua nulla potuit excludere medicina, licet multorum me dicorum cura foret impenſa. Sed ſicut affuit divin beneplacitum voluntatis, nocte feſtivitatis beati Am broſii diem clauſit extremum ipſum vero Terdonen ſes in civitate ſepulture honorifice tradiderunt.

NVM

NVM. XXXV.

Regratiatur quidam notarius quibusdam ſociis ſuis pro eo, quod ſibi adſtiterunt favorabiles penes poteſtatem Brixie & eius iudices.

Amicis immo fratribus intime perdilectis - - Dictatoribus communis Mediolanenſis cultu morum & ſcientie decoratis Ventura de Aſula, notarius, ſalutem & obſequii quidquid poteſt.

Ad mee proſperitatis limitem ordinandam opem favoroſam & gratam inſtantiam penes poteſtatem Brixie ſuosque iudices impendiſtis, ex quo, licet non quantas teneor, quantas tamen valeo gratiarum vobis referens acciones, ad omnia que cedant in beneplacita veſtra, me, donec inerit vita, fidum conſtituo debitorem. Ceterum cum preces veſtre nondum mihi profuerint apud eos, amicitiam veſtram duxi non heſitans exorandam, quatenus iterum experientes ſi rogamina veſtra ſedem in pectoribus eorum invenient, a negligentia & oblivione ſeiunctam, velitis eisdem repulſativas cordium & excitativas memorie litteras deſtinare. Navis enim, cui vela dediſtis, in portum abſque veſtro flamine non intrabit. Cum veſter ſim totus, curam auxiliarem de me gerite, cari fratres.

NVM. XXXVI.

Regratiatur quidam ſcolaris, ſive notarius cuidam magiſtro, qui ipſum valde commendaverat.

Liberalium artium dotibus prefulgenti, magiſtro G. eminenti facultatis Grammatice profeſſori, Ventura de Aſola humilis notarius prompti ſervicii ſponſionem.

Si quis quem moleſtia ſitis vrget impellente natura, quam non eſt facile coërceri, fontes querat, a quibus ſatisfiat appetitui, non eſt mirum. Si vero pro fontibus

inquirendis ad arida ſe transferret, aquarum benefici queſiturus, certum eſt, quod ad contraria propoſiti ſi vergens inutiliter vagaretur. Itaque, care doctor, cu meritorum aſſiſtit copia gratioſa, mendacis fame teſt monio non credatis, quia frequenter ebria veritatis la bitur extra fines, nec poſcere velitis in rudi perician aut in famelico vbertatem. Ego vero pro honore, quen michi licet indigno contulit veſtre vrbanitatis exquiſ ta facundia, me ad omnia, que veſtre circumſpeccion grata proveniant, avidum vita comite conſtituo deb torem. Qui pennas ſibi alienas inſerit ad decorem contemptibilem ſe iudicat, & materiam fabricat ad deri ſum. Quare humiliter precor, ne veſtre ſollertie mal leus frivialis pennas vlterius formet michi, que dinc ſcantur altius in volatu.

NVM. XXXVII.

Littera quorundam recommendatoria, qui de corari volebant cingulo militari.

Viro magnifico, domino Baralo, dominatori Bauc nobilitate conſpicuo, magno potentia, ſapienti circumſpecto, V. G. Lam. H. ceteri dicti de Landrian cives Mediolani, ad eius beneplacita, quidquid poſſun

Magnum concipimus gaudium, & ingendem nob reputamus honorem, quod viri providi, Iohannes & Beltramus, dicti de Landriano, quondam domini Gu donis agnati, noſtri nepotes, noſtre domus columpn ſpeciales & lumina, dignum ab ipſa adoleſcentia & lau dabile deſiderium induerunt, cupientes inſigniri de coris titulo militaris. Et cum de magnificentia veſtr ſpe plena concepta, & de conſanguinitate ſumpta fidu cia, ſe propter implendum commendabile intencioni ſue propoſitum, ad dominacionem veſtram conferr decreverint, ipſos providentie & affinitati veſtre recom mendamus affeccione, qua poſſumus, ex intima cor

diun

dium affeccione rogantes, quatenus eos videatis ylariter, & colligatis benignius, ad desiderati cultum honoris evehi procuretis. Et eisdem taliter in suis comoditatibus assistentes, precum nostrarum, & ipsius, qua vobis obstringimur consanguinitatis obtentu, quo repatriantibus ipsis, collatus eis honor ostendat, sibi vestram magnifice potentiam profuisse, & nos omnes noscamus in personis earum multipliciter honoratos. Vltra enim, quam dici valeat credimus nobis ad gloriam, si predictos, qui sunt oculi nostri, que flagitant asecutos, in patriam honorabiliter reddire contingat. Dei gratia bene sumus ita potentes, quod possemus a communi nostro, & magnatibus Lombardie, de recommendatione huiusmodi, ad magnitudinem vestram, ad alios barones provincie litteras impetrasse. Sed ita de vestra dominatione confidimus, quod a vobis post Deum, quidquid honoris & boni predictis, immo nobis omnibus in illis factum extiterit, & recognoscere volumus, & vestre totaliter probitati deberi. Precipiat nobis vestra strenuitas quidquid velit, quia sumus ad omnia, que ipsi placeant, præparati. Sicut communiter scribimus, ita communitatis nostre domus sigillum duximus imprimendum.

NVM. XXXVIII.

Scribitur cuidam per aliquos parentes suos, quod ipsi fecerunt capi & decapitari illum, qui filium ipsius occiderat.

Sapienti viro, domino R. de Villa Bononiensi potestati, R. Mediolan. Sobal. & Io. dicti de Villa salutem & omnibus desideratos eventus.

Iniurie, que nobis per necem quondam Summaripe, filii vestri nobis illata fuit, immensitas, ceteras cogitationes & curas eiiciens sibi tota nostra pectora vendicat, & nos vigilantes, & etiam dormientes ad vindictam

continuis morſibus incitabat, quod per effectum operis, vt omnino taceamus, evidenter apparet. Nam etſi multa impenſa ſtudioſius opera, pro habendo dicte necis auctore ſpe fuiſſemus ſepe decepti, tamen non intermiſſimus curam noſtram, ſed vsque ad obtentum deſiderii noſtri vigiles extitimus, & contra quodlibet impedimentum inſtantes. Et ecce quod die ſabbathi proximi preterito, ante diluculum, nos cum viro nobili domino Alberto de Aſenellis, ſocio poteſtatis, vsque Rexenteram continuatis greſſibus in continuo curſu contulimus, vbi, ſicut Deo placuiſſe firmiter opinamur, dicte necis patronum invenimus, inventum cepimus, captum ligavimus, & ligatum quaſi de ſinu ſui patris avulſimus, & ipſo, nec non & amici eius, qui ad eius exierant ſuccurſum, videntibus, ad Mediolanenſem conduximus civitatem, qua, vt attingamus breviter ſummam rei, die lune proxime preterito, iuſtitie gladius capitavit eundem, & facies noſtras, iniurie paſſas caliginem, convenienti ſerenitate claruit, que vobis ad gaudium, & vt de perſona veſtra curam providam habeatis, preſentibus denotamus, qui ſuper aliis, que predicta occaſione nobis incumbunt, ſapienter, quantum divina permittet gratia curabimus nos habere. Iterum queſumus, vt ſuper cuſtodia veſtri corporis caute ſitis intenti. Dat. Mediolani die Mercurii XV. Iunii a nativitate domini MCCLV.

NVM. XXXIX.

Ottonis & Conradi Marchionum Brandenb. charta Briezenſibus data.

In nomine Domini Amen. Otto & Conradus Dei gratia March. Brand.

Omnibus hanc litteram cernentibus in perpetuum. Geſta hominum ducerentur frequentius in irritum & inane, ſi non voce teſtium, & ſcripturis autenticis recipe-

ciperent firmamentum : Noſſe igitur præſentes volumus, poſteris nec latere. Quod nos civitati noſtræ Brezne addidimus & appoſuimus triginta manſos, qui vocantur herdhove pro colendis iſtis, & domum mercatoriam que vocatur Cop hus in Dagmean, vniverſim citra civitatem. Locum qui vocatur Redewiſch, & locum qui vocatur Hendemolendich cum lignis & hinulis ſuper creſcentibus. Areas ante civitatem ſitas cum omnibus vtilitatibus & cum omni iuris integritate. Inſuper paſcua. Civitati donavimus ſupra & infra aream ſitam iuxta civitatem. Inſuper indaginem, quemadmodum habuerat Dominus Albertus de Lindow, cum omni ſua vtilitate appoſuimus civitati & civibus. Hic indago in civitate Brezne, & non alias reſignatus, preterea molendinum quod ſitum eſt ante pontem civitatis conſaginabitur cum civibus in Brezne hæc præmiſſa omnia cum omni iuris integritate & cum omni vtilitate præfatæ noſtræ civitati donavimus & appoſuimus, quiete ac pacifice perpetuis temporibus poſſidenda. Præterea noſtris civibus conceſſimus & indulſimus quod cum pecora villanorum de Budorp ſtipulas ante civitatem, ad paſcendum adierint, quod tunc pecora, Burgenſium hæcce, ſubſequi debent, nec proinde occupari per aliquem, ſive per aliquos, pignorum captione debebunt. Vt igitur hæc noſtra donatio rite facta non poſſit futuris temporibus immutari, præſentem litteram conſcribi iuſſimus, & ſigillorum noſtrorum appenſione communiri. Teſtes huius rei ſunt fideles noſtri, Conrad de Redere, Hinrich de Wardenberg Dapifer, Otto de Gladegow Advocatus & Dominus, Jo. de Kalvranſche & alii plures fide digni. Acta ſunt hæc & data Magd. Anno DNI. MCCLXXXX. XII. Kal. Decembris per manum domini Atwardi, Curie noſtre Capell. & Notarii.

NVM. XL.

Alberti I. Imp. Epiſtola ad conſervatores pacis in

in Saxonia de castro a Wernigerodanis Co-
mitibus prope Goslariam exstructo.

Albertus, Dei gracia Romanorum Rex semper Augu-
stus, Illustribus O. Marchioni Brandenburgensi, H.
& Alb. Ducibus Brunsvicensibus. O. Duci de Brun-
wig & de Luneborg Principibus, ac vniversis pacis ge-
neralis juratis in Saxonia, fidelibus suis dilectis, gra-
tiam suam & omne bonum.

Ad noticiam Serenitatis nostre insinuacione querelo-
sa pervenit, quod viri nobiles, Alb. & Frid. Comites
de Werningherode in generalis jurate pacis dispen-
dium, quoddam Castrum prope civitatem nostram
Goslariensem, in fundo alieno de novo erexerunt &
fundarunt, quod cum eidem civitati Goslariensi, ac vi-
regiis, prout intelleximus, impedimenta possit & i-
commoda generare, sinceritati vestre duximus com-
mittendum. Quatinus circa dictum castrum, quic-
quid tranquillitati terre & bono communi expedire vi-
deritis, faciatis. Caventesne occasione Castri ejusdem
oriatur turbacio patrie sive pacis. Datum in Eslinge
V. idus Julii, regni nostri anno quarto.

NVM. XLI.

Robertus, Neapolitanus Rex, Vercellensem
Episcopum in consiliariorum ordinem co-
optat.

Robertus &c. venerabili viro - - Episcopo Vercellen-
si, & comiti Cambellano, consciliario, familiari, &
fideli suo dilecto suam gratiam & salutem.

Viros morum gravitate conspicuos, & elegantia vir-
tutum preclaros, nobis collaterali societate iungendo
solicite nos decet exquirere, vt eorum felici consorti
gloriemur, & grata nobis familiaritate coniuncti, ser-
vitii exinde & honoris commoda se gaudeant reporta-
re. Quia igitur maturitate consciliii, & prudentie ve-
nusta

nuſtate, ac nonnullis aliis donis virtutum a domino vos dotatos ſentimus, dignum arbitramur & congruum, quod vos noſtre familiaritatis participio decoremus. Eapropter vos in Cambellanum, conſciliarium & familiarem noſtrum, ac domeſticum commenſalem gratioſe recipimus, & familiarium noſtrorum conſortio liberaliter aggregamus, volentes de cetero vbique locorum vos tamquam familiarem noſtrum gratioſa proſecutione foveri, & condignis favoribus honorari. Dat. &c.

NVM. XLII.

Roberti, Neapolitani Regis, litterae commendatitiae & ſalvi conductus Galterio de ſancto Laurentio datae.

Robertus, Dei gratia Rex Ieruſalem & Sicilie Ducatus Apulie & principatus Capue, Provincie & Forcalquerii ac Pedimontis Comes, vniverſis preſentes litteras inſpecturis tam fidelibus quam amicis ſuis gratiam & ſalutem.

Cum Galterius de ſancto Laurentio iurisperitus, familiaris & fidelis noſter, oſtenſor preſentium ad certas partes Lombardie pro quibusdam negotiis ſuis habeat ſe transferre, amicos requirimus, fidelibus iniungentes, quatenus prefatum Gvalterium, cum per partes & loca veſtra tranſibit, noſtro intuitu recommendatum habentes, nullam ſibi in perſona rebus familia, vel animalibus eius moleſtiam vel obſtaculum inferatis, aut quomodolibet permittatis inferri, quinymmo ei ad requiſitionem ſuam de ſecuro conductu, ſi, & prout expediens fuerit, providere curetis, vt amicis teneamur ad grates, & fideles de obedientia commendemus. Dat. Aquis anno Domini MCCCXXIII. die VIII Martii, VI Indictione, regnorum noſtrorum anno XIV.

NVM.

NVM. XLIII.

Quatuor Marchionum Brandenburgicoru charta Coenobio Cinnenſi data.

Otto, & Conradus, Johannes, & Woldemarus, DE
gratia Brandenburgenſes & Landesberg Marchio
nes vniverſis Chriſti fidelibus, tam præſentibus qua
futuris, ad quos præſens ſcriptum pervenerit notiti
ſubſcriptorum. Ne ea quæ geruntur in tempore ſimu
labantur cum fluxu temporis, expedit vt ea, quæ
principibus aguntur favore teſtium ac litterarum teſti
monio firmentur. Hinc eſt quod tenore præſentis pu
blice proteſtamur. Quando vnanimi noſtrorum he
redum omnium conſenſu aquam Niplitz a prima ſu
origine vltra & infra civitatem Brizna, cum omnibu
aquis rivulis, & aquarum decurſibus eam incidentibu
vsque ad pontem Kemenitz, cum aqua Sernow Stein
berck, Retiz, Soltberck & Goltberk & Niehle, cæteri
que omnibus aquis in noſtro dominio territorii Britze
conſiſtentibus vendidimus, & contulimus abbati & con
ventui clauſtri Sinne, absque conditione cuiuslibe
poſſidendum, ita quod nullus advocatorum noſtrorum
ſeu Burgenſium in Britzna, aut quorumlibet hominum
noſtrorum, aliquod molendinum ſupra prædicta
aquas, aut qualibet alias noſtri dominii, nec aliqui
ventorum molendina, ſeu quæque alia in omni circui
tu civitatis Britzne per vnum milliare de novo preſu
mat nec debeat edificare. Hoc enim eſſet detrimen-
tum prediſtorum plurimum monachorum. Prohiben-
tes nihilominus omnes currus prediſtorum molendi-
norum, que ad prediſtum clauſtrum non pertinent
in perpetuum civitatem Britzen pro annona molendi-
na ingredi ſub noſtri favoris obtentu. Quippe cum
ipſi monachi molendina omnibus ſufficientia jam ha-
beant, aut certe habituri ſint in acquis nominatis. Vo-
lentes ne ipſi monachi veſturam teneant ulterius, ſed
quis-

quisque annonam ſuam molendo importet, ut omnia in pace & concordia perſeverent, confirmantes monachis dictis omnes arcas ſeu exuvias molendinorum veterum cum novorum, & loca ſtagnorum, quod eſt Molmdieck. Etſi quas exuvias aut areas, molendinis neceſſarias, reparare poterunt cum omnibus diductionibus aquarum predictarum, ad molendina ſupra dicta. Ita tamen ut ſi cuius noſtrorum Burgenſium ager in fodendo indiguerit, & mirabiliter, quantum indixerit, huic perſolvatur. Adiicimus inſuper, quod quandocunque illuſtris noſter frater Heinricus Marchio fuerit nobis reformatus, quod ex tunc omnia ſupradicta ſuis ſigillis ac patentibus littens adprobabit. In huius rei evidens teſtimonium preſens damus ſcriptum noſtris ſigillis munitum. Cuius rei ſunt teſtes Gorlis de Wedele, Conradus dapifer, Conrad de Redere, Otto de Reniis & milites & quam plures alii fide digni. Actum & datum in Hawelburch Anno Dni MCCCIII. quinto nonas May per manus Zacharie noſtre curie notarii.

NVM. XXIV.

Litterae Ottonis, Bradenb. Marchionis, Cinnenſi monaſterio datae.

Otto Dei gratia Marchio Brandenburgenſis. Omnibus ſcriptum hoc cernentibus perpetua pace gaudere.

Notum facimus proteſtando tenore præſentium, univerſis Chriſti fidelibus, preſentibus & futuris, quod venerabiles in Chriſto viri, Dominus Abbas, & conventus monaſterii in Chinna, Ciſterienſis Ordinis, Brandenburgenſis dioeceſis, ſibi a nobis, cum conſenſu illuſtris principis, Marchionis Conradi, fratris noſtri, ac heredum ſuorum, compararunt proprietatem fluvii civitatem Brezna per tranſeuntem, a prima ſui origine usque in ſilvam, que vocatur Hawelbruchburn, rivulis afflu-

affluentibus, lignis, pratis, pafcuis,areis diferte ad ipfu
pertinentibus, ac molendinis, nunc in ipfo locatis,
inpofterum locandis, fuperius, & inferius, intra, & ext
civitatem, cum omnibus redditibus provenientibus
his, cum utroque fuo littore pleno iure. Preterea d
namus ipfis, & confirmamus, huius perpetuitate libe
tatem cum plenitudine omnis juris, ita ut neque fup
iure Burchwardi, neque fuper jure advocatie alicui a
vocatorum noftrorum teneantur ullatenus refponder
In cuius rei lucidum & evidens teftimonium prefente
paginam fratribus prediƈtis tradidimus figilli noft
munimine roboratam. Teftes funt Dn. Conradus d
Redere, Dn. Conradus - - noftre curie pincerna, D
Otto de Raniis & plures alii fide digni. Datum Wo
merftat anno gracie millefimo trecentefimo prim
ydus Januarii.

NVM. XLV.

Ludovicus IV. Imp. curam civitatis Goslarienfis, Mansfeldenfi & Wernigerodano Comitibus datam, ob graves caufas eximit & revocat.

Ludovicus, Dei gracia Romanorum Imperator femp Auguftus.

Speƈtabilibus viris, Burchardo in Mansfeld, & Con
rado in Werningerode Comitibus, fuis & Imperii fideli
bus dileƈtis, graciam fuam & omne bonum. Commis
fionem civium, & civitatis noftre Goslarie, vobis pe
Majeftatem noftram faƈtam, certis ex caufis, & de no
ftra certa fcientia, prefentibus revocamus. Requirente
fidelitatem veftram, ne revocacionem noftram recipia
tis dolenter aut finiftre, quia vobis infimili, & maiori, u
bi oportunum fuerit, noftra ferenitas complacebit. Vo
lentes infuper, quatenus revocacione prediƈta non ob
ftante, diƈtos cives & civitatem noftros omni concilio
&

& auxilio quo volueritis efficaciter promoveatis, nostrum ob honorem pariter & amorem. Datum in Nurenbergh in die beati Viti martiris anno Domini M. CCC. XXXI. regni nostri anno decimo septimo, Imperii vero quarto.

NVM. XLVI.

Otto Marchio Brandenburgensis ex Boica gente Schulenburgios investit de pluribus bonis, privilegia illorum confirmat, & largitur nova.

Wi Otte von Gotts Gnaden, Marg-Greve to Brandenborgh, des hilgen Römeschen Richs Overster Kemer, Pfalantz-Greve bi den Ryne, und Herzoge to Beyern, bekennen opentlicken in düssen Breve vor alle den, de en seen hören lesen, dat wy geleyen hebben, und lien usen liven getrüwen Werner, Hinrike, Bröder, Herrn Bernde, Henninge, Hanse Hinrike, unde Bernde Veddern, alle genandt von der Schulenborgh, und ören rechten Erven, se synt gedeelet, odder ungedeelet, in ener gesammenden Hand, in einen rechten Lehne dat Hus Bezendorp und Arenborgh, Hus unde Stadt, mit düssen nachscreven Dörpern, Audorpe, Dannen, Junckote, Peertze, Jeben, Poppon, Trammer, Rittlewe, Wendische Arenborgh, Alen, Tangel, Nipze, Wöpelde, Rockentyn, Stoppenbecke, Keychelendorpe, Kleimon, Woldenberge, Luge, Rodendambcke, Reckelinge, Zellvelde, Drenecke und Rockelitze, mit allen Rechte, Freygheiden, Wachheyden, Früchten und Nütte, undder der Erden und darover, mit Mannschafften leddigh und verlegghen, mit oversten und neddesten Gerichten, mit Straten-Gerichten, an up den Land-Straten, mit Boden und Wagen-Densten, mit Watern, Wesen, Weyden, mit Fischereyen, Höltern, Ackern, ghesucht und unghesucht, und vort mit allen andern ören Güdern und Thobehörungen, de se in Ghe-

Ghewere hebben, leddigh und vorleghen, welcke de ſint, und wo men ſe gemeinlik edder mit beſ dern Worten mach genomen. Wie beſtedigen, veſten, und bevulborden ock mit Krafft düſſes Br den vorgenanten von der Schulenborgh und ören ven alle Breve, und Handfeſte, de ſe hebben, von u Broder, Marggreve Lodewige dem eldern, ſelige De niſſe, und Marggreve Lodewighe den Römer, und w len de ene ſtede ganz und unverbrokliken holden allen ören Artickeln, Clauſuln, und Punčten, geli Wiſe, all ſe efft ſe von Worden to Worden in düſ gegenwordigen Breve eigentlicken geſchreven ſtu den. Ock wille wy ſe by düſſen vorſchreven Lehn und by allen andren ören geiſtlicken und weltlick und by allen Rechte beholden und laten, und wil ſe öre Rechte trüwelicken vordedingen, iegen all mennlicken wu und wand ön dat Not ſchüt. Ock lowe wy den upgenanten von der Schulenborgh, betern öre Veſten, Bezendorp, und Arenborgh, H und Stadt, mit Muren, mit Törnen, mit Graven, m alle deme, dat ſe dartao bedörffen, und ginnen u irloven in, dat ſe dorto van unſerwegen bidden u ghebeden mögen den unſern, de ön darto helpen ſch len, und wen ſe dartho bidden edder ghebeden, d ſchullen ſe van unſer wegen gantze Macht hebb und is uſe gude Wille, und is us ſondercken wol Dancke. Alle düſſe vorſchreven Stücke und Artic mit einander und iglich beſunder ſprecke wy vor und unſern Erven, in guten Trüwen ganz und v unverbrocken te holdende one Geverde, und allerle Argeliſt, und hebben des to Orkunde, und groter S ckerheit unſe Ingeſegel an düſſen Breff laten heng Des ſint Getüge de Erwerdige Vader in GOTT H Dydereicke, Ertz-Biſchoff to Meydeborgh, Herr H man von Werberge, Havemeſter der Goddes-Hüſer v Sünte Johannes in Sachſen-Lande, und de veſten I

de Hans von Wansleve, Fritze und Gerhert von Werderde, Hinrick von Alvensleven, Mertin von Kunzeſtorp Ritter, Claus von Bismarcke, Günzel von Bertensleve, und ander trüwerdige Lüde genoch. Gheven to Meydeborg na Chriſti Geborth duſent drey hundert Jar darna in den dre und ſechtigeſten Jare an Sünte Lucien Dage der hilgen Jungckfruen.

NVM XLVII.

Confirmatio electionis Abbatiſſae monaſterii S. Mariae in Gandersheim.

Agnes, Principiſſa de Anhalt, Dei & apoſtolice ſedis gratia Abbatiſſa ſecularis eccleſie ſanctorum Anaſtaſii & Innocentii pontificum Ganderſemenſis, Hildeſemenſis dyoceſ. dicte ſedi apoſtolice immediate ſubiecta, religioſis & devotis virginibus Mette, Wolpkenin, prioriſſe, ceterisque virginibus prebendatis & profeſſis, totique capitulo monaſterii & eccleſie noſtre ſancte Marie extra muros oppidi Ganderſemenſis ſinceram in Domino caritatem.

Nuper vacante Abbatia eccleſie noſtre predicte per deceſſum felicis recordationis Eliſabet Leynemans devote virgines ac capitulum eccleſie noſtre ſupradicte, honorabilem & religioſam virginem Margaretam der Nedden, ibidem profeſſam & capitularem, ſancti ſpiritus invocatione prehabita in ſua & dicte noſtre eccleſie rite ac legittime, atque canonice in vim electionis per ſcrutinium, vt moris eſt, vnanimiter concordarunt, & concorditer elegerunt, inſtantes propterea eandem ita & taliter per ipſas vt prefertur factam electionem in noſtra perſonali preſentia per nos confirmari, ratificari & approbari, ipſamque dominam Margaretam electam prius & ante omnia, petita & obtenta deſuper ipſius plena voluntate & conſenſu, per nos quemadmodum noſtrum ad officium ſpectat, approbari & confirmari.

S Nos

Nos igitur attendentes (*quod*) iuſte petentibus non ſit denegandus aſſenſus, quia etiam reperimus, eandem electionem rite, legittime, ac canonice nobis preſentibus fore celebratam, nec non dictam electam abilem & ydoneam, bone converſationis & vite. Quare dictam electionem ita vt premittitur factam, omnibus meliore modo mature & forma, quibus melius potuimus & debuimus, auctoritate & poteſtate in hac parte nobis commiſſa, approbavimus, ratificavimus, atque confirmavimus, approbamus, ratificamus, confirmamus atque canoniſamus Dei nomine in hiis ſcriptis, eandemque Margaretam Abbatiſſam prefate eccleſie ſancte Marie virginis pronuntiamus & declaramus, de clenodiis iuribus & pertinentiis vniverſis & ſingulis ſibi committentes pariterque providentes regimen in ſpiritualibus & temporalibus, adminiſtrationem dicti monaſterii eidem fideliter dando & committendo, inducendo & immittendo eandem electam, & per nos, vt premittitur confirmatam nichilominus in corporalem eiusdem abbatie poſſeſſionem & realem, preſtito tamen prius promiſſione & iuramento corporali fidelitatem ſanctis Anaſtaſio & Innocentio, eccleſieque noſtre nobis atque ſucceſſoridus noſtris neque erit vmquam in conſilio, tractatu vel facto, vt vitam ſtatumque perdamus, quinymo ſalutem noſtram eccleſieque noſtre fideliter procurabit, & preſertim ſuperioritates & iura nobis in prenominata eccleſia ſancte Marie glorioſe virginis competentia & competitura conſervabit, & de hiis reſpondebit, neque bona eccleſie preſertim immobilia vel ad ornatum eccleſie ſpectantia nobis ignorantibus aliquo titulo alienabit, nobis ſucceſſoribusque noſtris reverentiam exhibebit debitam & honorem. Quapropter vobis omnibus & cuilibet veſtrum in ſolidum mandamus & precipimus, quatenus dicte Margarete ſic per per nos confirmate de fructibus iuribus & proventibus ipſius abbatie plene & integre ac in totum reſpondeatis

tis

tis reſponderique curetis, honoremque debitum erogetis & exhibeatis, ſervatis circa hoc ſolonnitatibus debitis & conſuetis contradictores atque contradictrices rebelles & adverſarie (*adverſarias*) per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum preſentibus eſt appenſum. Datum & actum Gand. in monaſterio dicte eccleſie ſancte Marie, anno MCCCC octuageſimo ſexto menſe Iunii preſentibus ibidem venerabili viro domino Wedegone abbate in Cluſa, Theoderico Dote priori ibidem, hundo Winckelman, presbytero teſtibus ad premiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

NVM. XLVIII.

Rupertus Imperator ad preces Goslarienſium confirmat emptionem lapidei montis ſeu Steinbergiae arcis prope Goslariam ſitae, ipſique vrbi imminentis. (a)

Wier Ruprecht von Gots Gnaden, Römiſcher König, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, bekennen und thun kundt offentlich myth dieſſem Brieffe allen den dye yn ſehent oder horent leſſen, daſz uns unſer lieben getruwen Burgermeiſtere Rath und Burgere gemynlich unſer und des heiligen Reichsſtad Gosler furbracht haben, wie daſz ſie ſich myt dem Edelen unſern und des Richs lieben ghetruwen Graven Henrich zu Wernigerode übertragen haben um den Steinbarg by Gosler gelegen, alſo daſz ſie denſelben Steinbarg und alle eygenſchafft daran zu der vorgenandten unſer und des heiligen Richs ſtad Goslar gekaufft haben eweclich dabey zu verbliben. Und hand uns demuterlichen gebeten, denſelben Kauff und die Brieffe darüber gemacht der vorgenandten Stadt Goslar von Romiſcher Kuniglicher machte zu beſtetigen. Des haben wir angeſehen ſoliche yr flysſige demutige und

redeliche Bete und haben den obgenandten Burgemeisteren Rad und Burgeren der Stadt zu Goslar den vorgenandten Kauff und die Brieffe darüber wie die dan von Worte zu Worte begryffen sind und uswissend, bestetiget befestet und confirmeret, bestetigen befesten und confirmeren die in Krafft dis Brieffes mid Romischer Kuniglicher machte vollenkomenheit, und gebieten hierum allen und yglichen Fursten Geistlichen und weretlichen, Grafen, Freyen, Herren, Dinstluten, Rittern, Knechten, Gemeinschefften der Stete, Marckte, und Dorffer, und sonsten allen anderen unseren und des Richs underthanen und ghetruwen, vesticlichen und ernstlich in Krafft dis Brefs, dasz sie die obgenandten Burgermestere Rad und Burgere gemeyniglichen zu Goslar daran nyt hinderen noch yrren sondern sy daby ghetruwelichen verbliben lassen sollen, und auch hanthaben schützen und schyrmen als liebe yn sy unser und des heiligen Richs swere ungnade zu vermiden.

Orkund dis Brieffs vorsiegelt myt unsern Koniglicher Majestate ingesegel. Geben zu Heidelberg nach Christi Geburte in dem vierthehinhunderlten und zehenden Jhare de nechsten mythwochen nach den zwolfften tage den man zu latein nennet Epiphania Domini, unseres Richs in den zehenden Jhare.

(a) B. Heineccius, vir olim doctissimus l. 1. Antiquitatum Goslariensium p. 93. scribit, Steinbergiae arcis ruinas antiquissimas esse, adeoque in omnibus, quas viderit litteris & monumentis nec volam nec vestigium eius castelli adparuisse. Unde haec charta attentionem eo maiorem meretur, quod lapideus mons, illustrium Steinbergiorum gentilitia arx non semel in ea, sed bis memoratur.

NVM.

NVM. XLIX.

Marg-Graff Joannis Confirmations-Brieff wegen des von Henrich von Lindow erkaufften Dorffs Freuſtorff.

Wir Joannes von Gottes Gnaden Marggraff (zu) Brandburg, und Burg-Graff zu Nurenberg, bekennen offentlich mit dieſem Briefe, für uns und unſer Erben und Nachkommen und ſunſt für allen, den dieſer Brieff fürkumet, das die erſamen unſre lieben getreue, Burgermeiſter und Rathmanne unſer Stadt Treuenbrieſſen für uns komen ſein, und uns fleisſiglichen gebeten haben, In das Dorff Freuſtorff das ſie von Heinrichen von Lindow gekaufft haben, der das von uns und der Marg-Graffſchafft zu Brandburg zu lehen gehabt in das verkaufft, und für uns verlangt hat zu vereignen. Und wan wir nun ihr fleisſig Bet und auch ir getreue manchfaltige Dienſte, dieſſe unſern Fürſtenthum und unſerHerſchafft offt und dick gethan haben, und noch in zukunfftigen Zeiten wohl thun ſüllen, und mügen Hierum und auch von Gnaden, haben wir den genante Burgemeiſtern und Rathmannen, Gemeine, und ire Nachkommen der obgeſchriebenen Stadt Treuenbrieſſen das obgeſchriebene Dorff Freuſtorff, mit Ackern, Wieſen, Weiden, Heuren, und ſunſt mit allen und ichlichen Angehörungen und Gerechtigkeiten, gar nichts ausgenommen, als das Heinrich von Lindow obgenant bisher von uns zu lehen gehabt, beſeſſen und gnoſſen hat, vereygnet, und vereignen in das auch zu ewgen Zeiten, in Krafft dies Brieffs, doch miet (Bedingnis) wen und auf welche Zeit man ein gemein LandBete in unſeren Landen der Marcken kymet, um dieſe tyt ſo ſüllen dieſelven in Danck des obgeſchriebenen Dorffs auch ſchoſſen und dienen an arg und an Geperde. Des zu Urkund und Bekantniſſe haben wir für uns unſere Erben und

Nachkommendenden Marg-Graffen unſer Inſiegel a
dieſen Brieff hengen laſſen, der geben iſt zu Brandbu
an Montag nach den Sontag, als man in der heilig
Kirchen ſinget Judica in der Vaſten, nach (Chriſt
unſers liven H. Geburt vierzehen hundert und darnac
in dem acht und zwanzigſten Jahr.

Jo. manus Dni. Marchion

Jo. Somer Prothonotar.

NVM. L.

Eimbeccenſis capituli epiſtola ad Gandershei menſem Abbatiſſam Coenobii Mariae, d permutatione Litonum quorundam.

Adelheidi Dei gratia ſancte Marie inGanderſe Abbatiſſe. O. prepoſitus Eimbicenſis ecclesie, H decanus ceterique canonici paratam ad omnia volun tatem.

Certificati ſumus iuxta tenorem veſtrarum littera rum, quod Iohannem & Tydericum filios campanari de Oldendorp eccleſie veſtre litones Eimbicenſi eccle ſie contuliſtis abſolute. Similiter Ioannem & Arnol dum de eadem villa conſenſu mutuo & in eadem for ma in concambio recepiſtis. Igitur per preſentem lit teram vobis notificamus, quod veſtre non reſiſtimu ordinationi, immo in omnibus vobis placitis conſen ſum communiter adhibentes. Et vt hec rata ſint & firma ſigillo noſtro & ſubſcriptione teſtium confirma mus. Teſtamur autem per ſubſcriptorum nomina ſci licet per Ludolfum ſcholaſticum & Bertoldum cu ſtodem Wicmannum canonic. & per alios.

THO-

THOMAE CAPVANI ROMANAE ECCLESIAE Tit. S. SABINAE PRESBYTERI CARDINALIS DICTATOR MVLTAS BVLLAS PONTIFICVM ET MEMORABILES ALIAS EPISTOLAS CVM PVBLICO TVM PRIVATO NOMINE SCRIPTAS CONTINENS.

In hoc prohemio reprehenduntur illi, qui præcipitant ſententias, & confundunt iudicium, ponentes lucem tenebras, & e conuerſo.

Iuſte iudicate filii hominum, & nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate, vt oſtendatis, vos diligere iudicium & iuſtitiam, qui iudicatis terram. Etenim multi confundunt iudicium, & præcipitant ſententias, qui neſciunt, quid ſit iudicium, &, quid ſententia ſit, ignorant.

Sed ve illis, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras rectam lucem. Equum ab inequo ſeparantes minime, neque licitum ab illicito diſcernentes; docentes, quod non primitus didicerunt. Volare volentes, antequam pennas eduxerint ad volatum, & præſtantes, ducatum aliis, cum ipſi ducatu magis indigeant, obuoluti nubilo cæcitatis. Arbitrati ſunt enim, auritalcum eſſe aurum, & aurum non ſunt veriti dicere auritalcum. Sed neque inſipiens ſapientiam, neque aſinus civilitatem, neque porcus habebit in pretio margaritas.

Celebris eſt & glorioſa romana curia, deſuper cuius pedibus defluunt aque vive, & velut ex fonte, riuuli tam rerum omnium faciendarum, quam tenendarum iura & dogmata deriuantur, vsque ſcilicet ad ſpeciem ornati dictaminis & decorem, in quo & per quid totius litteratorum profeſſionis noſcitur florere facilitas

& omne bonum in publicum & in lucem ſe erigit cl riorem. Ea propter Romane curie veſtigiis inherente eius ſtili non indigne magiſterium imitamur, confut to illorum errore, qui ſine prædicto magiſterio, cu non ſint dictatores, quinimo ſine tali lucerna lumin in viam non merentur dirigi veritatis. Ideoque ad v ram dictaminis ſpeciem & celſitudinem contempla dam cuncta, minus ad rem facientia, ne verum curſu impediant, exſtirpemus, & vtilia generabilibus ſu compendio perſtringentes.

Hic deſcribitur, quid ſit dictamen.

Quid ſit dictamen?

Exempla videamus. præſertim cum ipſorum varieta tem & ordinem plenarem ſentiamus. Ita quidem omn bus ad dictandi nuptias ianua patefiat, niſi eis duntaxa quorum oleo deficiente lampades extinguuntur.

Eſt ergo dictamen digna verborum compoſitio, art ficioſa congeries appellatur. Digne & ornate neceſſe e verba componi, vt recte dictioni dictio inaritetur, & proprietas proprietati vniatur cum ſententiarum pon dere & ornatu. Et ideo dicitur quia Priſciano docent omnis ſintheſis ad intellectum referenda eſt, quun verba debent deſeruire ſine fundamento. Ita ideo ord dictionum inſeritur, quia ordinande ſunt in dictamin dictiones; ſicut notabiliter inferius exprimetur, nichi ſuperfluum patiens, nichil ſuſtinens diminutum. Quo ſi diminutum aliquid ſuſtineret, argueretur vtpote de fectiuum. Si vero otioſum vel ſuperfluum aliquic contineret, damnaretur tanquam de ſuperfluo vicioſum

Hic diſtinguit tria genera dictaminum, ſ. pro ſaicum, metricum & rithmicum, & ſubiun git de mixtis.

Dictaminum vero genera tria ſunt, a veteribus dif finita, ſcilicet proſaicum, metricum & rithmicum. Pro ſaicum, vt Caſſiodori; metricum vt Virgilii; rithmi

cum

cum vt Primatis. Prosaicum dicitur a proson græce, quod latine significat longum, quia in prosa licet alicui longius & latius aut quantumlibet castigatius euagare. Metricum denominatur a metron græce, quod est in latino mensura, quæ sub certa pedum & syllabarum mensura consistit. Rithmicum dicitur a rima vel rithimoron, quod est diffinitio vel distinctio, quia sub certa computatione sillabarum cum finali consonantia distinguitur, sicut & diffinitur. Quod si ex his fiat commixtio ex tali commixtione denominationem assumit, vt dicatur prosimetricon siue mixtum. Vnde dictamen Boetii veteres prosimetricon appellarunt. Sed quid de duobus vltimis nunc ad præsens? Ad epistolare dictamen, Dei inuocato auxilio, iter nostrum principaliter dirigamus, quid sit epistola, primordialiter attendentes.

Hic describitur, quid sit epistola, & vnde denominetur, siue dicatur.

Est ergo epistola literalis legatio diuersarum partium, capax principium cum effectu salutis. Denominata est autem epistola ab ἐπι, quod est super, & stolon, quod est missio. Inde epistola vel supramissio, quæ supra intentionem mittentis gerere videtur misterium nunciantis, vel elegantius & explicatius, in ea mentis explicatur effectus, quemadmodum faceret aliquotiens ipse nuntians, vel delegans.

Hic distinguit 5. partes epistolæ, quæ sint, & vnde dicantur.

Partes autem epistolæ sunt quinque, a veteribus diffinite, scilicet salutatio, exordium, siue beneuolentiæ captatio, narratio, petitio, & conclusio. Vnde, quia a salutatione sumit principium, primordialiter de ea est videndum.

Item de salutacione & plenius.

Dicta est enim salutatio quasi salutis adoptio. Illum

enim eſt ſalutamus, quem pure diligimus, ſanumq desideramus viuere at iocundum. Non enim salut mus inimicos, nec excommunicatos, ſet mittentium n mina deſcribuntur, aut apponuntur nomina ſimpli ter. Talis deſcriptio pro titulo reputatur, quia ſcribe cum ſcribit, liquido expeditur. Si autem cum adiunć deſcribitur, illud quod adicitur vbi ſalutatio poneret indignationis aut ſuaſionis aliquem locum obtinet p tius, quam ſalutis. Et eſt notandum, quod ſalutat largo etiam accipitur, ſive dicamus ſalutem, ſiue capt mus benevolentiam, quia vice ſalutationis accipitu quodcunque bonum alicui affectatur, vel deuotioni cauſa humiliter exhibetur. Non enim magnos Domi nos ſalutamus, ſed humiliantes capita noſtra eis reu rentiam cum devotione offerimus, & fide mentis deſ derium explicamus. Salutare autem, ſicut & bened cere, de autoritate maiorum eſt, non de præſumtion minorum. Pares autem noſtros vel parum maior absque iniurie diſcrimine ſalutamus.

Quod in ſalutatione nulla dictio in prima vel ſe cunda perſona, ſed in tertia denominetur, & aſſignat cauſam.

Salutatio ſiue mentis intentio cum deſcribitur, nu la dictio prime vel ſecunde perſone debet in ſalutatio ne notari. Quod ideo contingit in epiſtola, quia epiſto la loquitur inter abſentes, &, cum nos preſentialiter lo quimur, non in ſalutatione, ſed in captatione beneuolen tiæ exordimur. Et inde eſt, quod quidam ſalutationem ipſam pro titulo reputarunt, & partem eſſe prorſus epi ſtolæ negauerunt. Scribitur quoque ſalutatio per da tiuum, & tunc intelliguntur iſta verba: mittit, mandat legat & delegat. Cum autem ſcribitur per accuſatiuum intelliguntur iſta verba: optat, cupit, deſiderat & affe ctat. Ex alterutra tamen parte intelliguntur illa in differenter. Sed quod ſalutatio per accuſatiuum in vſu

ho-

hodie celebri non habetur, ſed emergit queſtio, quare verba mittentis affectum ſignificantia celentur, cum ſcriptum ſit: Lucius Catellina quarto - - mittit ſalutem. Et Ouidius:

Hanc tua Penolope lento tibi mittit Ulixes.

Ad quod plane reſpondemus: antiquos ſuo more feciſſe, ſed moderni, quanto iuniores, tanto ſubtilius intuentes indempnitatem, quæ mater ſacietatis & ſocietatis eſt, limpidius contemplantur. Itaque explicato iam per omnia mentis affectu, ibi verba affectum ſignificantia tanquam ſuperuacua ponerentur, vel poſſimus dicere, quod pre nimio mentis affectu clarius debeant apparere, vtpote quum mens plus concipit, quam linguæ poſſit officium explicare. Sicut & in matre contingit, quæ cum deſideratum iam diu recipere meruit, occurrens in amplexum filii, latosque ſinus aperiens, & oſcula materna defigens, cum non poſſit in vocem ſalutis, in lacrimas cogitur erumpere pietatis. Ad vniuerſitatem tamen omnium ſalutationum, quæ poſſunt fieri a modernis, ſunt notule introducte. Gratia poſt titulum, ordo, cleri manſuetudo. Sic virtus, linea, conditio, patria, cognitio, laus, locus, & dignitas ſic laicis, & contineantur. Primi duo verſiculi ſunt ex parte mittentis, quum ſalutem ponere nomen ſuum ille qui mittit. Primus verſiculus eſt in clero, reliqui extra clerum. Videlicet quod prælatus ſcribens prepoſito ſuo debet ponere: Dei gratia, poſt titulum ſuum 1. nomen eccleſie ad quam noſcitur titulatus. Ordo, ſi ſit archiepiſc. vel epiſc. vel Abbas cleri manſuetudo, quia debet dicere, licet indignus, quamvis immeritus, non ſuffragantibus meritis. Iſte quoque verſiculus ſolet - - ſuo loco laicis potentioribus adaptari. Praepoſito loco eccleſie laicalis nomine dignitatis, tamen immeritos ſe appellant. Et eſt notandum, quod magnus ſemper poteſt dicere de ſe: Dei gratia, ni ſcribat ſummo pontifici vel regi, & tunc debet hoc humilitatis cauſa tacere. Nam ſummus pon-

pontifex nunquam ponit in ſuis litteris: Dei gratia. Sed quia imitator eſt humilis Chriſti, dicit: Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei &c.

Quando dicendum: Dei gratia.

Et eſt notandum, quod mediocres perſone vel minores non debent de ſe dicere: Dei gratia, quia hoc verbum quodammodo arrogantiam vel dignitatem magnam, vel magnificentiam importare videtur.

Qualiter ſcribetur in clero: Dei gratia.

Electus autem aliquis in epiſcopum vel magnum abbatem poteſt de ſe dicere: Dei gratia. Electus autem in romanum pontificem, non dicit: Dei gratia propter prepoſitam rationem, vnde dicit: Gregorius in pontificem Romanum electus, ſeruus ſeruorum Dei. Reliqui vero duo verſiculi ſunt ex parte recipientis & ita intelliguntur laus &c. vel nomina laudem ſignificantia debent recipienti aſcribi, vt in dignitate conſtituto dicatur: Sanctiſſimo in Chriſto patri, vel venerando, vel metuendo, vel colendo, vel reuerendo, & hoc in clericis. Et eſt notandum, quod extra clerum dicatur: Egregio viro, victorioſiſſimo principi, & magnifico Domino Regi illuſtri Duci &c. Reliquis autem: prudenti, ſapienti, literato, diſerto, nobili & hiis ſimilia. Et ſecundum genera ſingulorum locus & dignitas ſeruari debet, laicis & clericis dicendo: Talis loci epiſcopo vel præſidi, & honorantur clerici cum dicitur eis: Digniſſimo & bene merito; & laici timeantur, cum dicitur eis: potentiſſimo & ab hoſtibus metuendo. Et eſt notandum, quod ſiue maior ſcribat minori, ſiue maiori minor, ſemper maior pars prefertur; ſi vero par pari, recipiens pars prefertur, ſi autem mediocris pars ſcribat paulo minori, ſcribentis arbitrio relinquatur.

Qualiter ſcribit ſummus pontifex imperatori, & regibus & omnibus aliis.

Ad maiorem tamen euidentiam exempla ſalutationum

num in omni quaſi genere ſtatuamus apponi, & primo ſalutationem ſummi pontificis, qualiter ipſe ſcribat: Gregorius epiſc. ſeruus ſeruorum Dei dilectiſſimo in Chriſto filio G. Rom. imperatori, illuſtri, & ſemper auguſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem. In eundem modum imperatrici, quia ſolus imperator Auguſtus dicitur, & ſola imperatrix Auguſta. Reges autem & maiores principes illuſtres appellat & dicit: Dilecto in Chriſto filio, minoribus vero principibus dilectis filiis tantum, vniuerſis tamen & indifferenter dicit ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quæ eius ſalutatio, niſi paganis & excommunicatis, quibus cum ſcribit, aut omnino tacet, aut, cum deberet dicere ſalutem & apoſtolicam benedictionem, dicit redire ad cor, & viam agnoſcere veritatis, vel ſpiritum conſilii ſanioris & hiis ſimilia. Tales enim dilectionis & filiationis nomine cenſet indignos. In clero autem, ſi ſit epiſcopus vel ſupra, dicit: venerabili fratri, ſi vero fuerit abbas, vel presbyter card. ſcribit ei: Dilecto in Chriſto filio: aliis vero clericis & laicis dicit: dilectis filiis tantum.

Et notandum, quod ſiue ſummus pontifex ſcribat, ſiue ſcribatur ei, ſemper nomen ſuum prefertur. Similiter nomen imperatoris omni homini præterquam rom. pontif. noſcitur præferendum. Alii autem præſides & prælati ſcribentes ſuis ſubditis nomina ſua preferunt, ni forte ſit metropolitanus aliquis, qui preponit ſibi nomen ſuffraganei ſui, cauſſa humilitatis, & dicit ſalutem & ſinceram in Domino caritatem, ſi talis ſit, cui hæc dici poſſint; vel ſalutem & benedictionem, vel ſalutem & ſincerum amorem, vel de bono in melius feliciter proſperari, vel felicibus in Domino ſucceſſibus habundare.

Summo pontifici ita ſcribitur extra clerum: Sanctiſſimo in Chriſto patri ac Domino. G. Dei gratia ſacroſancte Rom. ac vniuerſalis eccleſie ſummo pontifici F. eadem gratia Romanorum imperator ſemper Auguſtus,

ſa-

ſalutem cum omnimoda reuerentia ſubiectiua. A
autem omnibus dicit imperator; gratiam ſuam &
nam voluntatem. Reges quoque alii ſcribunt ſum
pontifici in eundem modum. Aliis, vt dictum eſt,
ſue arbitrio voluntatis.

A clero ſcribitur ſummo pontifici pro voluntate m
tentis, vtpote: Sanctiſſimo in Chriſto patri & domi
vel reuerendo, vel colendo, vel metuendo patri, be
factori, & domino. Vel aliter: Domino ſancto, me
tisque bono G. Dei gratia ſacroſancte &c. debitam cu
deuotione reuerentiam, vel reuerentiam cum orati
num inſtantia; vel tam prompte quam debite reu
rentie famulitium; & quidam adiiciunt, Petri nauic
lam feliciter gubernare. In eundem quoque modu
ſcribitur epiſcopis cardinalibus ſuo loco. Sed no
quod ſi fuerit presbyter cardinalis, dicimus ita: ven
rabili in Chriſto patri Domino titul. ſancte presbyte
card. ſi vero fuerit diaconus cardinalis, dicimus: ſa
cti Adriani diacono card. Non enim dicimus: titu
quia card. diaconi non habent eccleſias baptiſmal
Et Titulus nihil aliud ſonat quam eccleſia baptismal
In parte iſta dicitur titulus Calixti, vel titulus paſto
ab ipſo ſcilicet fundatore. Vnica tantum eſt eccleſ
in vrbe, quæ licet ſit baptismalis, non dicitur titulu
ſed dicitur anthonomaſice Baſilice duodecim apoſt
lor. presbyter cardinalis. Iſtis autem minores, grat
reverentie, ſalutem dicere non preſumant, ſed deu
tionem cum reuerentia, vel obedientiam & reuere
tiam cum ſalute, vel tam promptam in omnibus reu
rentiam quam deuotam. Prelatorum autem eſt dic
re inter ſe ſalutem in eo, qui eſt ſalutis autor; vel ſal
tem & ſinceram in domino caritatem. Monialibus qu
que dicimus ſalutem & proſperitatem in eo, cui ange
ſeruiunt, & cuius pulcritudinem ſol & luna mirantu
Abbatibus quoque monachorum & Heremitis dicim
ſalutem & reuerentiam, vel in oratione conſtantiam

v

vel de curſu brauium, vel de labore denarium, & gaudium conſequi ſempiternum, vel ad fructum centeſimum peruenire, vel Deum facie ad faciem contemplari, vel ſalutem, & illam, quam mundus dare non poteſt, pacem.

Imperatori ſcribitur in hunc modum: Victorioſiſſimo & glorioſiſſimo Domino F. Dei gratia Romanorum &c. de inimicis triumphum, vel parcere proſtratis, & debellare ſuperbos, & ſpiritu conſilii & timoris Domini habundare, vel robore accingi fortitudinis & virtutis, vel ſalutem, per quam reges regnant, & potentes tenent terram. Hec quoque ſalutationes poſſunt regibus adaptari, niſi quod reges auguſti minime nuncupantur.

Pater filio dicit ſalutem cum benedictione paterna, vel de bono in melius feliciter proſperari, vel benedictionem, quam Iſaac Iacob. Filius dicit patri ſalutem & reverentiam filialem.

Magiſtris & aliis literatis ſcribitur in hunc modum: Septiformi ſtudiorum lampade renitenti, vel literarum ſcientia redimito, vel floribus eloquentie purpurato, vel eximie prudentie, vel exquiſite peritie viro canonici & civilis iuris perito; vel ſpectabilis eloquentie, ac morum prærogativa conſpicuo, & honeſtatis gratia rutilanti, & ſimilia. Ita tamen vt ſingula que locum teneant ſortita decenter, vel ea docere in terris, quæ placeant in excelſis. vel ſalutem & haurire aquam in gaudio de fontibus ſcientie & Saluatoris.

Milites autem & amici comiter ſalutentur. Eis autem dicimus: Nobili viro, & ſtrenuo militi, cingulo milicie decorato ſalutem, & robore accingi fortitudinis & virtutis. vel ſalutem, & feliciter gubernare cingulum glorie militaris, cui laudes plurimas in bellis militaris gloria acquiſiuit.

Amicis dicimus: Intimo & precordiali, vel dilecto & ſpeciali, vel bene merito, & vere caritatis viſceribus am-

amplexato, & fortius amplexando, & ſimilia, ſalutem & proſperos ad vota ſucceſſus; vel ſalutem & proſperitatem, ac vite longitudinem ac dierum, vel votiuis in domino ſucceſſibus habundare. vel conſcia perfrui ſoſpitate. Inimicis & excommunicatis, ſublato ſalutationis oraculo ſic dicimus: ſic tranſire per bona temporalia, vt non amittamus eterna; vel redire ad cor, & viam agnoſcere veritatis.

Exordium, ſiue beneuolencie captatio, eſt digna verborum eloquentia, quoad intentionem alliciens animos auditorum, & dignitatem, ſeu qualitatem perſonarum tam in clero, quam extra clerum, ſollicite obſeruans, ac diligenter attendens. Digna verborum eloquentia ideo dicitur, quia cum aliquid ſuadere aut diſſuadere intendimus, cum beniuolentia que humilitatem importat non ſine quodam adulationis applauſu rationem in ducendo quæ fuerat (partem noſtram) reddere debemus nobis animos auditorum beniuolos & attentos, dignitatem perſonarum, & qualitatem circa exordium ducimus attendenda, quia ſi ſit digna perſona 1. in dignitatis ſolio conſtituta, ſiue perſona mittentis ſiue recipientis loquatur, dicendorum tamen ſublimitas ſeruetur mediocriter inter eos, & omnino eſt ordo ſiue qualitas attendenda. Etenim aliter diſcolis, aliter loquendum eſt multimoda locutione ſauciatis, aliter elatis animis & aliter aures habentibus delicatas, aliter autem placidis mentibus eſt loquendum.

Et eſt notandum, quod ſit aliter dicere ore ad nos. Ita nulla ratione dubites exordiri ac quamcunque in mentis armario concepiſti, narrationem exordio ſine medio contemplando & contingit res geſtas vel ea que geri poſſe videbantur, cum diligentia exponamus. Et quidem expoſitio dicitur eſſe breuis, probabilis & apta, vt ſi de Troiana ruina loqui velimus, non a bono negotio inicium capiamus, ſed a raptu Helene, qui procul dubio extitit cauſſa deſtructionis. Apta & breuis,

ſi

si ordinem rerum gestarum seruemus; probabilis, si tempus & locum ostendimus; apta, si cuncta ad rem facientia semper veridice vel saltem verisimiliter explicemus.

Petitio est narratio rei geste, per quam aliquid postulamus, quod sit iustum, vtile & iucundum. Vnde Cato: quod iustum est petito, vel quod videatur honestum, erit iustum & vtile. Iucundum autem erit, si evidens necessitas intercedat. Vnde hic notandum est breuiter, quod petitio est libellus principii, de morte porrectus ex sola narratione & petitione consistit, vel ex sola petitione duntaxat.

Conclusio est oratio, per quam epistola limitatur, clauditur & finitur, ostendendo, quid commodi vel incommodi ex re premissa sequatur. Et tamen semper hiis omnibus epistole precium nobis eluceat in exemplis. Exempli caussam in hac sequenti epistola colligamus, quæ a principibus orbis terræ ad summum pontificem scribitur in hunc modum.

Domino sancto meritisque bono I. Dei gratia sacrosancte Romane & vniuersalis ecclesie summo pontifici Ph. eadem gratia Francie & Anglie reges, ecclesiarum prelati ac duces omnes principes de principibus occidentis salutem & omnimodam reverentiam in Christo Iesu & Petro.

Exordium.

Celestis altitudo consilii sue volens ecclesie consulere firmitati, duarum eam censuit columnarum sustentamine fulciendam, sacerdotio videlicet atque regno, quorum alterius gubernando sacerdotalem, alterius vero imperialem dignitatem censuit preferendam. Et ad hoc duas elegit & constituit in mundi regimine, partes, vt quod vna non potest verbo, compleat altera ferro, & quod vna non potest per spirituale gladium, altera non differat per materiale exercere. Ne forte emergente tempestate interius que talium debet dex-

tra tranquillari, concutiatur & comminuatur mach
mundialis.

Narratio.

Quantis igitur anguſtiis & preſſuris, quantis
die Chriſtianitas procellarum ſpiritibus & turbin
fluctibus agitetur, apoſtolicam non credimus lat
ſanctitatem, cum extrinſecus hoſtilitates impugne
& intrinſecus bella ſurgant crebrius inteſtina, qu
ex Oriente contra terram ſanctam, & ex Occide
contra Chriſti caractere inſignitos chriſtiani nomi
ſeuiunt inimici, & quod formidoloſius eſt, ſeditio
& guerras inter ſe facere non deſinunt chriſtiani.

Petitio.

Eapropter beatitudinem veſtram ſupplicum prec
inſtantia multipliciter in Domino flagitamus, quatin
ad chriſtianitatis ſtatum apoſtolice conſideratio
aciem propenſius extendentes, vni duorum iſtoru
Philippo vel Ottoni, qui de imperii dignitate conte
dunt, vel cuilibet alii digno clementer annuere, &
vorem velitis apoſtolicum impertiri.

Concluſio.

Ita quod de cetero in tanti diſcriminis periculum
iacturam non conprimatur malitia Ieſus Chriſtus,
miſericordia ſaluatoris & circumſpectionis veſtre p
uidentia faciente, nec non interueniente principe ch
ſtiano, cuiuslibet obſcuritatis nubila propulſentur,
aduerſarii cominus arceantur, chriſtianique nomi
profeſſores ſancti decoris gloriam & optate ſerenita
ſibi perueniſſe congaudeant claritatem.

Nunc vero quibus modis ex ſuis partibus conſta
contingat epiſtolam videamus. Conſtat autem p
ſalutationem epiſtola interdum ex quatuor partibus, i
terdum ex III. interdum ex II. interdum ex vna tantu
Ex quatuor conſtabit l. exordio, narratione, petitione
concluſione hoc modo. Sopiendarum litium iura ten
ſedis apoſtolice moderamen. S

Sane ſuggeſtum eſt apoſtolatui noſtro, quod inter venerabiles fratres ferrarienſes & G. Bononenſes epiſcopos ſuper limitibus vtriusque dioceſ. inueterate controuerſie materia reuiuiſcit. Ideoque diſcretioni veſtre mandamus, quatinus partibus conuocatis ſuper controuerſia ipſa omni appellatione & occaſione ceſſantibus noſtra freti auctoritate finem debitum imponatis. Ita quod nulla de cetero hinc inde remaneat materia malignandi.

Ex tribus autem partibus conſtat epiſtola ſupradictis. Sc. exordium ſiue concluſio ſubtrahatur. Ex duabus vero conſtabit ſc. exordio & concluſione; vel ex narratione ſolum & petitione conſtabit. Ex vna tantum conſtabit ſc. ex ſola narratione duntaxat hoc exemplo. Noveritis dominum (a) h. eſſe per Dei gratiam ad apicem ſummi pontificatus aſſumptum, & dominum O. ad imperialium culmina faſcium tam repentinis quam felicibus ſucceſſibus euolaſſe. / Similiter dicimus, quod ex ſola poſſet petitione conſiſtere. Ex ſalutatione vero, exordio & concluſione tantum, vel ex duabus ex hiis epiſtolaris compago ſubſiſtere non valebit. Sine ſalutatione quoque fieri contingit epiſtolam, veluti gratia facienda prout ponit ſaluſtius ita dicens: Quod ſane ex eo, quod ad te miſi, cognoſcere potes. Sed Romana curia pretaxat interdum IIII. partes epiſtole, quas alioquin ſub duobus, alioquin ſub vno & ſingulari concludit. Quid IIII. tribus, duobus & ex vno ſingulari tantum concludat verſiculo videamus. Sub IV. autem diſtinguit verſiculis ut ſupra dictum eſt in epiſtola ſecunda. In tribus plene concludit, ſcil. dum exordio narrationem & petitionem annectit per cauſationis ſignum,

(a) Forte legendum I. aut L. & intelligendus eſt Innocentius III, ante electionem Lotharius dictus, vtpote in cuius tempora Ottonis IV. regimen incidit.

gnum, quod eſt quum & quia. Sub quo verſiculo concipit in hunc modum: Quia ſopiendarum litium iura tenet ſedis apoſtolicæ moderamen, ſuggeſtum eſt apoſtolatui noſtro &c. vsque in finem. Interdum etiam duobus verſiculis concludit, ſcil. exordio & narratione ſigillatim & diſtincte conceptis, petitioni concluſionem annectens. Tertio concludit verſiculo ſcil. per hoc ad verbum, vt in exemplis dicitur ſecundis. In duobus quoque verſiculis comprehenduntur ſupra cauſationis ſignum exordio & narratione in vnum collectis. ſed concluſio narrationi per hoc adverbium: *ita taliter* annectatur vt puta, ſi dicatur hoc modo: finem debitum taliter imponatis, vt nulla de cetero remaneat malitia malignandi. Alio etiam modo ſub tribus verſiculis epiſtola concludi poteſt, ſcil. ſi exordium, narratio & petitio per conditionale ſignum, quod eſt hæc conditio *ſi*, vel cum ſub vno verſiculo colligantur hoc modo: Cum ſopiendarum litium iura teneat &c. vsque moderamen. Suggeſtum eſt apoſtolatui noſtro &c. vsque recrudeſcit. diſcretioni veſtræ &c. In vno demum verſiculo poteſt epiſtola comprehendi, ſi collectis omnibus per hoc conditionale ſignum, vt diximus, concluſio petitioni, vt predictum eſt, per predictum aduerbium: taliter vel aliquod ſimile annectatur. Non eſt ſilentio tranſeundum, quod roman. cur. gratia talis compendii faciendi ponit perſepe ipſum exordium, aut ipſam narrationem, vel cauſe redditionem, cum ſigno conditionali, vel cauſatiuo, poſt hanc coniunctionem: *quod*, in narratione poſitam, vel poſt coniunctionem: *quatinus* in petitione locatam, verbi gratia vt in narratione hoc modo: Miramur, *quod* cum ſitis cultores fidei, concordie, diſcordiam conſonetis. In petitione vero hoc modo: *quatinus* cum militetis in ordine, nec ordinem obſeruetis, diuine poteſtis & merito vltionis iudicium formidare.

Romana curia non patitur coniecturas, que verbis ex-

exponi minime patiuntur, quia multa poſſunt in mente concipi, que narrationibus explicari non valent eo quod nec omnium, que ſcripta ſunt, ratio reddi poteſt.

De concluſione epiſtolarum ſatis plenarie videmur ſuperius oſtendiſſe. Verum, quod non ſufficit vas ex auro conſiſtere, niſi celature ſit artificio decoratum, immo ſemper id eſt optimum, quod noſcitur ad decorem ſciendum, occurrit, quod in quolibet dictamine tres diſtinctiones conſiderantur exiſtere, quarum prima: *Coma*, ſecunda *Colon*, tertia *periodus* appellatur. Coma eſt punctum cum virgula ſuperius ducta, ſcil. quum adhuc ſenſus ſuſpenſus remanet auditori. Colon eſt punctum planum, cum animus auditoris neceſſe non habet aliud expectare, & tamen aliquid addi poteſt. Periodus eſt punctum cum virgula inferius ducta, quum animus auditoris amplius non expectat, nec amplius querit diſcere intentionem proponentis, vt in hoc exemplo: Iuris gentium eſt, vt ſit nobis erga Deum religio, & vt parentibus ac patrie pareamus. Et quod dico: iuris gentium, hoc eſt coma, l. punctum planum cum virgula ſuperius ducta, quod ad hoc ſuſpenſus remanet animus auditoris. Cum autem ſubiungo: vt ſit nobis erga Deum religio, hic eſt colon, i. e. punctum ſine virgula ſuperius ducta vel inferius, licet amplius addi poſſit. Cum autem adiicio: vt parentibus & patrie pareamus, ibi eſt periodus perfecta, i. e. punctum cum virgula inferius flexa, eo quod audiens amplius non expectat, & proponens vberius adiicere non intendit. Et eſt notandum, quod non refert, vtrum vnum membrum, vel plura membra periodum faciant, ſicut plura membra faciunt unum corpus.

Eccleſia Domini filios deſiderat eruditos, & ideo clericus ignorantie tenebris obfuſcatus tamquam Lampas mortua comprobatur.

Et ideo non indigne cenſui perlibanda, quum in libro, quem appellamus allegoriam Boetii iunioris de

veſte philoſophie ac dilaceratione ipſius, eſt probab
liter diſceptatum, & ſufficienter enucleatum. Qu
ars artium & ſcientia ſcientiarum, ac philoſophie v
ſtis ornatus dicitur & corona, hoc multiformi calcu
rationis tanta meruit prerogatiua gaudere, que
ad præſens plenius eluceſcat, aliquid inde cenſuim
prelibandum. Ars artium & ſcientia ſcientiarum
philoſophie veſtis ideo cenſetur tanquam lux dictat
rie preuia facultatis, quod ſine ipſa artes & ſcienti
vel rerum geſtarum memoriam non poſſe diu ſubſiſt
re, vel ad ſucceſſiuam, digne transmitti poſteritatem
nemo dubitet ſapientum.

Miranda tuis ſenſibus noſtra venit epiſtola vt ſcripſ
ſti, ſed mirabilior tua noſtris. Sane ſi noſtre pagin
verba iuſto libraſſes examine, ſi literam ad riuale
ſenſum poſtpoſito coniuge interpretis non ſuſpecti, i
dico inueniſſes in illis vnde ſpirituali patri tenere
& matri. Tue quidem tenor epiſtole continebat, quo
præter omnium opinionem, & conſilia principum,
tuis verbis vtamur, te inuenimus ad beneplacita noſt
paratum, ita, vt nullus prædeceſſorum tuorum vl
retro actis temporibus recolatur adeo eccleſiæ fuiſ
deuotus. Sed de principibus aliis non aliter ex hi
verbis informabimus animum quam probabilis credi
litas habeat facti experimento probata. De quibu
apoſtolice ſedis conſtantia, recte opinionis iudicium
ſiniſtre ſuggeſtionis inſtantia non mutabit cum fact
preferenda ſint dictis, & certa preiudicent poſitiui
Ecce de archiuo eccleſie publica monimenta prodeun
que ſingulorum, pene omnium principum munita ſ
gillis, opinionem repudiunt, quam forte videris ing
rere contra illos, eo quod veriſimilitudo non recipi
tales viros ac tantos excellentie tue dediſſe conſilium
contrarium ſcripto, tui, & ipſorum ſignato ſigillis. D
predeceſſoribus autem tuis ſi aliquid certius maioru
dediſſet expreſſio, mentiremur in illis, quod in te ſp
ra

rare possemus, quoniam si ad proximos sanguinis scribentis referatur intentio, modicum deuotionis sufficiet, vt eos comparatione precedas, si tamen comparatio gradum inueniat, vbi vix peruenit positiuus. Quod si ad illos predecessores intellectum patiaris extendi, qui fide preclari, caritate feruentes, deuotione sincera sibi & subditis proficientes verbo pariter & exemplo, ecclesiam multis libertatum priuilegiis muniuerunt, multarumque largitionum liberalitate dotarunt; Illis, si placet, in hiis se magnificentia tua non preferat, sed consideret potius, si affluentia talium metas attingas; Discutiat quæso viri prudentis ingenium, si merito tibi titulum deuocionis assumis, dum beneficia matris ecclesie reuocare conaris in dubium, tanquam si possent vnius inficiatione celari, que multorum notio publicat, & singularis assertio reddit ambigua, & que vniuersalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consueuit (*afferre*) auferre; sed illa maioris doloris habet aculeos, qua in bono malum presumitur, & odium in dilectionem notatur circa tutelam quoque tui, clare memorie imperatricem Constantiam, reginam Sicilie, apostolice sedi relictam, a beneficiorum excipis, quod tutele sit debito satisfactum eo quod fas indicebat, vt fieret, & nefas, si deficeret, notaretur. Verum, cum nullus necessitatis articulus tunc vrgeret ecclesiam, vt in te, qui eras omni etatis suffragio destitutus, onus non leue susciperet, tutele susceptio, que a gratia sumpsit exordium, habere te debuit de prosecutionis debito non ingratum. Saltem vt notam non solum suspecte, sed & fraudulente administrationis conaris impingere, dicens, quod ecclesia nomine defensorum hostes immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent, & pupillo surriperent regnum pariter & coronam. Habebat preterea diffamationis adiectio, quod quem tutrix ecclesia debuit promouere, deiecit erigens in sede

paterna hominem alienum, qui non contentus imper
ad regnum nihilominus aſpirauit. Et quidem non
habuit hactenus tua confeſſio, non id continebat vſq
nunc tuarum ſeries literarum, quibus poſt Deum totu
aſcribebas matris eccleſie ſtudio, totum attribueb
eiusdem tutricis laboribus, quidquid eras, & etiam qu
viuebas. Vnde igitur tam nouella proceſſit opini
vnde preſumtio tam adverſa & tam repentina prorup
Si enim tuarum frequens miſſio litterarum, comite
conſcientiam mittentis habebat, cum nulla ſubſecu
ſit cauſſa noue conſcientie, neque ſcientia noue cau
cur calumpnioſe impingitur, quod euidentia facti no
patitur? cur ſub quodam inuolucro dupplicitatis infe
tur, quod rei ſimplicitas non admittit? quod ſi ſcrip
premiſſa deſtituta erant credulitate mittentis, tua circu
ſpectio colligat, que de iſtis illatio ſubſequatur. Sunt
iſta ſubſidia, que promittebas eccleſie, ſi neceſſitas im
mineret? Eſt hic retributionis affectus, quem offereba
ſi grauamen occurreret? non id mater expectauit a
lio, non id tutrix debuit expectare a pupillo. Ita Deu
que in tali relinquuntur, relinquie, ſi mater tam di
gens deſperare cogatur. Ita Deus, que de tali pupil
fragmenta fauoris ceteri colligent, ſi tutrix tam vtil
iaculis detractionis impetitur. Ita Deus, quot & quan
tos labores amiſit eccleſia, ſi palmes, quem multo ſ
dore plantavit, & coluit, in amaritudinem vitis conue
titur aliene, cum ſit minoris diſpendii, fructus null
producere, quam nociuos. O quam vberes lacrima
quam amaras felicis recordationis Innocentius pap
prodeceſſor noſter multoties pro te fudit! O quant
ſollicitudine laborauit, vt te a nocentium eriperet ma
nibus, & inſidiantium laqueis liberaret, & quaſi d
mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retribution
eidem excellentia imperialis retribuit? ecce quid reg
lis magnificentia recompenſat, dum pupilli vite inſ
diator dicitur, & bonorum tacitus ſpoliator. Recogit
re

recogita, fili kariſſime, & intra clauſtra tui pectoris frequenti meditatione reuolue, quam paruum, quam depreſſum te ille ſummus pontifex poſt obitum matris accepit, quam grandem quamque promotum in ſua morte reliquit. Porro, vt credimus, tenelle infantie nondum finem attigeras, cum impius ille Marcualdus, tui nominis detractor perfidus, auidus quoque tuorum inuaſor, regni Sicilie metas aggreſſus, & vtrasque manus invaſionis extendens, montem Caſſinum obſedit, & inſultibus multis impetiit, exercens ſui robur exercitus ad ſperatum exterminium captionis. Sed in hoc eccleſie ſollicitudo non defuit, que (a) per duos cardinales, cum multis militibus, & expenſis non modicis, efficacem manum auxilii porrexit obſeſſis, vires inuaſoris debilitans, & conatus inuaſoris elidens. Cumque obſidionis exitus inſultantis non reſponderet affectui, prorogata ſepe defenſione ad alios, reſiſtendi vigorem ſepe reciperent conuicini, ſe iniquus ille in Siciliam transtulit, vt ſi de perſona regis deſiderii ſui finem attingeret, ad regni faſtigium ſine difficultatis obſtaculo perueniret. Sed nec ibi protectionis ſolite dexteram tibi ſubtraxit eccleſia, mittens illuç bone memorie C. (b) tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem nobili viro, comite Iacobo, conſobrino predeceſſoris noſtri predicti, multis aſſociato militibus in tui nominis ſubſidium deſtinato. Alius etiam cardinalis tibi poſtmodum aſtitit, qui tuis vtilitatibus non remiſſus ibi diem clauſit extremum. Conſequenter alio ſubſtituto, vt ſollicitudinis debite plenitudo circa perſone tue cuſtodiam non deeſſet. Interea Tiopuldi malitia, longe lateque diffuſa, ſic ſe per Apulie partes extenderat ac terre laboris, tantumque receperat incrementum, quod

(a) v. Geſta Innocentii III. §. XXIII. p. 6. ſeqv. (b) C. Geſta eiusdem Innocentii §. XXIV. p. 8. & epiſt. Innocentii l. 1. n. 461. p. 270.

quod obtenta de nobili viro Petro quondam com. C
lani. victoria pro maiori fere parte homines regio
suo applicabat arbitrio, suoque domino abdicabat, (
dicebat) in aliquos, sicut poterant, resistentes, eo cru
lius debachando, quo minus de paucorum & humili
timebant repagulo, qui de maiorum & sublimium
ribus triumpharat. Cumque in partibus illis non h
beret ecclesia, quem erigeret contra, multosque su
ptus amiserit in hominibus regionis, que pro te fecit e
pensas multarum milium vnciarum, recepto ad op
tui a Gvaltero quondam comite Brenensi fidelitatis d
bite iuramento, ipsum misit in regnum, vt per eu
elati cornua confringeret inimici. Numquid huic co
missum fuit perdere puerum? Numquid fuit huic c
ditum spoliare pupillum? De throno Dei iudicium p
deat, & virtus altissimi rectum iudicium operetur,
aduersus ecclesiam tuam decuit excellentiam crede
talia; si debuit ex hiis incerta credulitas in partum p
dire huiusmodi vt verbis & scriptis exposita in publ
compareret. Sed forsan hoc divina providentia volu
vt habeatur inposterum cautela securior ex proui
Circa hominem siquidem alienum, quem in patris t
si tamen sedes dici debeat, que non successionis, s
electionis iure transfertur, erectum fuisse predixer
tua vtinam substitisset inveccio, eo quod veritas, neg
ta de publicis, minus reliquit fidei de occultis. Nullu
enim angulum latet imperii, quod imperatore Henri
defuncto, quidam Philippo duci Suauie, quidam O
toni, postmodum imperatori, diuisis voluntatibus a
heserunt. Et licet ille Philippus nomen tuum prim
pretenderit, ad se postmodum conuertit negotium,
illud succedentibus prosperis suis vtilitatibus applica
quod non de iure dubitabat imperii, sed ipse ad occ
pationem regni Sicilie prorogabat, Lupoldum quonda
Warmatiensem episcopum ad hoc mittens. In hiis e
iam tuo subsidio apostolice sedis prouidentia non de

cit, ſic illi per memoratum C. - Cardinalem, & nonnullos vaſallos eccleſie reſiſtens in Marchia, quod conatus contrivit adverſarii, & interdictus eſt aditus, & ad primos regni fines acceſſus. Philippo tandem ſublato de medio, Ottoni, quem omnium principum roborata ſenſibus preſentabat electio, nec expedivit, nec licuit dyadema imperii denegare, qui, procul dubio, vt ſcripſiſti, ſubito factus ingratus, tergum, non faciem vertit eccleſie, immemor perceptorum. Et quamuis eam multis prouocauit offenſis, diſſimulabat eas vtcunque, miſericordis eccleſie ſufferente patientia conſueta. Sed poſtquam ad tuam prorupit iniuriam, te quaſi pupillam oculi tantum contrarium facere non potuit multas vias excogitans, quibus pleno remedio poſſet ſubuenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus ad caſum! quapropter inuocauit eccleſia illius auxilium, qui ſuperbis reſiſtit, & dat humilibus gratiam, qui ventis & mari imperat, & ceſſat tempeſtas, qui deponit potentes de ſede, ac ponit humiles in ſublimi. Invocauit etiam principum corda fidelium, puſillos & magnos ſollicitans, vt ei ad tui releuationem collapſi manum porrigerent adiutricem. Obſtitit tandem divina potentia ingratis conatibus, faciens in te cum eccleſia ſignum in bonum, vt, elato cadente, tu ſurgeres, &, potente debilitato, tu poſſes. Arguit enim eum ſua malitia, ſua aduerſio increpauit, quoniam iuſto Dei iudicio propria perdidit, qui auare cupiuerat aliena, & tu, cui regni tui vix extrema remanſerant, illius omnino imperium obtineres. Hec itaque ſalutis remedia cum auxilio principum diuine prouidentie virtute preambula (*tibi*) prouidit mater eccleſia, talia beneficia puero contulit & adulto. Quid vltra tibi facere potuit & non fecit? de contingentibus nil omittens, & ea etiam, ad que non tenebatur, adiiciens, Miramur etiam, quod in hiis tuos labores commemoras, dicens, te dubii caſus facta ſecutum, qui vocatus ad certa, laboranti-

tibus aliis, in labores alterius introiſti, metens, que non ſeminaſti, & recolligens, que procul dubio non ſparſiſti. Denique in defuncto nunc fatigata perſonam noſtram tua non preteriuit inueccio minus diligenter conſiderans, quod nos, qui prodeceſſori noſtro quoad vtilitates tuas affectione plenaria ſuccedentes, ad tui conſumationem honoris patenter aſtitimus & potenter, noſtro in multis detraximus, vt tuo adiiceremus honori, facti quodammodo fame noſtre prodigi, tue parati. Sed pro iſtis, ac aliis, hac nobis retributione reſpondes, quod dicis, ius regni Sicilie in electionibus prelatorum, ſicut aſſeris, debitum ab antiquo, noſtris conſtitutionibus minorari. Verum, ſi ſcripta tua, & genetricis tue, manu ſollicita reuoluiſſes, ſi ſanctorum etiam patrum conſtitutiones aduerteres, non culpares eccleſiam circa defenſionem eccleſiaſtice libertatis; cum non debeat de iuſtitie perſecutione morderi, qui contendere nititur de abuſu. Aſſeris, nos inſuper preter formam communiter requiſitam, te in conſulto, quibuſdam regni eccleſiis profeciſſe perſonas vacantibus; ſed quæ ſit illa forma, neſcimus, que pro certo minus eſſet informis, per quam apoſtolice ſedis iudicium ex tue voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promouere ſuſpectos, dum tamen (*non*) vltra notam ſuſpicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum poſt Archiepiſcopum, quem apud te quaſi a ſummo gratie in profundo odii caſus repentina mutatio ſic deiecit, vt qui paulo ante quaſi cor vnum & anima vna cum principe cenſebatur, ſubito fur, ſubito proditor, ſubito dictus eſt obtrectator, non excludimus a reſponſo, mirantes quid expetis vltionis, quem per bonorum ſubtractionem ſuorum, & interdictum ſue ſedis acceſſum, contra fas & licitum tui perſecutoris arbitrii iam puniſti, pena preueniente iudicium, & executione non expectante libellum. Sed forſitan eſt, qui dicat, quod dum ſua placuiſſe dominis creduntur, & ipſe diſpli-

plicuisse videtur. Cathaniensem quoque episcopum non duximus obmittendum, cuius prodigalitate dicis totum regnum esse corrosum, si tamen in totum sua processit corrosio. Vnde tot tibi remanserunt corrodende hinc si merces laboribus, si fructus servitiis, si meritis premium responderet, illud pro certo deberet recipere, quod soluatur. Porro quoque quid nobis apud Ferentes, quid fratribus nostris apud sanctum Germanum magnificentia tua promiserit, non ignoras. Deinde Cephadulensi episcopo contra quem sanguinem occisorum asseris ad nos de terra clamare, nec vita nec spoliatio sub nube tegitur. vt de ipso potius post restitutionis debitum iusticie satisfiat; nec mouemur, si super hoc ad lacrimas & querelas tuorum fidelium, sicut asseris, movearis, dum nec in illum, qui suo domino stat aut cadit, processeris ad vindictam, primo ad castrum ecclesie manu occupationis extenta, quam querelam relacio iuxta perferret ad examen iudicis competentis. Quapropter non inferas, vt apud nos ille meruit. Vnde apud te demeruisse videtur. Sed tamen non ignoras, quod si pro iustitia spoliate stetit ecclesie, licet apud te demeruisse credatur, apud nos, qui sumus & esse tenemur iusticie zelatores, sibi meritum comparauit. Tandem concussis columpnis, ecclesie prelatis videlicet, inferioris gradus & ordinis clericos rigor tui grauaminis atterit, & quasi aliorum velis supplere defectum, prætendis negligentiam prelatorum, licet superioris sedis non desit auctoritas, que crimina, diligenti examinata iudicio, & iudiciali examine cognita, tanta censura percellit, quod pene distinctio culpe interdicit exemplum & vindicte seueritas esse poterit aliis limes offense. Quia vero Dei deesse cause non possumus, nec debemus, super omnibus istis & aliis contingentibus ecclesiasticam libertatem, sic diuina suffulti potentia debitam nostri prosequimur officii, qui Deo pro posse satisfacientes & homini, in hoc gerimus vtiliter negotium nostre salu-

tis

tis & tue, cum deferre homini contra Deum, prefer
in talibus, fit nocere, ac parcere fit feruire. Ma
enim mifericordium mulierum filios detexerunt (
duxerunt.) Sed habet vera dilectio plagas fuas,
dulciores fiunt, cum amarius inferuntur. Adie
preterea, quod poft reditum tuum in regnum Sic
reintegratis iuribus tuis, pro temporum varietate
fperfis, & exclufis rebellibus, dicis, ecclefiam co
matris officium fufpectos filios receptaffe. Et quid
de iurium reintegratione gaudemus, & vtinam rein
gratis fic debitis contenta fuiffet limitibus. quod iu
cia recuperationis in fuis alienis ad iniuriam non t
xiffet, quia preter id, quod in die nouiffimo diftri
iudicii ratione reddetur, confummari felicibus iuft
non confueuit euentibus, augmentis non aggregata
gittimis, quinimo grandis aceruus inficitur partis ad
ctione corrupte. Super exclufis & refponfo fuper
dere poffemus, nifi alicuius iudicio redderetur, re
dare iudicium, repetitam iuftificare querelam. Sed
videmus, quod hactenus refpondentis diffimula
diftulit, nunc extorqueret inftantia conquerentis.
memoria quoque tua excidiffe non credimus, quod
miti Thomafio, Raynaldo de Aduerfa (*Auerfa*) & fa
toribus eorundem, antequam caftra, que viribus ob
nere nequiueras, refignarent inter alia, que publ
funt, & autentica conuencione nota; Venit expreff
perfonarum fecuritas in promiffum, & vt id maio
firmitatis robur haberet, nos, & vniuerfos fratres n
ftros affectuofe rogafti per litteras fpeciales, in tef
monium conferuatas, vt Romana ecclefia fuper fe co
fidenter reciperet ac fecure, quod inuiolabiliter prom
fa predictis attenderes & plenarie conferuares. S
vtrum verbis facta refponderint, fidesque promif
plusquam deceat, fedis apoftolice & excellentie imp
rialis honorem, afflictionibus publicis & penis mani
ftis exponunt nonnulli de memorati comitis fautorib

qu

quorum multos, post speratam de securitate fiduciam, dedisti exilio, & quosdam ignominiosa morte dampnasti. Proinde possumus non immerito formidare, ne nostra patientia in predictis, vere patientie nomen amiserit & effectum. Quare non credas id obliuioni esse relictum, licet sit hactenus dissimulatione suspensum. Sed quid in similibus pro te inferiores promittere debeant, de speculo poterunt eminenti recipere speculum & exemplar, in quo, quantum auctoritati sedis apostolice sit detractum, que ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt, qui rem sciunt. De comite verò Matheo, quem apud te, in subtractione suorum, terre sancte seruitium, crucis & crucifixi reuerentia, non defendit; comiteque Regerio quondam capto, vt nossi, & postmodum liberato, vt scimus, & quibusdam aliis, qui ad vrbem, & loca confinia a persequentis facie confugerunt de cetero (*quiescat*) conquestio principis excellentis, ne siccam stipulam persequi, & contra folium, quod a vento rapitur, suam potentiam monstrare videatur. Hoc quippe ex Iulii Cesaris gestis non elicis, qui pene auidum, & venie contemptorem, vite seruauit inuitum, & Metellum, se gladiis offerentem, ira tanti principis reputauit indignum. Certe ciuitates erant Israelitico populo refugium, quas christianus populus non habebat. Dauid retusus erat & oppressus. & summus pontifex, Dauid magni vicarius, auertit faciem suam ab afflictis, & vtique, non, vt per illos aliqua molestia tibi inferatur & tuis, nisi velis id duntaxat ferre moleste, quod viuunt. Ad hec de egregio viro, socero tuo, si ad nostram peruenisset notitiam, quod de hiis, que tibi facere debuit, omisisset nostra eum non preteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum, & te illi potissime gratiosum. In quo mouet multorum corda miratio, quod, cum alii consueuerunt crescere ex affinitate maiorum, iste non sine multorum scandalo, non sine terre sancte dispendio,

dio, non ſine tui nominis leſione, decreuiſſe videtur. Et quidem hiis ſimilia magnificorum principum geſta non continent, ſublimium mores ignorant, & liberalium largitas non acceptat. Non ſic illius terre ſanĉte procuratur vtilitas, non ſic ad eius ſubſidium bellatores ſtrenui aduocantur. Super quo tibi onera grauia & importabilia nos aſſeris tuis humeris alligare, que digito noſtro mouere nollemus. Non attendis, quod iam pluribus annis elapſis, vltro te iſtis oneribus ſubiugaſti ſpontaneus in Theotonia, ſignum crucis aſſumens, nec attendens, quod in crucifixi gerendo negotio onus non leue tulit eccleſia, in eccleſiaſticorum decimatione prouentuum, non attendens, quod per fratres noſtros, & alios predicatores, multi potentes & nobiles, magni & parui, ſe crucis obſequio deuouerunt. Pro mercatoribus autem Romanis excellentie tue frequenter ſcripſiſſe meminimus, ſicut dicis: Sed, cum per hoc ius ſuum non aſſequantur, vt aſſerunt, non debet illis in ſua iuſtitia eccleſiaſtica cenſura deeſſe. De vaſallis quoque patrimonii, de quibus, prout placuit, ſcripſiſti, quid iuris imperii excellentie competat, tuorum & tui predeceſſoris priuilegiorum inſpeĉtio proteſtatur. Quod ſi preter debitum a nobis in illis, ac pro terre ſanĉte ſubſidio petiiſſes, ſicut decuerit, formata petitio ad exauditionis gratiam introiſſet. Provideas tamen, quod aduocatie vocabulum, frequenter tuis literis repetitum, tua, ſi placet, non pertrahat iuris ratio in abuſum. Enim cum aduocatus eccleſie idem intelligi debeat quod defenſor, ſi defenſoris omittis officium, nomen improprie retines aduocati. Quod ſatis in Arquata & caſtris aliis quorundam noſtrorum fidelium oſtendiſſe videris, que detines, contra iuſtitiam occupata, poſt illatam violentiam, poſt commodum poſſeſſionis adeptum, & faĉtus de petitore poſſeſſor. Offers conquerentibus de te, ius in tua curia redditurum. Super quo ſi qua iura noua ſunt condita, in publicum prodeant,

cum

cum idem non patiantur antiqua. Quia vero non est abbreuiata manus Domini adeo, quod non possit sublimitatem incuruare potentum, & altitudinem humiliare virorum, nunc, cum felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, in sereno humilitatem non deseras, quam in nubilo pretendebas. Speramus itaque, quod discreti viri memoriam nunquam sic ad obliuionis exanitionem deducet obliuio, vt omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in emulo, & culpam, quam dampnat in hoste, committat. Non ergo seducant te prospera, quem instruxisse debuerant adversa, cum seruis Pharonis pincerna notatus eo, quod succedentibus prosperis sui oblitus est interpretis, & lex nobilitatis id habeat, vt nobilium mentes excelsa non eleuent, & infima non demittant. Quapropter, fili karissime, a probatis apostolice sedis affectibus nullius suggestio te subducat, que, nisi obstaculum nimie indeuocionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet, & verba dulcedinis non abscondet, cum non sit verisimile, quod animi feruentis affectum ab illo de facili velit auertere, quem multo sudore fouit impuberem, multaque sollicitudine promouit adultum.

De Vercellensibus, vt recedant ab obsidione castrorum Vercellensis ecclesie, & cessent a molestiis eius.

Non Noemi vel pulcra, sed mara, vel amara potest dici ecclesia Vercellensis, eo, quod, sicut accepimus, amaritudine repleuit eam populus suus, quia quos spirituale dedit proprios, laicalis dedit iniuria alienos. Insurrexerunt etenim in matrem filii, a pastore oues oberrant, in vita prelati viuunt iniuriose subiecti. Desudent itaque oculi, & vberes resoluantur in lacrimas, ploret Vercellensis ecclesia mortuos suos non tam culpa, quam fama, quoniam alienati sunt ab vtero, errauerunt a ventre, non attendentes ad petram, de qua scissi sunt, & ad

cauernam, de qua precisi noscuntur, dum soliditatem pristine deuotionis non retinent, & affectionis antique principium non obseruant, sed matris honoribus onerosi sibi sunt oneri, ancillantes matrem, vt non vocentur filii libere, sed ancille. Ecce versa est, & vtinam non auersa, a statu pristino ciuitas Vercellensis, quia, que in patre suo I. e. episcopo celsior censebatur, depresso capite pressa iacet. Ecce de amaritudinis calice bibimus, quo dictam ecclesiam ciues illi nimis inciuiliter potauerant, dum ibi plus desolationis audimus, vbi plus solatii sperabamus. Credebamus siquidem, quod in aduentu nostro ecclesia illa quiesceret, sed lapse requies non est data. Prelatus non est. Domini pape cogitur adire presentiam, & non cessat molestia subditorum, sed adhuc manus eorum extenta castra ecclesie, que prima non sustulit rapina, instantia continue vexationis inpugnat. Sane si iustitia Dei attenditur, hoc pro certo non licuit; si decus romane consideratur ecclesie, istud non decuit, si vtilitas prouideatur prouincie, id non erat expediens, maxime hiis diebus. Et forsan est, qui credat, quod, qui hiis lesionibus pugnat ecclesiam, tali negotiatione negotiatur aliis: sed commodum negat & negligit. Numquid in talibus adherebit lingua palato, numquid silentio labia commutescent? numquid non exaltabitur vox quasi tuba, vt illi populo sua scelera nuntientur. Ne igitur taciturnitas nobis illorum offensam comitetur, mandamus, quatinus, visis literis mora sublata, particulariter accedentes ad locum potestati & populo Vercellensi precipiatis, de illatis iniuriis satisfacere, atque dampnis, & aliis cesset molestiis ecclesie Vercellensis matris sue, quia nec ad dominum papam, nec ad nos possent reuelata facie mittere nuntios, super exhibicione iusticie vel peticione concordie, super iniuria tam molesti. Quod si forte non quieuerit furor eius, nobis explicite rescribatis, vt acerbitas pene nobis rigorem exaggeret, monicione debita succedente censura, & ferro subsequente fomentum. De

De redargutione quorundam, pro nimia ſeuitia, quam in captiuos exercent, vt agant mitius cum eisdem.

Morditiua lenitiuis admiſcet interdum induſtria correctoris, vt, quod lac dulcedinis non emollit, virga exaſperationis inclinet. Sane dolor eſt nobis cordi & rubor ori, quod ſincere dilectionis immemores, qua vos apoſtolica ſedes amplectitur tanquam filios ſpeciales. ſic ei defertis in nobis, quod per eos afficimur iniuria grauiori, in quibus filialis deuocionis affectio promptior ſperabatur. Meminimus quidem, quod preces porreximus, & credebamus obtentum, vt circa captiuos, qui valde inhumane tractabantur a vobis, in veſte, cibis, locis, & laxacione compeditorum remiſſionem admitteret dextera ſevientis. quibus etſi poſt noſtrum a veſtra ciuitate diſceſſum vos pios eis ſuper hiis admodum prebueritis, nunc tamen, ſicut de fide dignorum relacione comperimus, facte a vobis circa eos tantillum gratie conuertiſtis per retractionis iniuriam in offenſam. profecto, ſicut audiuimus, turbato rationis iudicio, tanquam oues occiſionis captiuos deputaſtis eosdem, & duro vſi conſilio adeo aggrauaſtis in eos, vobis nacione genere, patriaque propinquos, ſeueritate tyrannica & ſeuera tyrannide manus veſtras, quod ipſi, quibus preſentie noſtre aduentus humilitatis promiſit in captiuitate remedium, & beneficium tandem debuit redemptionis afferre, teterrimo carceri ſunt detruſi, omni atrocitati expoſiti, alimentis parciſſimis rariſſime ſubſtentati, prorſus priuati communi beneficio luminis, & fere nudi vinculis compediti, quorum quidam, quos delicatior vita non patitur ſeuitie tante diutius ferre ſupplicium, vitam grauiorem morte reputant, concluſi tenebris cum merore, dum contra vite miſere tedium, coguntur miſerabile mortis ſuffragium inuocare, tedentes vite ſue. O inanis diſſolutio patrie, que ipſos, qui ſunt

caro de carne, & os de oſſibus Longobardorum, ſic altrinſecus disiungit iniuriis, vt compatriotas in affectionis compagine & communis patria non agnoſcat. Si ergo ad hoc aciem mentis dirigitis, ſi ſolita meditatione penſatis affectum, quem ad vos, & totam prouinciam ſemper habuit ſedes apoſtolica, mater veſtra, nequaquam monitis & mandatis noſtris difficultatis obiiceretis obſtaculum, preſertim in obſeruatione treugarum & in miſericordia captiuorum, in quorum cruciatibus quodammodo crucifigitur ipſe Chriſtus; cum & ipſi profeſſores Chriſtiani nominis cenſeantur, & pari eos vobiscum ſui precioſi ſanguinis pretio redimiverit caritate. Quapropter, ne nos negligentia notet, & culpam veſtram hac occaſione, quod abſit, noſtram facere videamur, mandamus & diſtricte precipimus, quatinus captiuos ipſos in eum ſaltem ſtatum, in quo ad reſpirationis leuamen fuit eis prouiſum, preſentibus Bonon- reducentes ab hoſtibus prorſus incurſu & aduerſariorum inſultibus, ſicut iam mandauimus, omni contradictione poſtpoſita deſiſtatis, facientes quecunque poſt treugas indictas a veſtris preſumpta conſtiterit, ſublato more diſpendio. Alioquin, quantumcunque vos diligamus, immo quia in Deo diligimus, duriora nos oportebit conſilia cogitare, quia ferro abſcidenda ſunt vulnera, que fomentorum non ſentiunt medicinam. Denique, vt nihil de contingentibus omittamus, dilectum, Capellanum noſtrum, litteratura & circumſpectione conſpicuum, ad vos ſuper premiſſis, duximus deſtinandum, quem commendatum habentes, vt decet, fidem plenam ad ea, que vobis ex parte noſtra propoſuerit, habeatis.

De redargucione prelati pro dilapidatione & de aliis exceſſibus, de quibus eſt diffamatus.

Mercenarium habent ſub vmbra paſtoris Theanenſes, ſi talis exiſtis, qualis eſſe deſcriberis in libello, nobis oblato, quem tibi duximus tenore preſentis reſcribendum, po-

ponentes te ante oculos tuos, vt in eo te ipſum inſpicias, & deſpicias temetipſum, & verecundiam tui pectoris verebundus ingreſſus, ad examen conſcientie proprie deferas tue accuſationis libellum, dolens ac lugens, quod, ſi dicta veritate nitantur, per offenſam interius apud Dominum, & per offenſam exterius apud homines corruiſti. Fertur, quod ad ouile dominicum per abrupta ſymoniace prauitatis aſcendens, per oſtium non intraſti. In templo domini factus nummularius, venditor columbarum, in muneribus iudicans ac in mercede reſpondens, in iudicio affers ſtateras doloſas, ſecundum auri, vel argenti pondus diſcernis aliquid eſſe graue vel leue. Matrimonium apud te probat & reprobat ſola pecunia, cuius interuentu, quos Deus coniunxit, tu homo ſeparare preſumis. Clericis quoque, tue ditioni ſubditis, dummodo pecuniam offerant, permittis focarias publice retinere, in tue ac ipſorum ſalutis diſpendium, & obprobrium Jeſu Chriſti. Nonnullos quoque ad ſacros ordines promoues, cum non examines promouendos. Venditiones & alienaciones, irrequiſito capitulo Theatienſi celebras, in ipſius preiudicium & grauamen. Et de cuius manu pſalterium cadere non deberet, vt monachus orationi & leccioni vacando, propria manu defers ancipitrem, ſaltusq; perluſtras, clamores emittens, canes inſequens, loquax & clamoſus in ſiluis, in eccleſia vero raucus & mucus, quum terrenarum voluptatum deſideriis alligatus publice loqui non audes, vt annunties populo ſcelera ſua, qui peccata predicas per exemplum. Sane iuuencula Theanenſis cui clauſtrum diceris infregiſſe pudens, nec non ad preconium laudis fame publice acclamabant, quod mulier illa, quam per adulterium prius pollueras, & longi inquinamenti tempore ad infamis participii notam habuiſti communem, viſa fuit ſancto die Martis a viris non contempnende auctoritatis ab epiſcopali domo reuerti deſuper eccleſiam & per clauſtrum. Accepimus preterea,

periurii te incurrisse reatum, alienando possessione ad episcopalem mensam spectantes, veniendo contr promotionis tue tempore nobis prestitum iuramentun De visitatione quoque parochie non, sicut audiuimu tibi cura est; quam cum tenearis annis singulis visita re, non visitas, & tamen temporalia metis, vbi spiritua lia minime seminasti. Procurationes quoque, que ra tione visitationis debentur, cogis redimere visitando ac si pecunie, non correccioni visitatio debeatur. Illuc quoque non duximus omittendum, quod in castro Theanensi habeas in custodia quandam mulierem pregnantem, quam tot iussisti vulneribus & tormentis affligi, quod miserabiliter abortiuit. Et quandam aliam tamdiu precepisti oleo & pice perfundi calentibus, quod spiritum exhalavit. Quam, vt tantum facinus in publicum non prodiret, in sterquilinio sepeliri mandasti subtrahens ei beneficium ecclesiastice sepulture, quam vite crudeliter subtraxisti. Collige igitur causam in sinu tuo, & sic acta tua corrigas per te ipsum, vt in aliis t non constituas vlterius debitorem, nec descendamus & videamus, vtrum clamorem, qui venit ad nos, comple veris opere exigamus. tamen, quantum ad presens, tib gratiam facimus ampliorem.

De eodem, & monet, vt cedat episcopatui, alio quin committitur inquisitio contra eum.

6 Recogita in amaritudine dies tuos, tempus deplo ra perditum, non tibi solummodo, sed & aliis per exemplum. Facis quidem peccare populum euidentia tuorum actuum peruersorum, cum assumatur a subditis audacius in exemplum, quod irreuentius presumitur a prelato, & dum enormitate vite peccata predicas, qu debes verbo pariter & exemplo alios virtutibus informare, tanto plures ad perdicionis exempla transmittis, quanto in pluribus dignitate prefereris, & tuorum peruersorum actuum peculum aliis anteponis. Sed potes

non

non ſine cauſa timere, ne, vnde optines primatum in terris, confuſionem expectes in celis, cum de te ipſo nihil videaris habere. Conſidera, conſidera, qualem reddis pro ſubditis, qui pro ſolo non ſufficis reddere rationem; & qualiter impetrabis veniam, qui te ipſum exhibes puniendum. Ecce frequenter de obſcenis actibus tuis, quos pre pudore ſilemus, aſcendere clamores, & multoties non ſine increpatione commonitus, vt conuerſus ad cor vitam tuam reformares in bonum, tu vero, quaſi, ac ſi cum morte pepigeris fedus, percontinuaſti & conſumpſiſti vsque nunc dies tuos turpiter in peccatis. Sed recollige dierum tuorum reliquias, ac deficientis etatis fragmenta repone, & forte in ſenio redimes, quod puer, adholeſcens, & iuuenis perdidiſti. Offer igitur ſacrificium veſpertinum, &, ne ſub vmbra inutilis ſponſi, viduitatis incommoda diutius patiatur eccleſia Theanenſis, tibi & ei prouideas ceſſione, vt deſcendens exterius, intus aſcendas, & epiſcopatui corpore cedas, cui pene penitus vtilitate ceſſiſti. Incipias in minori proficere, quod in maiori diſtuliſti. Equidem ſi tue ſaluti prouidere volueris, honori cedas voluntarius, ne amouearis inuitus. Cum enim humeri tui non ſufficiant ad onera preſulatus, retinentem accuſabit ambitio, quem renitentem coactio debuerat excuſare. Quod ſi forſan acuta fronte expectare volueris, vt opera tua in publicum deducantur, ne tuam inſolentiam noſtra patientia incurrere videamur, damus - - noſtris literis in mandatis, vt ſuper tuis negligentiis & offenſis ac inſufficientia, inquiſita diligentius veritate, que inuenerint, ad nos, ſub eorum ſigillo incluſa, fideliter transmittentes, prefigant ſibi terminum peremptorium competentem, quo noſtro te conſpectui repreſentes, ſecundum quod exegerunt merita, recepturus.

De tercia dilatione, que conceditur imperatori ad transfretandum in ſubſidium terre ſancte

Litteris excellentie regie consueta benignitate rec
ptis, exultauit animus noster in Domino, quod acce
ad patris desiderium filius, dum & precepta benefic
recognoscis, & retributionis te non denegas debitore
Porro satis prudenter deberes aduertere, de quo & qu
li affectu processerit, quod expectamus hactenus. (E
cusationes probabiles & spectamus, quarum queda
aliquid note videbantur habere, quibusdam se inger
bant opinionibus & hominum coniecturis, vt per co
trarium caute refelleres & per aptas & autenticas liter
deduceres in contrarium plurimorum.) Licet auten
apud nos pro magnificentia tua sincera peroret dile
ctio, & promptis affectibus instruat causam tuam, ex
pedit tamen, vt non solum nos (*sed*,) etiam alii intell
gant & cognoscant, quod memor es vberum, que til
pia mater porrexit ecclesia, & memor es dextere, quan
Romanus pontifex, tanquam pater sollicitus, patent
& potenter in domino ad auxilium tue promotionis ex
tendit. Verumtamen quiddam est, quod multorum
detractionibus videtur expositum, & quo ad aliqua
non se de facili cogitationibus applicat, videlicet, quo
ad terre sancte subsidium promptiorem & maiorem no
exhibes apparatum, Ecce, fili karissime, quot ad ho
prefixi sunt tibi termini, sed elapsi, quid ad huc com
modum reportarunt. Quas enim naues, quasque ga
leas regia sollicitudo fecit parari, que vasa vsui transfre
tationis accommoda de sumptibus tuis. Esto, karissime
quod transitus tuus impedimentis aliquibus fuerit re
tardatus hactenus, clamare debet tamen magis in ap
paratibus grandis affectus, vt opus id, quantum geri
in animo, possibilitatis ostenderet, & esses efficax prom
pte voluntatis interpres. Et quidem vellemus, te pre
ducem esse potius, quam sequentem, & non solum re
ceptioni dilationis minus insisteres, sed petentibus for
titer obuiares. Verum propter impedimenta, que ad
excusationem tua pagina continebat, honori tuo, quan
tun

tum cum Deo poſſumus, prouidere volentes, dilacionem tibi concedimus poſtulatam. Feſtum Benedicti, proxime futurum, terminum prefigentes, (*quo*) ad terre ſancte ſuccurſum iter arripias, proſecuturus, in quantum ſufficientia poſſibilitatis affuerit, votum tuum. Interim vero non dormias, & ne in tertium iam laqueum, quod abſit, excommunicationis incurras, temetipſum & alios vigilare compelle, vt medio tempore peractis his, que deſiderantur, terra, que funiculus eſt hereditatis diuine, fructuoſum te ſentiat, que diu ſperauit tue magnitudinis & exſpectauit aduentum. Feſtina, feſtina non diutius exſpectare, quoniam dum eſt in promotione negotium, minori conſummatur auxilio & facilius proficit in profectu. Feſtina, Rex egregie, ad ſummi regni obſequium, vt non videaris omnino relictus poſt terga, ſed tanto feruentiori affectione ac euidentiori vtilitate procedas, quanto de maiori mora & minori ſollicitudine quorundam iudicio notari videris. Feſtina, ſi forte Dominus tanti conſummationem negotii tue glorie reſeruauit, vt in dextera tua perficiat multorum manibus inchoatum. Certe clare memorie Fredericus, auus tuus, ad id ſe totis viribus accinxerat. Quod ſi Fredericus, nepos ipſius, illius memoriam non ſolum preſentibus renouabis in nomine, ſed etiam ad poſteros prorogabis in opere, ſi quid ille in affectu aſſumpſerat, tu ſalubriter perduxeris ad effectum. Nichil ergo in tanto negotio vel tu ipſe omittas, vel a tuis, in quantum in te eſt, patiaris omitti, cum robur etati ſufficiat, & potentie virtus habundet. Si forte, quod abſit, tam fauorabilem cauſam neglexeris, quanto maiora de manu domini recepiſti, tanto id a te maioris exactionis periculo requiretur. Illud autem latere te nolumus, quod, cum, redeuntibus multis, breuis ſit adhuc, ſicut accepimus, exercitus chriſtianus, niſi ſuccurſum habuerit in proximo paſſagio Martii, graue, quod Deus auertat, poſſetis imminere diſcrimen. Vnde non impedias, ſed

procures, vt, ſi aliqui medio tempore preparentur, quod in eodem paſſagio tranſeant, quatinus reparetur exercitus, & reſtauretur numerus bellatorum & eo facilius & efficacius ſub ſpe diuine clementie proſequaris incepta, quod ſi quaſi a capite oportet te reſumere ſub dubio forſan euentu tam grande negotium, quod vſque nunc ſatis proſperum domino proſperante proceſſum.

De cruce ſignatis, qui votum crucis non ſunt executi, vt per excommunicationis ſententiam exequi compellantur.

De ſecreto patris in publicum egreſſus ad ſeruos rex filius Dei, ad yma deſcendit, vt ſubditis pararet aſcenſum, ſub teſta noſtre mortalitatis figulus in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus. Qui tandem, vt noſtre ſeruitutis cyrograffum ſuo ſanguine cancellaret, & temporali morte legem mortis aboleret eterne, non declinauit obprobria, non ſe ſubtraxit iniuriis, ſed cruci ſe optulit, & cruciatibus vltro ſe dedit. Sane ad Chriſti menſam inuitati chriſticole, ſi conſiderare velint appoſita, vt Chriſto ſimilia preparent, ad crucis obſequium non tantum iam cruce ſignati, ſed & alii ſe accingent. Porro dolentes referimus, quod nonnulli de imperio non tam minores, quam maiores, faciem, quam in Ieruſalem direxiſſe videntur, creduntur vertiſſe poſt tergum, cum nec perſecuti ſint votum emiſſum, nec perſecutionis exhibuerint hactenus apparatum. Vnde nos & terre ſancte ſubſidio prouidere volentes, eis certum terminum duximus prefigendum, quo incipient domino reddere vota ſua. Sed nec in illo, nec in alio, quem adiecimus, paucis exceptis, peregrinacionis debitum exſoluere promiſſum, quinimo nec ſolucionis votiue indicia pretenderunt. Vnde in excommunicationis ſententiam incidere, quam iuxta generalia ſtatuta concilii iuſſimus promulgari. Quid autem a ſuis inferioribus gratuitum exegerint, qui maiori

iori & benefactori ſuo ſponte oblata, & omnino iam debita non exſoluunt. Quia vero multa ſatisfactio preſtatur iniuriis, & ſalubre habet cauterium quandoque perfectum, cum excommunicationis ſententia medicinalis exiſtat, precipimus vobis auctoritate mandantis, quatinus denuntietur, tales excommunicationis vinculo ſubiacere, illis exceptis, quos iuſtum impedimentum euidenter excuſat. Verum, quia non vinculum, ſed ſolutionem, querimus animarum, pia deliberatione prouidimus, vt, ſi qui ex talibus beneficium abſolutionis petierint, per vos, iuramento recepto de ſtando mandatis eccleſie, abſoluantur. Quibus iniungi volumus ſub debito preſtiti iuramenti, quod in feſto ſancti Benedicti proximo futuro, vel ante, qui voluerint, niſi iuſto & euidenti impedimento fuerint detenti, iter arripiant in terre ſancte ſubſidium, ac, prout Dominus dederit, proſequantur. Illud autem nolumus cruce ſignatos latere, quod, ſicut accepimus, niſi in proximo paſſagio Martii aliqui tranſierint ad ſuccurſum exercitus chriſtiani, graue, quod Deus auertat, poſſet eis imminere diſcrimen.

De hiis, qui conſentire noluerint compoſicionem tractare, vt citentur ad ſuam iuſtitiam proſequendam.

Humilis doctrina magiſtri humiles inſtruxit diſcipulos, ſalem & pacem habere in ſe, ſalem & pacem inter te. Pacem, vt pacis lenitas ſalem ſapientie mulceat, & ſal ſapientie pacis condiat lenitatem. Sunt quoque nonnulli, qui celum amaris conditionibus acuendo tantum quantum ſalis ſumunt, ſapiunt, & corda ſcindente diſcordia, ſub vmbra iuris ad iniuriam decidunt, interdum calumpnie ac inimicitiarum puteos fodientes, non conſiderantes, quod contencionis puteis relictis contemptui foditur Yſaac aluius, pro quo non contempnere paſtores, cuius nomen vocatum eſt latitudo,

tudo, quia reſtringitur caritas contentione diffuſa. E
ſic, dum arctatur contentio, caritas dilatatur. Vnd
cordibus reddenda eſt concordia, vt ſit opus iuſtitie pa
& ſilentium cultus eius, preſertim cum illis, qui pen
nis columbe deargentate ſibi&ſubditis debent append
re pacifici, ſedentes in pulcritudine pacis, in taberna
culo fiducie, ac requie opulenta. Sane vicinos no
latuit, & ad multos in longinquo peruenit, quantu
grauaminis queſtio de primitiua matre, Bituricenſi &
Burdegalenſi eccleſiis & eorum prelatis attulerit & affer
ret in poſterum, ſi duraret ad futurum tracta de pre
terito coniectura. Conſueuerunt etenim lites eſſe pro
dige ſumptuum, liberales laborum, parce modeſtie, &
auare quietis, & vtinam non commotionis & diſcordi
inteſtine, eo quod raro licium iurgio lingue ſilent, &
iudiciorum ſtrepitu mens quieſcit. Hec autem & ani
marum pericula, que de ipſorum abſentia ſuis eccleſii
imminebant, venerandi fratres noſtri, Bituricenſis &
Burdegalenſis archiepiſcopi attendentes, ne inualeſcen
te contentione vtraque diutius langueret eccleſia, &
quandam mortem videretur ingerere vita cauſe humi
liter petierunt queſtionem huius, quam diuturnitas iu
dicii prorogabat, acceleratione prouidentie breuiari
ſuper quo prouiſioni ſedis apoſtolice omnia iura, ſib
& ſuis eccleſiis competentia, commiſerunt. Nos auten
conſiderantes, quod in tribus, que coram Deo & homi
nibus probata leguntur, concordia fratrum ſpecifica
tione optinet primum locum, petitionem oblatam a
gratiam exauditionis admiſimus, illorum deſideria fa
uore beniuolo proſequendo. Verum, ne de contin
gentibus aliquid omittere videamur, mandamus, qua
tinus prelatorum, & capitulorum cathedralium eccle
ſiarum eiuſdem prouincie, nec non & in ea Burdega
lenſi prouincia ſuper premiſſis requiratis aſſenſum, qu
habito, prouidentiam noſtram, noſtra bulla munitam
quam vobis ſub alia carta mittimus interclusam, ſol
lem

lempniter publicetis. Si qui vero, quod non credimus, aſſenſum preſtare noluerint, vos ſuperſedentes publicationi predicte, ſub expreſſo peremptorio, quem videritis prefigendum, diſtricte precipiatis eisdem, vt per literas, ſi prelati fuerint, vel ſi alii, & vltra quadraginta, per procuratores ydoneos noſtro ſe conſpectui repreſentent proſecuturi coram nobis ius, ſi quod ſe habere contendunt, & reſponſuri parti alteri ſuper hiis, que duxerint proponenda ac ſatisfacturi nihilominus, ſi ſuccubuerint, in expenſis.

De veteri amico, qui redarguitur eo, quod timide ſcripſit amico.

Rara cari pagina, querula ſatis, vt ſic loquar, humilitate non vacua in ſalutatione pretitulauit Eraſmum: ſed alium in proſecutione querebat, que recipientis manibus non contempta que celare non potuit reuelavit que in illo alii mittebantur. Et quidem poſt ſalutationis eloquium vix lineam dedit Eraſmo, ſed Thome totum, quod ſequebatur, exhibuit, nunc timoris aliquid exhibens, nunc aliquid excuſationis allegans, & interdum aliquid conqueſtionis intentans. Sed timere me Thomam quis docuit? an forſan timor ille tuus non extitit, ſed potius alienus, cum etas primitiue ſocietatis ſic te priuilegiauit affectum, quod te non oportuit aliquid ſcribere cum timore. Certe cum mecum concreueris, gradum amicitie adiectio gratie non mutauit, & honoris maioritas nichil minorationis adiecit. Vnde non proceſſit a vero, nec a veriſimili debet habere progreſſum, quod nunc cardinalis dedignaretur amicum, quem aliquando cariſſimum habuit conſolatorem. Multum enim increpationis deberetur honoribus, ſi tam peregrinum a caris redderent honoratum, & ſic non oportuit J. ad excuſationis remedium habere recurſum, & quaſi mediatoris vel vtcunque interpretis vendicare ſuffragium, pro quo interpellat aſſidue apud Thomam non

non ociosa dilectio, sed sollicitus spiritus sic perora qui etiam si videretur occurrere, iustificaret offensa Cesset ergo, cesset ad vltimum conquestio, quam in m quasi multo tempore non scripserim, satis blande, reprehenderes acrius, sed non potes, caute formasti quasi ad te scriptum aliquod non peruenisse causar & ego scriptum me non recepisse causabor. Ceterum quia nec mihi nec tibi talis est peregrina, etiam quer lam hinc inde quadam mutua credulitate tollamus, v delicet, quod credas, quod scripserim, & ego ad cre dendum me ingeram, quod scriptum casus ademeri vel negligentia, ne dicatur, malitia petitoris.

De hiis, qui cardinalibus iniurias irrogarun vt pena rigida castigentur.

Execrabilis horribilium scelerum presumpcio p impunitatis licentiam, peccatis exigentibus, contra cl rum nostro tempore sic execreuit, vt non solum perfi filii, qui obstinatis animis ad exequenda queque nef ria velociter sunt edocti, nunc ad illam crudelitatis s uitiam non verentur manus extendere, quam horr bant ipsi hactenus vel audire, verum, cum pauidi vecordes redditi sint audaces, ad insolita & atrocia fl gitia perpetranda, nec ordini, nec officio parcitur, n etati, vel dignitati defertur, sed per facilitatem veni nocendi potestate ad iniquos transfusa, super sorte iustorum impune virga extenditur peccatorum. Ia enim neruus discipline disrumpitur, rectitudinis iud cium penitus relegatur, partes iusticie taliter profliga tur, negligitur pius pater, quia tollerat, imo, quia n expectat, contemnitur iustus Dominus, qui iustitia diligit, & in equitate iudicat orbem terre, vixque in te ris ministerium iusticie ille rex regum inuenit, c omne iudicium dedit pater. Huius autem sacrileg non modicam ministrant audaciam quidam terrarum & gentium principes, qui dominantur corporibus h

m

minum, & beſtiis terre, dum talia conniuentibus oculis tranſeunt, & impunita relinquunt. Propter quod dignitas ordinis clericalis non tantum in minoribus, ſed etiam in maioribus contemptui exponitur atque morti; conuertuntur velut vaſa teſtea filii Syon incliti, & ſicut ouis ad occaſionem ducta reputantur ab impiis ecclefie filii, & prelati, quos Dei filius cuſtodes conſtituit ſponſe ſue, ac in quibus honorari ſe aſſerit, (&) contempni, pupillam oculi tangi prohibens in eisdem. Porro, cum tam enormes iniurie pre ceteris nos plus tangant, & ſic noſtram faciem tantorum obprobriorum inquinamenta reſpergant, quod pre confuſionis rubore leuare oculos vix audemus eo, quod probroſa horum nota diſcriminum longe lateque diffuſa per populos ad contabioſe peruerſitatis exemplum iniquorum animos concitant, ne nimis eſſe miſericordes, aut potius inuolui negligentie vitio videamur, cum ſupra debitum fuerint hactenus exſpectati, vt redirent ad cor, quidam, qui receſſerant ab olim trahente mole criminum in profundum, qui etiam continuare procaci vultu non metuunt, excuſationes pretendentes friuolas, in peccatis, nec vere penitentie lamenta ſuſcipiunt, vt apud Dominum corde contriti de tanta perfidia poſſent inueniri. Toſto ciue Romano, perditionis filio, ſuisque complicibus, qui vna cum ipſo, furore diabolico concitatis, venerandum fratrem noſtrum G. (*Gvidonem*) Preneſtenſem epiſcopum, honorabile membrum ecclefie Dei, fuerint hoſtiliter inſecuti, vsque ad inſtans feſtum Natiuitatis dominice terminum aſſignauimus, vt preciſe ad mandatum noſtrum Romane ecclefie ac prefati epiſcopi mandata ſeruabunt, & penitentiam iniungendam deuote ſuſcipiant, ac in terminis prefigendis eam, pro poſſe perficere non omittant. Quod ſi forte diabolica cathena conſtricti redire infra terminum preſcriptum contempſerint, aut, poſtquam mandata noſtra ſuſceperint, ea neglexerint adimplere, ſeu penitentiam, que ipſis a ſede apoſtolica inter-

interpoſita fuerit, infra deſcribendi ſpacium temporis perficere non curabunt, ex tunc ipſos iuxta conſtitutionem, nuper a nobis de fratrum noſtrorum conſilio editam contra huiusmodi ſacrilegorum perfidiam, absque detractione aliqua, decreuimus puniendos, ne magis ac magis per licentiam inſoleſcat crudelium ceruicoſitas impiorum, ſuperbia Deum odientium libere ſemper aſcendat, & contra eccleſiam inualeſcat, ſi non exerceamus eccleſiaſtice poteſtatis gladium contra tales, nimium ſupportando inflexibilem inpenitentiam contumatie & animorum obſtinationem inexecrabilem perfidorum, qui per diutinam expectationis patientiam non molleſcunt.

De amico, quem confortat alius in dulcedine ſincere dilectionis & eo, quod dubitauit, eum mordaciter reprehendit.

Miſſa nuper epiſtola, per ammiraciones diffuſa multiplices, ammirationis plus attulit, quam recepit a mittente. Miror procul dubio, quia miratur, & turbor, quia turbatur amicus, cum cauſa non ſubſit, que hiis debuerit vel potuerit dare fomentum. Porro tenebat tenor epiſtole, quod aque multe non poſſent extinguere caritatem. Vnde nimis improbe animo veſtro ſe ingerebat illa credulitas, que videbatur imminere, ſic in me caritatis tepuiſſe feruorem, vt contra vos aliquid commocionis concepiſſem. Et quidem, ſicut non obliuiſcitur mater vnici, nec virgo faſcie pectoralis, ita non obliuiſcitur veſter Thomas ſingularis amicitie, qua ſic in vobis in Chriſto coniungitur, quod diuiſionis diſpendio ſubiacere non poterit quiddam vtriusque indiuiduum animorum. Ergo modice fidei, quare dubitaſti? Numquid caritas excidet? que lingua liuoris ſic vulnerauit interiora dilecti, quod credere potuit, me de tam ſpirituali, de tam caro ſiniſtrum aliquid crediſſe. Quod enim oculus non vidit, nec auris audi-

vit,

vit, nec in cor hominis aſcendit amici, qualiter deduci potuit in facilitatem tam leuis credulitatis ignoro. Obmuteſcant igitur labia detractorum, dampnetur os loquentium iniqua, quum nullus moles mendacii inter nos obnubilare poterit amicitie veritatem, quinimo feruor eius mutuis affectionibus tanto magis accendatur, quanto magis, vt ipſam tepeſcere faceret, alicuius emuli ſe conatus effudit. Adhec ſi forte ſentitis, quod contra Iohannem exceſſerim, id ſi placet racionis admittite, videlicet, quod tollerabilius eſt de talium exceſſibus credere, vt ſuperhabundet correctio, quam per incredulitatis duritiam profectum negligere corrigendi. Verum ſi hoc iudicio veſtro non ſufficit, de officina veſtra procedat ratio preceptoris, qui ſuper hoc apud vos aut excuſatum inueniat, aut excuſet, cum offenſus interdum offendendum, quem diligit, & ſi non vera poſicione tamen veriſimilitudine nititur excuſare.

De illo, qui propoſuit aſpere coram papa, vt caſtigetur, nec patiatur, ipſum inter imperatorem & eccleſiam diſcordiam procurare.

Venientem ad preſentiam noſtram, dilectiſſimum filium iudicem Barenſem conſueta benignitate recepimus, & ea, que nobis ex parte tua dicere voluit, audiuimus diligenter. Eo autem nominante quaſdam in preſentia noſtra perſonas, de quarum aliquibus, Capuane & Aduerſanenſi eccleſiis prouideri petebat; Nos, cum propter quorundam fratrum noſtrorum abſentiam ſuper hoc deliberare finaliter non poſſemus, fecimus ad te deferendas fieri literas, quales tunc vidimus faciendas. Sed dictus iudex ad te illas deferre recuſans, audientiam a nobis & fratribus noſtris petiit ſibi dari, qua ei benigne conceſſa, verba quedam propoſuit, a te ſibi, prout dicebat, iniuncta, in que tua non debuiſſet prorumpere circumſpectio, etiam, ſi grauem a nobis iniuriam pertuliſſes. Dixit enim, nos tibi pro-

tectionem dediſſe, que non erat protectio, ſed deſtructio potius appellanda, vtpote tendens, prout idem ſubintulit, ad perſone tue perditionem & regni. Et adiecit, quod, quandoquidem nolebamus a te nominatos recipere, nullos ad prefatas mitteremus eccleſias, quia non reciperes aliquos, nec recipi ſuſtineres a nobis ad ipſas eccleſias deſtinatos. Denique noſtris eſt auribus poſtmodum intimatum, te Capuanenſibus, Salernitanis, & Aduerſanenſibus firmiter mandauiſſe, vt, ſi alios quam a te nominatos, ad eccleſias miſerimus eorundem, ipſi nullatenus admittantur, ſed porte non ſolum eccleſiarum, ſed etiam ciuitatum obſeruentur (*obſerantur*) eisdem; que vera vix eſſe credimus, & ſi vera ſunt, tua circumſpectio videat, vtrum te deceat talia facere, vtrumne apoſtolica ſedes talia debeat tollerare. Sane non ſatis ſano, vt cum tua (*pace*) loquamur, fuiſti vſus conſilio, ſi talia dici vel fieri mandauiſti, quia ſic iuiſti dicens te, quod non credimus, eſſe paratum & promptum ad rumpendum inter nos & te vinculum caritatis. Deſideramus enim, fili kariſſime, vt omni tempore, maxime noſtro, ſit inter te & Romanam eccleſiam firma & ſincera dilectio, quia id eſſe ipſi eccleſie vtile, & tibi ac tote chriſtianitati cognoſcimus expedire. nec quicquam amarius facile nobis poſſet accidere, quam ſi ſtatum tuum, quem multa cura promouere ſtuduimus, cogeremur aut perturbare, quod abſit, aut perturbari ab aliis, quem, tibi ſi fauorem apoſtolicum deeſſe cognoſcerent, perturbarent, conniuentibus oculis pertranſire. Sed, ſi, quod Deus auertat, neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, que cauſa excogitari, conflatura tibi plus odii, vel conciliatura eccleſie plus fauoris, quam ſi tu per intollerabilem vſurpationem attemptes auertere eccleſiaſticam libertatem, apoſtolica vero ſedes illam ſecundum diuinas & humanas ſanctiones ſtudeat conſeruare. Certe vides, quod, qui talia perſuadent, ac (*aut*) ſua ceca ambicione falluntur, aut

aut malitiose te fallunt, & gressuum tuorum vias fraudulentis dissipare consiliis, & machinationibus prauis subvertere moliuntur. Videre potes etiam, quam sincero quamque paterno te collemus affectu, qui non solum verborum tuorum iniuriam impatienter (*patienter*) accipimus, verum etiam contra nos te quodammodo premunimus, dum dissuademus, te causam illam assumere, ex qua posses quasi omne incurrere odium, sede apostolica ex eadem fauorem, plurimum assequente. Cur enim non optinebimus illam iurisdictionem vel potestatem in règno Sicilie, quam in Francia, Anglia, Ispania ac ceterorum, christianorum regnis ac in ipso imperio noscimur obtinere? numquit in regno minus potestatis aut autoritatis habebimus, quia in eo tanquam in apostolice sedis patrimonio plus iuris & iurisdictionis habemus. Quid conaris aggredi? quid meditaris incipere, seductus falsis consiliis & animatus tuo calore ac robore iuuentutis. At credis esse prudentiam vel consilium aut prouidentiam contra Deum, cuius timore postposito speras te posse preualere aduersus ecclesiam, cum qua promisit se ipse Deus vsque ad consummationem seculi permansurum. Si contempnis, nostris adquiescere monitis, domesticis saltem adquiescas exemplis, tecum ipse recogitans, manum Domini abbreuiatam non esse, vt non possit deprimere & erigere, perdere ac saluare. Hec tibi benigno animo ac sincero affectu, princeps inuictissime, scribimus, satagentes, inconsultos animi tui motus paterna comminacione, redargucione, obsecratione, ac increpatione compescere, teque ad ea, que eternum (*terrenum*) stabiliant tibi regnum, & eternum preparent, informare. Denique, vt tibi consulamus, quantum ad presentem articulum, bona fide consilium nostrum est, vt literas tuas seorsum nobis, & seorsum fratribus nostris sine dilatione transmittas, per quas, si forte prefatus nuncius de mandato tuo vsus non fuit predictorum asperitate verborum, nec

mandaſti, quod premiſimus de ciuitatibus & eccleſiis obſeruandis, huiusmodi culpam a te factam negando remoueas, & illam peticionem verborum a te remouendo refundas. Quod ſi forte dici predicta & fieri precepiſti, non te pudeat, culpam tuam agnoſcere, ac eam reuerenter, vt condecet, excuſare, certus, quod nos, & fratres noſtri te ſincera in Domino caritate diligimus, & gerimus in firmo propoſito, quantum cum Deo & honeſtate poſſumus, ea ſemper efficere, que tue placeant voluntati, ac inter te & apoſtolicam ſedem pacem & caritatem perpetuam obſeruare. Porro hiis -- dilectos (*dilectum*) filios (*filium*) ſubdiaconum & capellanum noſtrum, virum fidei & probitatis expertum, ad tuam duximus preſentiam deſtinandum, rogantes, vt eum vultu ſereno reſpicias, & ad nos laudabiliter expeditum, ſine longa dilacione transmittas.

De Apulis, qui reprehenduntur, quod cruce ſignatos in ſuis partibus male tractant euntes in ſubſidium terre ſancte.

14 Vos omnes, qui habitatis Apuliam, attendite & videte, ſi ſit obprobrium terre ſancte. Vos autem, quod, quale, quantumue ad id preſtiteritis hucusque ſubſidium, ſatis ſcitis, & intelligunt, qui vos ſciunt. An forte inter commoda, que terre ſancte procuratis, id veniet, quod nonnulli de cruce ſignatis in terminis veſtris manus barbare feritatis inueniunt, dum poſt ablacionem rerum, & illacionem vulnerum diſpendia mortis incurrunt. Sane, ſicut credimus, vos non latet, in proximo, cum ad multos iam peruenerit ex longinquo, quante crudelitatis excidium nequam ille homo, perdicionis filius Rainerus, & quidam eius complices in cruceſignatos exerceant, non attendentes, quod, cum fedus cum morte pepigerint, nec vite perpetue maieſtatis ſublimitas, nec corporalis iurisdictio poteſtatis, talem preteribunt offenſam, & relinquetur nihilominus

nus de vobis memorialis ignominia regioni. Verum, ne dicatis forte, quod producimus numerum paucorum in causam, arguentes multos in paucis, videte, videte, si culpa vos preterit, vt videatis, quid expectetis in districti examinis die, vbi vtemini eo teste, quo iudice, vbi crucifixus potenti executionis imperio, & patentis executioni imperii causam propriam persequetur. Porro, si pauciores sunt vobis tanti sceleris transgressores, quid in suffragium excusationis habetis, cum in hiis prouide potueritis ante casum succurrere, licet sero post casum vt publice pene squaloris initium limes fuisset offense, ac vaga non dissoluisset impunitas dissolutos. Si vero illorum maior est numerus, non mirum, si tante presumptionis infamia regio tota notetur partis adiectione corrupte; & quidem non sunt alienigene, qui hoc faciunt. Sed mirum, quod, qui aduersus paucos armatos hactenus non habebant, quid virtutis ostenderent, nunc in peregrinos inermes habundant. Sed auferte hoc malum a vobis, & abolete tantum obprobrii nomen, ne possit in posterum prorogari, accingantur, qui sunt domi, & si qui ex vobis sunt insigniti crucis caractere, in hiis suum negotium crucifixi tam atroces iniurias persequantur. Et qui nondum animum ad tantum erexere propositum, saltem in hoc prestent obsequium crucifixo, vt ire videantur, vtcunque de securitate plenaria euntibus prouidendo. Quapropter super hoc nobilibus viris &c. quibus super hoc spectates litteras destinamus, sic efficaciter intendatis, quod opere comprobetis affectum, futuris preterita redimentes.

De eodem & plenius.

Iterato vt audiuimus, in Apulia patitur crucifixus, quem in semetipso quandoque iudei, nunc in suis quidam ex Apulis crucifigunt, & vtinam quod non omnes, cum negligere perturbare peruersos nichil sit aliud quam fouere, nec careant scrupulo prauitatis occulte,

qui manifesto facinori non desunt (*discunt*) obuiare. Ecce obprobrium, ecce dolor, quod, cum aliene naciones manum porrigant auxilii terre sancte, quidam habitatores Apulie, que beati Petri extitit, nonnullos de cruce signatis expoliant, vulnerant & occidunt. Cum ergo veritatis sit verbum, organo dominice vocis emissum, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, quis sane mentis ignorat, quis, nisi discretionis inopiam patiatur, dubitat, in passionibus talium Christum pati? si sic Christus patitur, vos siletis, si sic Christus affligitur, non clamatis. Estis enim canes muti, non valentes latrare. An aduersus hoc excitemus alias nationes? scimus procul dubio, quod talia non fiebant, dum dominabantur extranei, quando dabat vexatio intellectum. Sed nunc filii regni incrassati & dilatati recalcitrant contra Dominum. Nullus enim in excusationem afferat remedium, quod tantum filius (a) & complices eius tam detestanda presumunt, quia quum respectu multitudinis sint illi numero breui paucissimi, & alii, qui sunt multi, vel metum sua multitudine allegabunt, vel irrefragabiliter conuincentur quidem per assensum multe negligentie, que in tali casu culpe procul dubio comparatur, facinori tanto communicant, vnde non sunt infamacionis expertes. Nos igitur, qui tenemur & volumus causam prosequi crucifixi, mandamus, quatinus voc. &c.

De increpatore ad iustitiarium Apulie super eisdem.

Discurrente fama, quinimo infamia, quod crucis caractere insigniti, per Apuliam transeuntes, dampna rerum & interdum dispendia mortis incurrunt, formate de querela talium questioni respondere. Nam si nomen imples officii, quod pagina tue conscriptionis in sa-

(a) Subintellige *perditionis*, *Rainerus* V. epist. antecedentem & sequentes.

ſalutatione frequentat, non negas, quin te Iuſticiarium totius Apulie ac Terre laboris affirmes. Sed, vt videmus, iuſticiare verbo te aſſeris, facto negas, cum & preteritione diſſimules, & diſſimulacione pretereas atroces iniurias, quas in Apulia & terra laboris tuo tempore patitur crucifixus. Certe, ſi tui generis titulum, ſi honorem patrie, ſi gloriam regni, cuius iurisdictioni es ſubditus, diligenter attenderes, non tam grauia, non tam enormia, non tam deteſtabilia, te diſſimulante, preſumeret, filius perdicionis, quinimo & mortis, cuius exceſſibus ſic viam, vt dicitur, dilatauit impunitas, quod trahens poſt ſe longam iniquitatis peſtem, vltra trecentos ſibi iam adiecit proleticie (*petulantiae*) complices, vt pluribus comitatus plura pericula poſſet inferre. Sed quis honor in hiis iuſticie cruce ſignato. Certe ſi ad hominum tuorum proſiluiſſet offenſam, ſubditos compuliſſes, & induxiſſes amicos ac prouocaſſes ſanguineos contra ipſum, exquiſitis penis exigendo vindictam, & regis regum, filii Dei viui, qui nullum malum impunitum, & nullum bonum irremuneratum dimittit, poterit conniuentibus oculis pertranſire infamiam gentis tue & perpetuam ignominiam regionis. Sane non dubium, quin multorum accinctus ſis robore, non dubium, quin vallatus diuiciis, non dubium, quin prudentia ſis munitus. Vnde non deſit affectus, non deerit, qui contra talia deſideratur, effectus.

De eodem cuidam nobili de regno Sicilie.

Et ſi queratur a te, qui & quot de domo tua ſignum crucis aſſumſerint in ſubſidium terre ſancte, non oportebit te diu retardare reſponſum, nec diffuſo numero prorogare ſermonem. Verum in hoc ad excuſationem tibi & tuis adeſſe forſan aliqua videtur occaſio. Sed quid in ſuffragium excuſationis tu & tui poteſtis pretendere de cruceſignatis, quos ſpoliat, vulnerat & occidit - filius, qui vaſallus dicitur eſſe domus Celanenſis. Porro ſi nondum aſſumpſeris animum militandi regi

regum, qui pro nobis factus obediens vſque ad mortem, de morte triumphanti in cruce, tamen meritis militantium vel ſaltem in hoc participare deberes, vt peregrinationi tue diſtrictus peregrini tranſitum haberent, te procurante, ſecurum. Et ſic, qui corde remanes, videreris cum procedentibus vtcunque procedere quodam participio meritorum. Certe ſi ad hominum tuorum tyrannus ille proſiluiiſſet offenſa &c. vt in alia proxime precedente.

De eodem nobili, qui reprehenditur eo, quod tam diu ſe ſubtraxit eccleſie, & inducitur, quod reuertatur ad eam.

Quid ab illuſtribus rege & regina Francie nuper recepimus, notitia veſtra recipere poterit ex litteris, quas impreſſio ſigilli mei ad vos perducit incluſas, ex quibus, ſi placet, agnoſcite, ſi abſentia veſtra ſit Deo & eccleſie fructuoſa. Sane liceat mihi accedere ad aures amici, licet loqui ad cor, ita vt ſi quid amaritudinis ſcripti aſperitas inferat, illud tollat aut temperet amica dulcedo ſcribentis. Porro, ſi bona ſunt, que aguntur, deceret vos participes eſſe bonorum, ſi vero mala, oporteret vos contradictores eſſe malorum. Quod ſi forte vobis blandiatur ad moram, quod adiecta condicio non haberet effectum aduertitur, ſi ſponſe ſoluitur in ſponſi obſequio quod debetur. Arco tandem ſtilum, abbreuio verba, ne forte iraſcatur, quem diligit anima mea in Chriſto Ieſu. Credo tamen, quod dilecti cautela multa de paucis eliciet, & de paupere ſemine diuitem meſſem metet.

De eodem nobili, qui reprehenditur de nimia ſeueritate.

Litteras veſtras ·· per ·· nobis latorem preſentatas, quas vobis per eundem remittimus, preſenti pagina intercluſas. Sane duo principaliter notari videntur in ipſis, quod primo eundem pro non graui exceſſu, vt epi-

epiſtole veſtre verbis vtamur, per medium annum, & vltra, eccleſiaſtico benificio priuauiſtis. Secundum, vt auctoritate noſtra poſſetis agere miſericorditer cum eodem. Porro ſi non grauis erat exceſſus, cur adeo pena proceſſit, cur vltra debeat extendi vindicta, quam inueniatur in excedente delictum. Quid ſi grauis? cur de culpa ſubducitur, vt minus venie adſcribatur. Ex hiis quoque preſumitur, quod vel fuiſtis nimium in pene illacione ſeueri, vel eſtis nimium in ipſius relacione remiſſi. Ceterum licet ſatis poſſemus aduertere, quid predicto exceſſui penitentie debeatur, quia tamen melius eſt de miſericordia, quam de rigore reddere rationem, illius memores viri ſacramenti, (*Samaritani*) qui poſt vinum infudit oleum vulneribus ſauciati, memorato, vt poſt patris verbera ſentiat vbera matris, gratie ac venie ianuam aperimus, vobis concedentes, quatinus relaxetis in ipſum ſuſpenſionis ſententiam promulgatam & reſtituatis eidem, que de portione ſua ſequeſtrata dignoſcuntur.

De eodem nobili, qui arguitur, quod, prima citacione contempta, vult expectare ſecundam.

Conquerente domino, quod ſuper archidiaconatu moleſtus eras eidem, fuit nobis commiſſum, quod cauſam audiremus eandem, propter quod tue prouidentie ſcripta noſtra direximus, vt ſuper ipſo negotio noſtro te conſpectui preſentares. Verum neſcimus, quo conſilio, quaue cautela nec comparueris in iudicio, nec miſeris reſponſalem, niſi quod forte, vt duriorem te reddas, contempto prime citacionis edicto, euentum vis expectare ſecunde.

De iſtis, quibus conuitioſe inſinuat, vt circa ea, que bene inceperunt, laudabiliter perſeuerent.

Nos nouimus, nos teſtes ſumus, quot habeat onera

translatio ſtudii, & ignorare non poſſumus, quibus & quot ſeducat blandiciis machina ſecularium interdum vagos affectus. Verumtamen, quia neſcimus formam preſtiti iuramenti, neſcimus etiam, vtrum noſtre voluntatis exceptio publico ſit inſtrumento vallata: ecce noſtrum arbitrium iudicio veſtro relinquimus, vt conſideratis, que conſideranda videbitis, ad ea veſtre diſcretionis procedat examen, que honorem vtilitate fecundent, & vtilitatem honore decorent, vt & honor fecundus & vtilitas ſit decora. Adhec cum excuſacionis ſuffragio ſollicitudo non egeat, miramur, quod ſuper hiis, que dominum J. plus, quam vos, tangere videbantur, excuſatorias literas deſtinaſtis. || Ad eccleſie Romane obſequia te paratum per literas & nuntium obtuliſti, grati tamen obſequii preſtitiſſe non videtur indicium, quod nuper in porta Ianue dicitur immutatum. Sic ergo prouide reuoces, quod ſuper hoc impronide creditur eſſe geſtum, vt reputetur vtcunque non factum, quod prudenter & cito fuerit reuocatum.

De male geſtis, vt reuocentur.

De affectionibus veſtris ad inuicem, formato iudicio de nobis, prout vobis placuit, iudicaſtis, licet nullus iudex idoneus in cauſa propria cenſeatur. Sane ſi ex operibus, quare affectio veſtra iudicabitur maior noſtra; ſi vero de interioribus moribus agitur, illius erit iudicium, cui omne cor patet, & omnes lingue loquuntur. Sed ſi ex coniectura preſumere debet humana conditio, iudicamur intentione non diſpares & linea ſanguinis coequales.

De reprehenſione amici de ſententia, & addit, quod ſunt affectionis intencione non diſpares, & conſanguinitatis linea coequales.

Nobilitatem veſtram decebat liberationem talem filii veſtri ad noſtram noticiam liberali ſcripto proferre, vt animum diligentis, quem diu amaricauerat captio,

ptio, inſinuata liberacio dulcoraret. Sic enim nos vobis & veſtris debita iungit affectio, quod aduerſitatis ſumus participes & proſperitatis non cenſemur expertes. Ex hiis ergo veſtra circumſpectio colligat eſſe promtum & quaſi debitum veſtris vtilitatibus, quod valemus.

De quodam, qui ſcribit cuidam, vt prouideat fame ſue. 25

In vicina quadam habens hoſpicium verſus portam diceris habere vicinam, & nihilominus de aliis non tacetur. Sane fili non credebamus, quod id de te leuis admitteret coniectura, ne dum quod ad Symonem fratrem tuum clamor aſcendit. Vnde ſi me diligis, ſic ſuper hoc fame tue celeri emendatione ſuccurras, vt non ſolum dicto ſubtrahatur occaſio, ſed etiam preſumtioni credulitas non ſuperſit.

In opinionem incido, quam declinabam aliquando, 26 & amplector ſententiam, quam contempſi. Sane comiſſa mihi cura Albanenſis me compellit, vt clamem; ſed ex aduerſo ſincere dilectionis affectus, quem ad veſtram gero perſonam, vrget, vt ſileam, & ſic inter contraria competens remedium non inueni, niſi hoc quale quale videlicet, vt inſinuem vobis, quod ſcitis, & rogem, vt turpe non reputetis & indecens, quod ad veſtram notitiam perferro damna, que domino - - in decem vaccis, per quendam defenſorem nouum, quem eccleſie dediſtis, dicuntur illata. Ad hec, ſi placet, reſcribite, vt ſciam, quid eligam de predictis.

De amico, qui increpat alium, quod cauſa ſua fuit peregrina ſibi, quam dicit carere fauore iuſticie.

Simplici ſtilo & ſimplici corde loquentes amico aſſertiue fatemur, quod proſecutio cauſe veſtre hiis diebus in curia ſic fuit noſtre noticie peregrina, ac ſi omnino

no alieni eſſemus a vobis. In quo autem ſtatu reſederit, vel in quo caſu referet. Vos autem de nobis tenere poteſtis, quod ad honorem & commodum veſtrum in domino opem & operam dabimus iuxta poſſe. Adhec electo ſancti Iohannis ad preſens non ſcribimus, quia cum cauſa dicatur carere fauore iuſtitie, erubeſcimus ſcribere, quod forte ſoluere non poſſemus.

De nepote, quod bonis moribus inſtruatur.

Poſt trine petitionis inſtantiam Gregorius mittitur ad gratiam petitoris, ad patrem a patruo tranſiens, vt fiat filius de nepote. ſub ſpe igitur diuine clementie patri relinquitur, qui eum documentis erudiat, & exemplis informet, vt mores ſcientiam efferant, & ſcientia mores extollat. Magiſter l. - - de d. - - voluntate noſtra reuertitur, qui cauſam noſtri conſilii vobis exprimere poterit viua voce.

Licet grata fuerint in ſe miſſa, nolumus tamen ad preſens regratiari mittenti, ne videamur tacite reuocare prohibitionis edictum, quod meminimus de non mittendo feciſſe. Ceterum, ne cenſeamur ingrati, cum ceſſauerit miſſio, aſſurgemus ad grates.

Scripſiſtis, quod pecuniam non habetis; reſcribimus, quod nos ſimiliter non habemus. Eatis igitur ad habentes, & accipite vobis. Sed cum nullus de veſtris in noſtro ſeruitio ſit admiſſus, ad ſubuencionem alterius non tenemur.

De dilacione petiti ſubſidii facienda vsque ad reditum.

Venturus ad colloquium principis pecuniam expetis in ſubſidium expenſarum. Verum cum adhuc incerta ſit ſumma, vsque ad reditum poterit differri peticio, vt ex certitudine ſumptuum ſubſidii certitudo formetur.

De amico, quod non miretur pro eo, quod non reſpondet queſtioni.

In

In queſtionibus, que in iudicium deducende ſperantur ſub pretextu iuris dubii, nos non decet de facili litis initium preuenire reſponſo. Non ergo miremini, ſi aliquid non reſpondemus ad preſens. ſed forte prudentia veſtra eliciet aliquod, vt ſic loquamur, de reſponſi negatione reſponſum.

De amico, cui ſignificat alius, quod non oportuit eum alias mittere literas, licet non haberet, mores hominum patrie.

Referunt plurima plurimi, ſed non omnia digna fide. Sane, quia non ſunt peregrini mores hominum patrie, que vos habet, diſcerno interdum, quorum & quibus ſermonibus debeam auris prebere auditum, & ſic ſuper hoc non oportuit alias literas deſtinare.

De reprehenſione amici, qui propter multiplicitatem negotiorum inconuenientium ſibi amicum videtur obliuioni dediſſe.

Non queror, ne in me ipſum dirigere videar accuſationem, ſed doleo, quod expectatione reſponſi ſollicitus pro tot, vt ſic loquamur, legionibus litterarum nondum optinere merui ſpeciale reſponſum. Sed forte, bone pater, ſic vos Anglicana occupauere negotia, quod minus ſolito relinquere Romanis, vel forte ſic regionis illius turbatiua prolixitas, & prolixa turbatio vos ad multa traxerunt, quod vtcunque a veſtro videmini receſſiſſe ſingulari. Ceterum ne multis occupatum interdum a publice vtilitatis effectu videatur affectus reuocare priuate, minus dicens & plus intelligens, conſcientia teſte, ſignifico, quod ſi proſperamini, proſperor, gaudeo, ſi gaudetis, & ſi, quod abſit, quicquam vobis nubiloſum adeſſet veſtro Thom - - ad illud etiam admitteremur.

De amico, qui ſcribit narrans quod nihil ſiniſtrum ſibi fuerit relatum de ipſo.

Vidimus literas, quas miſiſti, conſiderantes te longum

gum de modico, vel quasi, de nichilo texuisse sermonem. Sane, si tales nos credis, quales nos missa pagina continebat, potuisti probabili credulitate tenere, quod contra te nostra credulitas non admittit, si quid alicuius suggestio niteretur immittere alienum arbitrio boni viri. Porro si nos non fallit obliuio, memoria nostra non tenet, quod ad audientiam nostram de te retulerit Johannis relacio ea, que tua querula nuper epistola continebat. Redeat igitur animus ad quietem, & cor tranquilla statione letetur, quum, cum voluerit dominus iustus iudex, imponet finem iniuriis, & iusticie laxabit habenas.

De amico, qui exponit epistolam, & dicit, quod aurum peregrinum remittit, & domesticum retinet cor regale.

De mittentis dulcedine in epistole misse principio, imo & fine gustaui, sed pagine medium sub dulci limine aliquid inferebat amarum. Sane literarum exordium non antiqui, sed antiquati titulum premisit amoris, dum in equo, quem habet amicus, desiderium expressit amici, medium vero aurei cordis exhibuit linimentum. Sed alterius auri mixtura amaricauit animum vestri Thome, quem regis cor aureum dulcorabat. Porro multe cupiditatis argueretur, si mihi non sufficeret animus regis oblatus. Vnde cum gratiarum actionibus remittitur peregrinum, & retinetur domesticum, videlicet cor regale. Ceterum ne principium ac finis epistole regie nimia videar dulcedine fastidire, interpositione medii affectus reuocatur auidior ad vtrumque. Verum cum dulcis in casto plaudat affectus amore, antiquum amplector, & non fateor antiquatum, quum amor temporis iuuenior antiquitate non premitur, & longinquitate recentior iuuenescit. Post hec accedit finis ad votum, & gratissime equus offertur sub vestri titulo nominis reseruandus, donec serenitas temporis, viarum tranquil-

li-

litas & ductoris secura cautela se offerant ad ducendum.

De amico, qui innuit alteri, quod non moueatur propter mendacii relationem.

Non moueant vos mendacii folia, cum coram Deo & homine fructus possit sufficere caritatis. Sane, cum a conscientia nostra non processerit illud thema, de quo formam pagina missa recepit, in responsum id veniat, quod non opus est aliter responderi. Absit, vt actiue vel passiue vtamur applausibus & sterilem mendicemus lingue fauorem. Porro non quesiuit hoc iuuenis Thomasius, non querit hoc senex, presertim cum sentiat, quid senectus exigat, quid promittat, de qua sic ludere libeat, vt non contingat ludo vel colludio senectutis illudi.

De quodam, qui quosdam arguit mercatores sequentes arbitrium voluntatis.

Sic mercatores certe regionis habundant, quod participio mercium non communicant alienis, cum in statera voluntatis appendant, non excellentiam meriti sed potentatus excessum.

De amico, qui scribit alteri, quod procedat contra priorem.

Audito, quod in cor prioris non ascenderat cogitare, quod providentie vestre commisimus, recti credimus esse iudicii, quod non perducatur ad opus, quod in cogitatione cor preambulum non produxit.

De amico, qui significat alteri, quod non consueuit iterare preces.

Scripsistis super eo, quod scitis, sed cum non exaudierit preces nostras? non est nostri moris, vilescere in precibus iterandis.

De reprehensione ad amicum hesitantem de eo, & respondet per cedulam.

Suo suus. Modice fidei, quare dubitasti. Non est no-

nostri moris, a caris diuertere in aduersis. Ceterum causam dati consilii cedula continet interclusa.

De eo, cui mandatur, quod vadat Fongia & moneat, quod nunquam in culpa similiter relabatur.

In archa federis virga continetur & manna, & pii pectus pontificis disciplinam debet & veniam continere. Hinc est, quod pietate rigorem, & mansuetudine volentes temperare iudicium, mandamus, quatinus Fogiam accedentes moneatis &c. Ceterum vt eosdem protestatio reddat cautiores, proponi volumu s coram eis, quod si de cetero culpe similis incurrerint recidiuum, ipsos ad similem gratiam facilitas venie non perducet, quinimo pene debite sentient punctionem, quos penitentie lenitas non compungit. Exaggerat enim improbitas iterationis offensam, & minus habet in executione subsidium, quam benigna monicio siue comminacio aspera non premunit.

De recommendacione missorum exeniorum & inhibet de cetero aliqua non mittenda.

43 Vidimus, que missa pagina continebat, & dolemus, pontificis reuerentiam fuisse iniuriis lacessitam & contumeliis prouocatam. Adhec pro dono petimus, dona non mitti, que licet in esculento consistant, consideratis tamen expensis itineris transferri possunt ad numeri quantitatem. Nollemus quidem, quod vnde vobis multiplicata missio liberalitatis titulum adicit, inde nobis frequens receptio notam cupiditatis impingat. Ceterum fructus saporibus aptos ex parte nostra mensa superioris recepit, vt in maioribus ferculis maioris plus acuant appetitum.

De reprehensione quorundam, qui fuerunt negligentes circa delinquentes.

45 Cum latum delinquentibus pandat sinum, qui non dam-

dampnat errata eo, quod negligere perturbare peruersos nihil eſt aliud, quam fauore, miramur, quod ſcelus diebus iſtis Signie perpetratum non inuenit apud vos nec leuis vlcionis iudicium nec etiam iuſticie relatorem. Cum autem publice vtilitatis interſit, quod crimina (*non*) remaneant impunita, domino J. Caputio, ſubdiacono & capellano domini pape commiſimus vices, vt ſic ad vindictam dexteram rigoris extendat, quod culpa cognoſcatur in pena. Quo circa vobis ſub debito iuramenti, quo tenemini curie, ad penam C. librarum, diſtricte precipimus, quod predicto domino J. ſic ſuper hoc & aliis, que a domino papa committuntur, eidem efficaciter aſſiſtatis, quod offenſam paucorum protendi non oporteat in publicam plurium vltionem.

De quodam cui committitur, quod exigat, quod debetur.

Ad honores & commoda veſtra nos hactenus libera inuitauit affectio. ſed animo trahet neceſſitas cum retribucionis debitum exigat, quod gratis animi liberalitas afferebat. Veſtrum ergo erit vel exigere, quod debetur, cum a vobis gratia multa proceſſerit & debitor vinculum obligationis agnoſcat.

De deuoto, qui arguitur quod domino ſiniſtrum credidit.

Conqueritur filius de duro patre, dum in nos nimis per epiſtolam querulam inueneris, (*inveheris*) quod ſic excuſationes vberes afferens accuſationis aliquid infers, ſicque innocentie tue cauſam allegans, quod alium tacite de culpa remordes. Sane non miramur, ſi ex verbis, tibi per Robertum propoſitis, lata prodiit materia conquerendi, ſed in admiratione aſſumimus, quod tua prudentia in tanti erroris abiit exilium, vt de bono, quod boni viri non patiebatur arbitrium, minus iuſte ſentires. Porro non hoc ſacre pagine lectio docuit, non hoc conſtantia tui generis habuit, vt de illo, quem

longa conuerſatione probaſti, per improbe ac repentine credulitatis inſtantiam animum ad ſiniſtrum formares. Ex his autem non infers, quod illationi iuſte debetur, nec quantum probabili conqueſtionis cauſa - - invectionis ſpiritum profero, ne metas benigni correctoris excedere videar, & in affectum incidere vlcionis. Ceterum ne in ſuſpenſo relinquam, quem diligit anima mea, tibi ſatisfieri volumus per cedulam interclusam. Si quis vero tanquam care plantule noſtre, contemplacione noſtri, voluerit alicuius gratie manum porrigere, cum deuocione recipias, reſcripturus de omnibus nobis, vt ei ſtudeamus grata viciſſitudine reſpondere.

De quodam, qui rogat alium, vt ad abolendam ſuam infamiam prouideat & maxime ſuis bene merito de beneficio.

Eccleſias veſtras apprehendunt extranei, & manus alienas reſpiciunt filii Abbatie. Porro non eſt hoc ordine liberalitatis officium, vt ſitientibus veſtris ad alienos veſtra beneficia deriuetis. Sane, quis, qualis & quantus magiſter R - exiſtat, vos non latet in proximo, quod ad multos iam de longinquo peruenit, affirmatiua relacione docetur. Sed ecce facultas ſe obtulit, vt id ſi vultis, deleatur obprobrium, quod Caſſinenſibus conſueuit impingi, videlicet quod ſuos deuorant, & nutriunt alienos. Certe prelato vacat, & non minus vacat eccleſiis predictus magiſter, ſed cum liberalitatis veſtre beneficio vtrumque poterit non vacare. Quapropter cum aliis inter alios, ſed plus aliis, ſinceritati veſtre preces porrigo pro eodem, quatinus quid inductiones predicte ſuadeant ſincero intelligatis affectu, & intellexiſſe pleno monſtretis effectu, & ſpirituali affectioni, quam ad ipſum habeo, derogare non debeat pluralitas aliorum.

De murmuratione contra quosdam, qui literas interpretantur aliter, quam continent.

Gau-

Gaudemus ſic ingenioſos eſſe noſtrates, quod preter illum, quem de plano litera recte intelligentibus innuit, exquirunt alium & vtinam non extraneum intellectum. Sane non dubitamus, quod interdum ad riuales congruo ſenſu propoſito flectitur, ſed toto titulo de verborum ſignificatione perlecto nondum inueniſſe meminimus, quod ſcripture tanta debeatur iniuria fieri, vt violenter extorqueatur aliquando, quod ei ſcribentis intencio non commiſit. Sed contingit interdum, quod mordetur actor in actis & ſcrupula patiuntur calumpniam ob ſcribentem.

De reprehenſione ad eum, qui credit in receptis erratum fuiſſe.

Nimis cedis ex ore, dum credis erratum in eo, quod te recepiſſe fateris, non ergo recipientis dextera teneat, quod mittentis conſcientia non effudit.

De inſinuatione ad decanum Monaſterii, eo quod duo inſtrumenta contraria, ipſius ſigno ſignata parebant.

Loquor in domino confidenter, & quum expedit, non tacebo. Ecce quod vna die, ac vtique vna hora, diuerſi & auerſi apparuere contractus, quibus manus veſtra ſignum ſubſcriptionis impreſſit. Sed queſo frater in domino reſponde. Si primum iuſticia non iuuabat ad ſcribendum, tanti viri dextera cur acceſſit. Si vero ius viribus iuuabatur ad ſecundum tam contrarium, quo calle, qua ſemita diuertit conſcientia tanti viri. Porro duo ſocii noſtri L. & I. diligenter ſimilia ſuper vno eodemque facto inſpeximus inſtrumenta, quorum inſpectione notari poterit, quod ſi quid ſub inuolucro forſan obſcure predixi, ſatis in luce patebit. Rogo itaque, & ſi ſuſpectus non habear, conſulo, quatinus ſic ſuper hoc prouidentia veſtra prouideat, quod maculam veſtre religionis gloria non incurrat. Adhec veſtris recommendate me fratribus, vt habeant mei memoriam apud dominum.

De quodam, cui ſcribitur eo, quod non ſcripſit, ſi receperat, quod ſibi ab Abbate debetur.

Famoſum montem vſque ad Carie ſinum vos aſcendiſſe didicimus, ſed profeciſſe neſcimus. Porro non ſic vos preter ſolitum abſorbere obliuio debuiſſet, quod de ſancto Helia epiſtola non tranſcurriſſet. Anagniam nuntia, ſi quem fructum attuliſſet bene merito mons Caſſinus; ſed forte regionis amenitas, que vos tenet, habet hoc, vt ſic vos allexerit blandimentis, ſic ſua dulcedine vſurparit, vt minor apud vos de relictis fratribus ſit memoria eo, quod frequens conſanguineorum preſentia interdum quadam pectoris familiaritate domeſtica extraneos plus abſentat. Sed certe non ſunt extranei, quos animorum iudicium facit veſtros. Ergo tollite moras & excuſationes excludite & nuncietis ſi apud dominum Abbatem forte ſaltem aliquid gratie recepiſtis, vt quaſi de liberalitate exhibeat, quod de iuſticie neceſſitate debetur.

De exhortacione ad fratres, vt non ſurgat alius in alium.

Loquor, vt diligo, & cum meliora ſint vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis, ſumpta de veſtra dilectione fiducia aliquid dicam, licet aſperum, confidenter, eo, quod amor habet plagas ſuas, que dulciores ſunt, cum amarius inferuntur. Quovſque tacebo? ecce publice dicitur, quod per ſciſſuras & ſcandala graue diſpendium imminet domui Celanenſi. Certe durus eſt ſermo, quod tam inclita domus regni, quam multorum conſueuerant oculi intueri, tempore noſtro, quod abſit, grauis diſſenſionis iacturam incurrat. Porro veritatis eſt verbum, organo dominice vocis emiſſum, quod omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur. Nunc que ſpeciali priuilegio vos & germanus veſter ſuſcipietis in diſpendiis ſciſſure compendia? quis vos occultis faſcinauit? an propter diuitias, quas famoſus

moſus & ſtrenuus pater veſter multis laboribus & multis expenſis multoque ſtudio acquiſiuit, in carnem ſuam caro conſurget, & frater manum leuabit in fratrem. Sane ſuper hiis liceat admirari de - - ſed plus de tali Germano veſtro, cum ſit maioris etatis, plurimum vero de domina Comitiſſa, cum non ſit dubium, quin ſit mater, & mirum, ſi non multum viſcerum ſuorum turbatione turbatur. Quid plura? conſiderate ſi congruat, vt ſubiciatis vos non ſolum vicinis, ſed ſubditis, adhoc vt creſcat alter in alterum, & efficiamini ambo maiores. Ceterum, quia non expedit, pagine cuncta committi, vt minus dicam, & plus prudentia veſtra intelligat, vos expedit meminiſſe, quod interdum plus proficit congregatio paucorum in vnum, quam ſingulares diuiſiones multorum.

De amico, qui ſcribit alii pro communi vtilitate pauperum.

Libenter ad vos cauſas introducimus pauperum, ſperantes, vt, vnde nobis de precibus, inde vobis de facto creſcat premium apud Deum. Cum itaque - - paupercula mulier &c.

De miſſione ad quosdam, qui ſcriptam litteram male intelligunt.

Fateor, quod altari ſeruio, fateor, quod de altari viuo & vtinam digne. Cumque ſim & miniſter & alumpnus altaris turbor, ſi vos epiſtola turbauit & vellemus, quod id excuſacionis, quod aſſumitis quoad hominem, vobis ſufficeret quoad Deum, cum ad ea, que aſſumere potuit rectus intellectus in bonum, vſurpare videatur obliquus in malum. Adhec ſi non pateretur aliquando veritas odium quererem ſi non notaretur in queſtione conqueſtio, quare cum vacent horrea caſtri, que milium ſatis occupaſſe videtur poſt granum adeptum petitur milium, quod habetur.

56 **De ſignificatione ad epiſcopum, qui calumpnioſe moratur in balneis, & non negat petita.**

Recepta nuper amici pagina inſinuationis aliquid attulit, & quiddam petitionis adiecit. Petebatur quidem ad balnea relaxari prouectum; allegabatur autem ſcabies pro vtroque, tanquam ſufficienter excuſaret epiſcopum, & notari non permitteretur abbatem; inſinuabat quoque, ſenem epiſcopum, balneis incubare, ſed hoc non decebat abbatem. Porro ſi vterque cepit eſſe, quod dicitur, quid ſibi & balneis? O felices ungues, que ſic ſcalpendo proficiunt, quod epiſcopum & abbatem alliciunt in deſideriis balneorum. O quam ſollicite debet rigari cultura ſuperficiei, quod breuem cutis aggreſſum ſpatioſius emolliri videtur in campum voluntatis egreſſum. Ergo decuit, vt inſinuacionem huius, ſigillo ſilentii ſollicitudo ſignaret amici, & peticionem, ſine publici fori noticia rudem remitteret ad petentem, quum, dum peticio talis repellitur, procuratur prudentius vtilitas petitoris.

De amico ad amicum, vt eum non per litteras, ſed perſonaliter viſitet.

59 Quia ſolent eſſe, que apprehenduntur vſibus (*viſibus*) hominum, notiora, de ſtatu veſtro me aliosque noſtros de curia certificare curetis non per epiſtole vel nuncii miſſionem, ſed per exhibicionem feſtinam preſentie corporalis.

De reprehenſione ad ſcolarem petentem, que non ſunt indicia ſtudii.

Apertis theſauris veſtris aurum non inuenimus, quod petiſtis. Porro que non ſunt indicia ſtudii, vt tenditis ad cathedram efficax argumentum.

De prelato, qui citatur peremtorie ad curiam, de multis & enormibus exceſſibus diffamato & comminatio grauis

In ſenecta & ſenio conſtitutus, non ſolum adholeſcen-

ſcentie ac iuuentutis expiare delicta vereris, verum etiam adhuc de die in diem ſordeſcens, & in tuis ſordibus requieſcens, cum Job putrefactus in ſtercore, vt inuitatus ad nuptias in profundum veniſſe videris, vt contempnendo iam nec Deum timeas, nec hominem verearis. Noſtris quidem recolimus tibi dediſſe litteris in mandatis, vt noſtris conſiliis acquieſcens aut epiſcopatui cederes, ne amouereris inuitus, aut XV. die poſt ſuſceptionem earum noſtro te conſpectui preſentares auditurus, quid de te apoſtolica duceret circumſpectio ſtatuendum. Sed tu, ſicut dilecti filii, Capuani, nobis ſuis litteris intimare curarunt, vtrumque efficere contempſiſti, ſed potius ipſas litteras, per duos honeſtos laicos, ſecundo per tres acolitos eccleſie preſentatas, ſpernens recipere, mutilationem membrorum primis nuntiis intentaſti, & ſecundos acolitos a ſpaualdis, quos tecum retinere diceris, acriter flagellatos in lacum miſiſti, ligatis manibus eorum poſt tergum? tertios vero non permiſiſti venire ante tuam preſentiam; quibus quidam de tuis, poſtquam eos affecerunt verberibus, contumeliis & obprobriis, necem corporis intentarunt. Cum vero poſtmodum ad ciuitatem veniſſes, in preſentia lectiſſime filie noſtre in Chriſto, regine Sicilie, litigaturus cum Capuano, & populo memoratis, ac in eiusdem regine conſpectu, & multorum nobilium ac turbe etiam copioſe, noſtras tibi literas preſentaſſent, ipſas pre rubore recipiens, in hec verba diceris prorupiſſe, quod eramus pontifex ille, qui fuerat imperator & rex, nec poteramus animo ſic mandare propter quod nunquam epiſcopatum ad mandatum noſtrum dimitteres, cum non a nobis eccleſiam teneas, ſed a rege, non attendens, quod de plenitudine poteſtatis aſſumpte habemus in promptu omnem in obedientiam iudicare. Ceterum regina prefata, populum ciuitatis contra te grauiter videns motum, tibi mandauit, vt ante receſſum eius, ciuitatem ipſam exires, nec morareris vlterius

cum tuis complicibus in eadem. Sed tu poſt ipſius regine ab ipſa ciuitate receſſum, vt homo perditus ad ipſius ciuitatis perdicionem intendens & ad deſtructionem eccleſie, que diu viuente viro viduitatis incommoda eſt perpeſſa, te ad Lipoldum quondam Warmatienſem epiſcopum conuertiſti, CC. vncias auri illi offerens, vt in epiſcopatu ipſo te manuteneret & defenderet, ſic ponens ab aquilone ſolium, tanquam abbreuiata ſit apoſtolice ſedis manus, vt in te, ac in illum non poſſit inducere vltionem. Licet igitur, omnibus omiſſis aliis, quibus irretitus es, culpis, ad ponendam ſecurim ad radicem arboris infructuoſe ſolum predicta culpa ſufficeret, volentes tamen tantum exceſſum lenimento manſuetudinis temperare, ac etiam experiri, vtrum aliqua obedientie ſcintilla remanſerit, diſtricte tibi precipiendo mandamus, quatinus, omni mora poſtpoſita, infra XV. dies poſt receptionem preſentium noſtro te conſpectui repreſentes, ſufficienter ſuper hiis & aliis, que contra te propoſita fuerint, reſponſurus. Alioquin extunc nos contra tuam inobedientiam pertinacem, & rebellem contumaciam procedemus, prout nobis deſuper fuerit inſpiratum.

Deſcriptio plurium offenſarum, commiſſarum per imperatorem contra eccleſiam, propter quod fit cunctis generalis predicatio contra eum.

64 Attendite ad petram, de qua ſciſſi eſtis, & ad cauernam, de qua manu eſtis artificis ſuperioris abſciſi. Attendite ad Chriſti vicarium, patrem veſtrum, & ad eccleſie matris exilium, que nos ſpiritu regenerauit & aqua, percipite, filii, matris iniuriam, accingimini promptius ad vindictam. Nam degenerans filius Fredericus, quem inter puerilis etatis exordia, pupillum alterius ſubuentione carentem, eccleſie tutricis officio & matris pietate ſuſcepit, laboribus & expenſis innummeris ad regni

regni Sicilie iura de querentium manibus preseruatum, ad imperii tandem culmen, aduersario proiecto, prouexit, ingratitudinis horas interpretacione contraria recompensans, ecclesias ipsas, Christi sanguine libertati dicatas, multipliciter subiicere nititur seruituti. Ex quibus, & aliis euidentioribus causis & culpis, quas iam ad publicam mundi notitiam, credimus peruenisse, ipsum anathematis gladio, de fratrum nostrorum consilio percussimus non indigne; sperantes, quod eius medele subsidium effectum debitum correctionis haberet. Verum ipse non sub pastoris virga humiliatus est verbere, quin potius super omne, quod dicitur Deus, aut colitur, eleuatus, Helia (a) & Henrico quibusdam, non prophetis, sed prophanis apostatis, testibus sue peruersitatis assumptis, in lucis angelum more superbie transformatus, Christi claues & Petri priuilegium vilipendens, irreverenter diuinis interesse presumit, ministros ecclesie sub pena capitis, & perpetui edicto exilii ad sue dampnationis cumulum diuina prophanare compellens, & pro summe sedis orantes antistite, ac orare pro ipso publice contempnentes, simili puniturus edicto. Adhec autem in Christo & eius sponsa durioribus inueccionibus excandescens, patrimonium beati Petri, quod inter cetera imperii iura, que seculari principi tanquam defensori sacrosancta commisit ecclesia, dicioni sue in signum vniuersalis dominii reseruauit iuramenti transgressor, & beneficiorum oblitus occupare dolo non minus, quam viribus non veretur. Romanos etiam speciales ecclesie filios, a matris vberibus, muneribus & promissionibus reddere satagens alienos, Petri sedem euertere minatur, & fidem ac gentilitatis ritus subrogare priores, & velut in templo sedens sacerdotis vsurpat

(a) De Helia confer Richardum de S. Germano ad a. 1239. p. 1033. Petrum de Vineis l. III. epist. n. XV. p. 403. alios.

officium, absoluere vasallos ecclesie a vinculo iuramenti presumens, & locorum interdicta relaxans, in nostrum & fratrum nostrorum sanguinem studiis publicis inhiando, sicut clam scripta eius transmissa quibusdam, que ad manus nostras postmodum peruenerunt, in testimonium reseruata, & opera publice pertestantur, contempti parentis maledictione notandus, non veritus Absalonis dispendium, ad patris solium adspirantis, nec mandatum aduertens in Deutronomio traditum, quod nolens obedire sacerdotis imperio ex decreto iudicum moriatur. Licet autem apostolice sedis autoritas, multorum principum, & aliorum fidelium defensione munita, satis ad sui presidium & curiosius poterit inuocare gladium temporalem, eligentes tamen, iustitiam nostram potius diuino examinari iudicio, quam vires viribus propulsare, viuifice signum crucis, & beatorum Petri & Pauli apostolorum capita, in die Cathedre beatorum apostolorum principis, ad eius basilicam fecimus duce domino, quo decuit, honore deferri, quorum meritis, innummera multitudine congregata, ibidem seminantes in lacrimis offensam ecclesie, massam & spicam messuimus gaudiorum. Nam iusticie lator & cognitor, iustus iudex, filii parricide nequitiam & matris innocentiam examine iusto librans, Romanorum corda, ipsius quodammodo versata versutia, in matris conuertit affectum, qui ad Christi causam irrefragabili deuocione currentes, in votiue prosecutionis indicium & irretractabilis propositi firmitatem, proprios humeros de manu nostra crucis charactere munierant, generalem indulgentiam de gratia sedis apostolice suscepturi, ea succedente protinus fauoris instantia, quod nunc iuuenile robur, nunc fracta senescentium etas, nunc mollis mulierum conditio crucis assumptionem effunderet; sed qui ab homine, per quem scandalum venit, pretio corrupti venerant, in eius fauore clamantes, statim mentibus mutatis & linguis contra eundem inter primos

mos reciperent ſignum crucis. Proponentes autem cordis duritiam viſcera non moueant materna vel oculorum non pungunt faciem emiſſo profluuio lacrimarum non tam ſubitum potentie diuine miraculum inſperata nouitate profluxit. Quis ibi non accingitur ad fidei munimentum, vbi ad arma crucis occurrit intrepride ſexus fragilis mulierum. Congaudeatis igitur obſecramus in domino, & crucis vos caractere, armature catholice fidei premunite, vt matris pudorem, quem temerarius violator attemptat, defendat reuerentia filialis, & ſubtracta herodis aſtutia, filios orbate Rachelis vterus iterum non deploret. Quocirca &c. de manu - - vos ſignum crucis reuerenter aſſumite contra dicti perſecutoris aſtutiam, fidei proſecuturi negotium fideliter & potenter.

Litteras, quas de actibus tuis nuper accepimus, tuis oculis presentamus, vt in eis tanquam in ſpeculo inſpicias & deſpicias temetipſum, ſi talem facto te exhibes, qualem te deſcribunt. Corrigas igitur per temetipſum, que limeam correctionis expoſcunt, nihilominus proviſurus, vt conquerentes de cetero de te querelam iuſtam non habeant, quam ad illum afferre valeant, qui tibi prodeſſe deſiderat, non obeſſe.

In cauſa, que inter vos ex parte vna & - ex altera ſuper eccleſiam vertitur, coram nobis iam bina vos citatione citauimus, tranſcriptum literarum ſedis apoſtolice citacionis litteris inſerentes. Verum nullus ex parte veſtra comparuit, qui rem aut nomen procurationis haberet, vel vmbram alicuius reſponſalis afferret. Sed forte longo latoque ac diffuſo tractatu terrarum, a Ferentia diſtat Anagnia, per quem aduentus veſter difficultatem ingerens redditur oneroſus.

Credebamus, quod nos ſentiretis in veſtris honoribus vtiles & commoditatibus efficaces. Vnde ſi reſpondere voluiſſetis, ad grates exſolueretis debitum gratiarum nobis, quondam ſocio, nunc amico, & magis prudenter vos habuiſſetis in quibusdam litteris, quas nobis quon-

quondam T. de Celano ſicut audiuimus, transmittebat. Et quidem ipſe comes in poteſtate noſtra non erat, quin ſcriberet, ſicut vellet. Veruntamen prouidentia veſtra poterat hoc habere, vt per miſſionem literarum domini regis animum minime turbaretis. Porro nouit Deus, ſi meliora valeant prouenire Domino imperatori, & filio ſuo, tam de ſeruitio veſtro quam noſtro. Retribuat autem vobis Deus, ſicut intenditis retribuere, ſi poteſtis.

73 Menſam vobis benigni patris prouidentia ordinauit, & fercula ſuauitatis apponit quibuſdam, miniſterio deputatis, qui mel & lac ſecundum Deum pro poſſe miniſtrent, mel in honoris dulcedine, & lac in plenitudine pacis. Sane iuxta prudentis conſilium, filius patri viciſſitudine relatiua compenſat. Habet enim amor ex intimis nexus ſuos, qui retranſitiuis motibus & affectibus mutuis diligentes in aſpectus conformitate counit quodam indiuiduo animorum. Verum domino pape, ſicut ex litteris eius accepimus, diſpenſationis contrarie menſa proponitur, cui appoſitores fel miniſtrant & mortem, dum vrbem ſeditionibus concitant, deſidiis lacerant, & interdum, vt acerbius vulnerent, ſub concordie figmento corrumpunt, ſub pacis ſpecie bella parant, molientes eccleſie ſubtrahere plebem ſuam, peculiarem papam, filios ſpirituales. Propudor nomen veſtrum in talibus circumferunt hii miniſtri, quorum manibus pecunia veſtra, vt dicitur, aliquibus inutiliter extat in publico, aliquibus fraudulenter effunditur in occulto. Proch dolor machinationibus iſtis & aliis, hii ſcandala nituntur apponere, quo nobis tam dulcis matris vbera ſubtrahere moliuntur, & eccleſiam tam cari filii ſinceritate defraudent. Porro cum opera talium ad excellentie veſtre noticiam facti euidentia perferenda creduntur, notam infamie, quam ex hoc incurris, quod diſſimulas, vel potius amplecteris talia nonnulla, cautela ſilentii ſigillamus eo, quod durum ſit credere; vt

a

a vobis moleſtationis procedat occaſio, qui defenſionibus publicis cauſam fouere debetis eccleſie, ac ammiracione non careat, talium incauta temeritas ad tanta prorumpens preterita, ſine tanti principis vltione. Licet autem ſuper premiſſis videatur principiis prudentia principis negligenter occurrere, occurrat ſaltem in medio, ne malis per longas inualeſcentibus moras ſero, quod abſit, medicina paretur. Hinc eſt, quod de ſpeciali mandato domini pape, qui, vt dirigantur praua in directa, & in vias planas aſpera conuertantur, vobis pacis conſilia cogitat, magnitudinem veſtram, quibus poſſumus, ſupplicationibus exoramus, quatinus ſic prohibicionis edicto vrgeatis potentiam prefatorum, manus & molimina reprimatis, quod ceſſantibus omnino moleſtiis coniecturam, quam ſubiectorum temeritas extendere videbatur in dominum, reſtringat caſtigacionis ſeueritas circa penam ſanguinis ad actores, & voluntatis conniuentia de preterito preſumtio non admittat, quam excludet voluntatis condicio in futuro. Eya, lectiſſime principum, ſecundum datam a nobis circumſpectionem a domino vigiletis ad conſeruandam eccleſie ac imperii vnionem. Seruetis etiam poſteris veſtris vbera, que preſumpſiſtis, procurantes, vt in ſe quieſcat populus chriſtianus, in hoſtes fidei exercendus.

Refert legatus ſummo pontifici, que tractata ſunt per eum in ſue legationis primordio.

Ad ſanctitatis veſtre noticiam preſentium tenore perferimus, nos iter impoſitum proſequentes quinta feria poſt octauam Pentecoſtes preduce Deo Mantuam, incolumes perueniſſe, vbi quidam ambaſſatores rectorum ſocietatum noſtro ſe conſpectui preſentarunt. Sane cum Mantue multa iaceret turba languentium, & languor plus ſolito multis eſſet ad mortem, nos locum ſuſpectum reputantes extraneis, quem ſentiebant do-

me-

mestici experimento nociuum, adiuimus Brisciam, querentes remedium aeris mitioris. Vbi conuenientibus nunciis ciuitatum societatum predictarum, propositisque peticionibus ex parte domini imperatoris oblatis, ac facta monicione iuxta formam suscepti mandati ambassatoribus memoratis, qui mittentium volebant deliberacioni consulere, festum beati Iacobi proxime futurum prefiximus terminum respondendi. Verum ne beatitudinem vestram miserabilis status prouincie lateat, non absque turbacione referimus, quod in nostri prosecutione itineris ciuitates inuenimus, inuicem hostili se gladio lacessere, & vnam aduersus aliam pestilenti deseuire concursu, eos, qui detinentur, inhumane tractari captiuos. Et quidem sic discordie malum inualuit, quod non discernitur euidenti iudicio, que pars prouincie sit obnoxia malo culpe vel pene. Ecce mucro furit, ignis furit, manus rapit, pupillo non parcitur, non excipitur vidua, & sacris reuerentia non habetur. Super hiis autem adhibemus cautelam pro posse, curationem expectantes ab eo, qui plenam habet in potestate medelam. Precum enim nostrarum instantia, compedum in quarundam ciuitatum captiuis aliquantulum relaxatur, vel mitigatur angustia, & de artissimo carcere in libere custodie domibus, ad quale quale ipsorum solatium, videtur eisdem respectiua moderatione prouisum. Hec autem scribimus non, vt ministerio nostro aliquid adscribatur, sed vt mittentis sollicitetur sapientia eo, quod multa concurrunt, que potentis prouidentie, ac potentie prouide desiderare videntur affectum pariter & effectum.

Congratulatio ad amicum de fruge melioris vite, petens ab eo orationum suffragia.

3 Cogitanti mihi, care frater in domino, quid tue dulcedini scriberem, id occurrit; qui post me venit, ante factus est. Sane huius rationis initium nulla inuoluebat

bat obſcuritas, cum ſatis explicite flos iuuentutis tue exponet, te veniſſe poſt me, finis autem eiusdem non ſe de facili applicabit ingenio, vt prompto conciperem intellectu, qualiter ſis factus ante me. Sic ſiquidem ſe ingerebat affectus exterioris hominis incremento, vt interioris diminutionem non ſentiens non notabam, qualiter ego aſcendendo deſcenderam, tu vero deſcendendo aſcenderas; non videbam, quantum nihil oneris honor attulerat & tibi onus honorem, non notabam, quantum me titulus promocionis abiecerat, & te abiectio grata promouerit, qui magnificat; vt, ſic loquar, minoratione concreſcis. Porro inanis glorie ſeducens applauſus dilatatio dignitatis & eludentium affluentia diuitiarum inebrians ſic ad confuſionem venerant intellectus, quod ferre non poterat, quinimo dedignabatur attendere tantillum nouitium electe abiectioni expoſitum, & voluntarie paupertati ſubiectum, preferri presbytero cardinali. Per hoc ancilla ſenſualitas in dominam rationem, que triumphando ſuperbiens id, quod ad principium epiſtole venerat, tanquam non congrueret auctoritati ſcribentis, adiecit. Sed neſcio, qui poſtmodum in ſubſidium rationis occurrens id abiectum reuerenter aſſumpſit, & ad conſiſtorium conſcientie introducens, claris probationibus docuit, quod factus es ante me, precedens meritis, ſubſecutus etate. Ecce frater, non, vt te oleo mundacionis inungam, hec ſcribo, ſed vt de actibus tuis in domino glorificer, cum in te virtus etatem preuenerit, & annos mores excedant, qui maturam exhibes in herba ſatis adhuc tenera meſſem, vuam producens in palmitem nondum turgentem, maturitate rubentem. Glorior, inquam, in te, ſed in me ipſo confundor, cum in tot annis preteritis fere nihil inueniam, quid in nouiſſimo diſtricti examinis die non plus timoris quam ſenectutis inducam. Nonne merito mentem, tot malorum conſciam, timor anguſtiat, & terret anguſtia, quid niſi cauſam doloris

&

& amaritudinis mihi relinquere preterita, quem, dum plures peragerem annos, mundus abſorbuit nec faſtidiuit adholeſcentem, vt euomat iam prouectum. Vnde tibi hoc, vt -- tam mollibus mundi robur infringeres ab honoris deliciis amplexus? Vnde quidem tibi hoc, vt in etate tam ſimplici aſtuti hoſtis inſidias euitares. O felix, quem miſera mundi proſperitas non ſeducit. O felix, quem perplexa temporalium retia non inuoluunt. O felix, quem fluuius deſideriorum terrenorum, immiſſum a beſtia, retardare non potuit, quin ſiccis liberis pennis & ſiccis pedibus ab onere carnalium voluptatum exemptus in ſolitudinem volaueris, qua quieſcis. Ecce nunc ſedes ad pedes domini cum Maria; ecce nunc in Rachelis pulcritudine delectaris; ecce iam guſtas, quam magna multitudo dulcedinis abſcondit Deus (*qui*) diligit ſe. Quid plura? manifeſte loquor, publice fateor, & aperte proteſtor, quod factus es ante me ſinceritate conſcientie, innocentia vite, & fame decore. Verumtamen memento mei, quia intumeſcunt aduerſus me ſeculi fluctus, & ſic valida negotiorum tempeſtas inualuit, quod hoc in mari magno & ſpatioſo, vbi reptilia, quorum non eſt numerus penne deargentate demergor, quod niſi virtutem dextera domini faciat, vtinam ſi non ſicco veſtigio ſaltem quaſi (*per*) naufragium poſt impetum tempeſtatum, poſt ſpiritum procellarum, ad portum ſalutis & glorie, ſub ſue patrocinio venie, me conducat. Inſta ergo, amice Dei, vt carum tuum tuis orationibus introducas in cumulum gratie eius, quem elegit, quem concupiuit anima tua, quem relictis omnibus es ſecutus; de remuneratoris magnificentia & retributoris magnitudine centuplum recepturus, & vitam poſſeſſurus eternam.

Scribit, quod ſicut diligit, ita diligi deſiderat ab amico.

4 Nouit altiſſimus, qui nihil ignorat, quod ad deſiderium

rium ſatis votiuum accedit de vobis audire ſalubria, & vtinam ſic manus exerceatis ad talia, quod nos ſuper huius relacione, que grata nobis occurret, aures auditui & linguam teſtimonio poſſimus dare ſecuri. Et quidem ſi reputamur amici, credere debet amicus, quod in *hiis*, que referuntur a pluribus, facilius ſe bonis *quam* malis noſtra credulitas ſe applicaret. Vnde non reuocetis in dubium, quod ſicut vos in Chriſto diligimus, ſic diligi deſideramus.

Petit certificari de proſpero ſtatu amici, vini decimas exigendo.

Cum continentie veſtre ſtatum mihi concitet indempnitatis affectus, vel potius ſingularis affectionis indempnitas, inſto, vt de ipſa certificer, quum ſi proſperamini, proſperor, & gaudeo, ſi gaudetis. Quod ſi forſitan, quod abſit, quicquam vobis eſt nubilum, nichil veſtro Thome credatis eſſe ſerenum. Adhec quia vinum conſueuit letificare cor hominis, vobis retineatis primitias, dummodo mihi fueritis vini decimas oblaturi.

Reuocatio de mutua beneuolentia abſentium amicorum.

Tenet ſcribentis fiducia, dictat ſpes, habet credulitas, quod circa illam ſollicitudinis curam, quam de ipſo vobis antiqua ſuaſit affectio, ſuſceptum poteſtatis regnum non ademit ſollertia, nec tanquam prioris affectus impatiens abiecit eundem, quem potius circa hunc potiorem aſſumptus honor exegit. Similis namque res eiusdem deformitatis inuicem patitur, ſed diſſimilis contrarietatis rebellionem recipit de qua demitur immo ſui oppoſiti depoſitione deponitur & accreſcit ſimilis ſui adiectione conformis. Et quidem cum reddatur dilectio diuturnitate ſincerior, tenetur absque contradictionis inſtantia, quod illi priſtino affectui, quem olim beneficiorum effectus exhibuit & recognouit filiali de-

deuocione ingratus percipiens lapſus temporis dederit incrementa. Porro magis ſolito cura iſta non recipit quo minus ſolito preferat ille leuamen, quem vobis grauitatis honor, & amor ſollicitudinis ſociarant in patrem, vt defectus patris ſupplecio reddat quos in fratre creſcentia eiusdem ademit. Ceterum, quia cordis preſentia cum abſente non eſt certum indicium, cum alias quomodocunque animi cogitacio preferat id ilico intenſis obſtaculis ſe repreſentet, vt veſtre dilectionis vnio panderetur directe mihi pagine mens mittentis inſeruit quid vbicunque preſentialiter habeat, illic quadam illectionis grata violentia quaſi corporaliter habeatur.

Preces ad quendam, vt memor ſit ſui.

Deuota ſcribentis & firma ſinceritas, quam nec verbalis titulus adornaret, cum propriis contenta limitibus neſciat eſſe deuotior, a veſtris fauoris gratia ſub breuitate, quam aures amplexantur, expoſtulat, vt ſic creſcat in domino memoria de famulo celebris, ſicut de domino accepta deuotio in ſubiecto ferueſcit per accidens.

Item ſuper eodem & plenius.

Sub accepta fiducia non fraudandi per accidens ſcribitur, vt ſic per patris aſtutiam de memoria filii & eius commoditate tractetur, ſicut tenet & ſperat accepta devotio ſupplicantis.

Significat amico beniuolentiam, quam quidam habet ad eum, & inducit eum ad ſtudendum.

Licet, amice kariſſime, ore ad os loqui minime valeamus, intimo tamen amore indiſſolubiliter copulamur. Inde fit, quod tue prudentie innoteſcat, dominum P. ob tue merita probitatis ſic feruenti zelo diligere, quod, ſi valet, ad magni honoris te culmen cupido te vellet animo ſublimare. Sic igitur mentem ſtudio adhibe, quod profectus inde tibi proueniat, & fama ſuccreſcat.

Ra-

Ratiocinatio de beniuolentia & fide, quam habet ad quendam, a quo beneficia recognoſcit. 12

Inter cetera, que cordi mea gratiora ſunt, & cumulos exultationis inducunt, precipue eſt veſtre ſalutis continentia, & ſalubris continentie certitudo, de qua tanto potius me optatos rumores audire delectat, quanto nihil aliud mihi eque delectabile reputatur; nec immerito, quia me veſtri gratia, veſtrum clericum ſemper paterno coluiſtis affectu, & dilectionis ſinceritatem in exhibicionis beneficio demonſtraſtis. Quas ergo grates referam? quibus poſſum ſeruiciis tanto domino reſpondere? certe me minus ſufficientem conſidero, ſed promptum & voluntarium non ignoro. Vbi enim non extenditur poſſibilitatis facilitas? excedit bone voluntatis affectus, quam non minus, quam ipſum opus acceptare debetis, quia hoc quidem contentum ſuſpicor eſſe dominum. Hec facit, vt veniat pauper quoque gratus ad aram, & placeat ceſa non minus agna, boue.

Exponit quidam domino beniuolentiam, quam habet ad eum, & ſupplicat, vt eum habeat in ſuum. 13

Dicunt omnes, qui viderunt & nouerunt vos, quod vir per omnia bonus eſtis, & adiicitur laudi veſtre, quicquid vnquam de bono homine poſſet predicari. De quo ego gaudiorum alacritate reſperſus, vtpote qui non puto, veſtram mihi gratiam affuturam (*defuturam.*) Prius cepi vos diligere, antequam perſonam omnem, & cognitus factus ſum vobis mentis affectione deuotus. Hinc eſt, quod, cum non poſſim dominationi veſtre perſonaliter me offerre, preſentibus audeo me vobis literis preſentare, per quas, quicquid ſum vel eſſe poſſum, me veſtris obſequiis mancipans & tribuens, precor & pro magno munere peto, vt apud vos a modo perſonalis mihi notitia non preiudicet, quo minus inter deuo-

tos veſtros merear computari, ſed aperto mihi beniuolentie veſtre archano, ſicut in dominum ſpecialius vos elegi, ſic in veſtrum famulum me benignius eligatis.

Significat cuidam affectum ſincere dilectionis & deuotionis, quam habet ad eum.

Effuſam circa vos clementie diuine dulcedinem & expoſitam ſuperne dextre caritatem plenis aduerto gaudiis; ſed quia deficit poſſe veſtram perſonaliter adire preſentiam, pars leticie demitur & quietis. Igitur, vt plenum mihi ſit gaudium, & meipſum talis occaſio non reddat in aliquo diminutum, meam in latore preſentium repreſento perſonam, ſupplicans, vt quod affectu cordis per hoc ſignum deuocionis expoſcitur, veſtra benignitas acceptare dignetur, cum meritis inſignitis, virtute preditis, & ſacro dogmate perornatis, ſit votiuum & ſolitum, quod, vbi facti potentiam deeſſe perſpiciunt, ibi ſinceri affectus euidentiam agnoſcere gratulentur.

Ratiocinatio de vera amicitia inter amicos.

Amicorum vera dilectio comprobatur, & fructus amicitie tunc maximus capitur, cum amicorum alter per alterum roboratur, & ſicut argentum igne examinatum clarius eluceſcit, ſic amicus in neceſſitate probatus veracius commendatur.

Petit pro munere, vt eum reputet totum ſuum.

Grata verborum breuitate ſtatus mei breuitatem inſinuans, ne oneroſa ſtili prolixitate tedioſus occurram, peto pro munere, vt non omittatis obſequiis vti ſcribentis, que, vt credo, non definitis animo poſſidere.

Offert ſe promoturum negotium nobilis mulieris.

Ab eo tempore, quo notarie gerebamus officium, vſque nunc, negotiis veſtris, & bone memorie viri veſtri, ſollicitudo noſtra non defuit iuxta poſſe, quotiens id expetiit induſtria nunciorum. Cum igitur intendamus, preterita conformare futuris, tam veſtris, quam ge-

generi veſtri commodis totum offerimus, quod poſſumus & debemus, preſertim in pio negotio ſanƈte matris, pro quo virum prouidum latorem preſentium, ad ſedem apoſtolicam deſtinaſtis.

Significat, ſe gratanter recepiſſe transmiſſa. 27

Manus noſtra docta recipere munera veſtra grata gratanter accepit, parata plura recipere, cum mittetis.

Significat amico, quod ſatisfieri poterit ſibi per alium in petitis, eo iam obligato ad ſolempnitatem feſti.

Conſueuerunt preces aſſequi prompte deuocionis affeƈtum, que habent rogantis reuerentiam in conduƈtu, & rogati deſiderium in occurſu. Sane cum literas veſtras recepimus, proxima futura feſti ſollempnitas noſtram habebat preſentiam obligatam. Deliberationis enim indicium iam preuenerat peticionis oblate libellum. Cum ergo ſit noſtri propoſiti beato Franciſco ſoluere, quod debemus, peticioni veſtre ſatisfieri poterit premiſſa ſolutione debiti alieni, quinimo noſtri, cum nobis in ſanƈto, & ſanƈto ſoluatur in nobis. 28

Ad viƈtorioſum preſidium terre ſanƈte, quam vnigenitus Dei filius, generis humani redemptor, proprii ſanguinis effuſione ſacrauit, chriſtianiſſimus rex Francorum illuſtris, cruce ſignatus, cum triumphali exercitu, in manu valida & potenti transfretaturus in proximo, felicem maturabit acceſſum, quem non deſerit aſtuta Latinorum potentia, quem feroces Gallorum populi proſequentur, quem fortes comitabuntur Hiſpani, & ſtrenua Theotonicorum milicia cum eodem feliciter progredietur ad bellum. Exulta igitur filia Syon, iubila filia Ieruſalem, quia ecce milia milium cum celeritate feſtinant ad ſalutis ſpeƈtate ſubſidium, & ad obſequium tue liberacionis optatum. Letetur & colletetur chriſtianorum ſincera deuotio, & in tantarum felicitatum ſuccurſu regnum Ieroſolimitanum gaudeat vni- 31

verſum. Cum autem ipſius terre ſancte tuta defenſio ad vos precipue, poſt romanam eccleſiam pertinere noſcatur, quos diuinos milites ad eius preſertim cuſtodiam ſedes apoſtolica deputauit, & ſanctorum patrum conſueuit antiquitas veneranda, vniuerſitati veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus in vinculo caritatis & vnione perfecta predicto regi, ceteriſque chriſtianis, in campeſtro, quibuſcunque modis, conſultius & congruentius videritis expedire, in Chriſti nomine, in quo ſolo vincitur & regnatur, viriliter & potenter inſurgatis in hoſtes, & barbaras nationes, vt terra eadem, iam diu prophana Saracenorum ſuperſticione polluta, quam Chriſtus ſuo roſeo ſanguine purpurauit, diuino cultui victorioſe reddatur, & vos vna cum aliis commilitonibus, & martiribus ſacris in regno celeſti & patrie vita, triumpho, & munere perfrui valeatis eterno.

Significat, quod petitis ad preſens efficaciter reſpondere non poteſt.

32 Multis negotiis occupati ſuper hiis, que veſtre litere continebant, ad preſens plene non poſſumus reſpondere, ſed nata oportunitate temporis melioris ipſis dante domino, procurabimus melius reſpondere.

33 Ad proſecutionem negociorum, que mihi veſtra circumſpectio promouenda commiſit, pro poſſe manum extendi feloci ter admittite. Paratus etiam ad dona veſtra manus promptas extendere, quas ab alienis donis multotiens reuocamus. Et quidem vtor veſtris vt meis, voſque meis vtamini verſa vice.

34 Preter opinionem multorum, & vltra meritum meum, in me gratia veſtre benignitatis exuberat, ſicut me operis experientia docet, & ideo precibus non inſiſtens, manum huic rote, que pro me velociter currit, vt currat velocius, non appono, vno tamen, quod pro effuſa & impenſa circa me gratia veſtra vobis debeo, ſemper ſaluo, videlicet, quod pro augmento ſalutis veſtre munitum

nitum ab oratione ſpiritum non relaxo, &, vt quod pro me & multis aliis operamini, in dierum longitudinem faciatis, & quod agitis ad releuacionem in vobis ſperantium, diutius agere valeatis.

Significat, quod maluit expeditionem peticionis differre, quam per ipſius memoriam promiſſionem pecunie factam domino iterare.

Petitionem nobis ex parte veſtra factam promouimus vsque notam. verum, quia intelleximus per - - notarium, quod dominus papa ſe negotiis veſtris difficilem reddit propter ſpem cuiusdam pecunie, quam de precatoris veſtri promiſſione concepit, malumus ab incepta petitionis procuratione deſiſtere, quam ipſum ad promiſſionem ſperate pecunie veſtri commemoratione negocii excitare.

Pro armis veſtris Dom. P. de Aquino Campanie Rectori preces meminimus porrexiſſe. Et quidem ſpem exaudicionis concepimus, que ſicut credimus & nullatenus dubitamus, rei non carebunt effectu. Cum igitur probabili preſumptione teneamus, quod ea, que proceſſerunt de labiis domini pape, non faciet irrita vir note virtutis, & probate conſtantie, ſuper eodem preces non duximus iterandas, ne forte ſequentium adiectio precum vel rogantium precedentes dediſſe contemptui, vel rogantem minus affectionis in ipſis expreſſe notaret.

Viro prudenti G. latori preſentium ſuper litteris, quas ad vos a ſummo pontifice impetraui, expedire non vidimus aliquid difficultatis opponi, tum, quia valde ſincerum ad perſonam veſtram affectum habere videtur, tum quia creditur vobis & Calunenſi eccleſie fructuoſus, tum etiam, quia tantam in oculis domini pape & quorundam de fratribus ſuis inuenerit gratiam, quod conatus noſter vix aliquem ſortitus fuiſſet effectum.

Significat, proceſſum habitum in cauſſa, & petit, qualiter ſit vlterius procedendum.

38 Recepto ex parte veſtra mandato, vt de cauſa cognoſcerem, que inter - - ex parte vna, & - - ex altera ſuper - ecclesia vertitur, conſiderato etiam, quod per literas noſtras tribus iam factis edictis partes citate iam fuerant mandaui, vt infra terminum, quem eis peremtorium aſſignaui, meo ſe conſpectui preſentarent, exhibiture & recepture, quod paſtulat ordo iuris; verum pro illis coram me nec procurator idoneus, nec alius comparuit reſponſalis. Licet autem in talibus ſatis prompta & clara iura ſint prodita, quia tamen contra me forſan eo fortius murmurarent, quo facilius contemptui conſueuit exponi, a vobis expecto ſpeciale mandatum, vt ſecundum, quod vobis placuerit, iuſticie ſatisfiat.

Congratulatur amico de reditu, ſignificata ſibi expeditione negotiorum ſuorum facta per alium.

De reditu veſtro gaudentes prompti ſumus ad ea, que veſtrum & domus veſtre reſpiciant ad honorem & commodum. Ecce ſcribimus pro vobis, ſicut vidimus, expedire. Illius yero negotia, que ſunt expedienda apud dominum papam, expediuit magiſter noſter & veſter, qui ſic habet fauorem ſedis apoſtolice, quod non eget ſuffragio alieno.

Illudit fratri diſſoluto debito, quamquam in ſolutione ceſſauerit vſurarum.

Bene feciſtis, quod ſoluiſtis debitum creditori, ſed vſuris non creditur eſſe ſatisfactum, cum de promiſſione magnitudinis veſtre concepta fuerit fiducia, plus habendi, & etiam a tempore mutui annus veſtri gratia ſit elapſus. Sed quid agam, quod frater decipior ſic a fratre? ſane patiar patienter, quia negatum eſt vobis,

&

& curialibus vestris, procurante virtute Campani (a) libertati reddere se conformes, que tantum & taliter vos excussit, taliter nummorum receptacula vacuauit, quod pro gloria ducitis parcitatis remediis inherere, & sic perdita restaurare. De tanto letor, & sufficit mihi minus debito recepisse, sed consulo, vt spes vos deserat de cetero obtinendi mutuum a Johanne, si Romam contigerit, vos venire. Verumtamen si bibliam mittitis, secure sine denario veniatis ad curiam, quia per triduum ministrabo vobis habunde, sicut esse solet mee consuetudinis & nature. Alioquin barbatus fiam vobis, nisi domini mei magistri C. modulata precatio ad aliud me inducat.

Gaudet de incolumitate amici, & significat celer subsidium terre sancte.

Mixturam quandam timoris & gaudii litere per P. quondam exhibite retulere, quum de incolumitate vestra, recepta letitia, habet filius vester, vnde gaudeat, sed de dubiis euentibus obiecta presumptio diligentis animo aliquid intulit ad timorem. Fuit ergo, qui sollicitaret & fratres, & renouati sunt predicatores in Alemannia, Hungaria & Anglia, & renouata est excommunicatio in imperio in omnes crucesignatos, nullius excepta persona, nisi in proximo Martio iter arripiant, & prosequantur arreptum. Ecce dominus rex sollicitavit omnes maritimas ciuitates de regno, vt preparent galeas, que multe sperantur; verumtamen de ipso rege non creditur, quod pertranseat ante Augustum; sed sunt quidam principes, qui non creduntur ipsum in passagio expectare; & quidem credabatur, sicut per alias literas nostras mandauimus, vt in Martio isto transiret; sed quedam impedimenta ipsum hactenus retardarunt, de quibus per Dei gratiam est expeditus omnino.

(a) Gregorium IX. intelligit, quem Fridericus II. etiam a patria Campanum vocat l. 1. epistolar. Petri de Vineis n. 1. p. 81.

Promittit se fauorem impensurum isti, quamquam gratus non fuerit.

Etsi paululum paulus meruit gratis a grato gratiam reportare, tamen ne negligatur in fructu, quod in flore coaluit, diligentia diligenti te Christi gratia liberatum salutis dulcedine te prosequar habundanti, vt sis ab amaritudine prauorum accidentium liberatus & flatibus curatis obnoxius eius innocentie causam a te remouendo abicias, qua nescius aliquando noxius extitisti.

Remissa solutione debiti salutat amicum.

Venit P. amicus negotii pacis, vt cum adiectione fenoris illud adimpleat, quod prefinito tempore sors non soluit. Sane dum interdum alludit facilitas, & aliquando difficultas illudit, spes prorogationem incertam aggreditur. Sed quia potens est dominus, adherendus creditur parti spei. Ad hec organo vocis nostre salutamus P. & M. Ceterum si queratur, cur non singulis scribitur, poterit responderi, quod corpori satisfieri potest in membro, ceteris caritate compacto, & forsan responsioni amminiculum afferret, quod hiis diebus est questio, quid de petro deliciis curie, sollicitudo reliquerit Lombardie. Preterea cum se familiaris facultas obtulerit, commendetis patris beniuolentie filium sub mole carnis sue, vocis modulo in paradisi delicias introductum.

Ad regem congratulatio de amicitia & beniuolentia sua.

Ignotum vos nobis amicum Anglia peperit, exhibuit Italia, & oblata deuotio notum fecit, sicque vos vtcunque amplectimur exaltatum, vt dignum conspicimus & oblatum & vtilem acceptamus, ac de vobis eo tenemus indubitatam fiduciam, & gerimus licet nouam, quo ex nouo consortio nobis Anglia redolet, propter quod non possumus non diligere Anglicos, & ab ipsis non diligi, prout firmiter credimus, non possemus, &

vt in ſuam ſcientiam opinio noſtra pertranſeat veſtram &c. vsque ad promotionem ipſorum, que decus excellentie veſtre reſpiciunt, dilectio noſtra conſurgat.

Significat amico peticionem ſuam fore expeditam.

Longa ſatis expectatione ſuſpenſa petitio, quam in auditorium ſummi pontificis in amici manibus intuliſtis, poſt oportune importunitatis inſtantiam tandem ad exauditionis gratiam introiuit, que fructuoſe & fecundo fauore ſatisfacere poterit deſiderio expectantis.

Exordium de laude amicitie.

Delegata nobis cedula renuit exarari, quia non eſt illa ſocietas commendanda in longis ſermonibus vel loquelis redditur operibus graciosis. Hinc itaque &c.

Significat nepoti ſuo, quod ſi bene ſtuduerit adquiret ei beneficia multa.

Si curſum vite tue dirigis ad virtutes, & bonorum virorum retines honeſtatem, ſi proborum veſtigia ſequeris, improborum conſortium fugiendo, ſi tuos actus nulla fedat infamia prauitatis, beneficia tibi pro viribus acquiremus, quibus viuere poteris condecenter, & librorum vtilium tibi copiam vendicare, quorum ſententiis ad maiora peruenies, ſi longo tempore ſtudueris, & perlecta tue mentis ſeruaueris in theſauris. Studeas igitur vehementer, quia tibi non deficiet noſtra largitas expenſarum.

Significat, quod dilecti pagina remedium attulit ſuper eo, quod non viderat eum in Fogia.

Ingreſſus Ceſaris curiam, curialem illum queſiui, quem diligit anima mea, queſiui & non inueni, coactus, vbi erat, ignorare precognitum, & vbi apparebat, non videre preuiſum. Certe mirabar, quis angulus angularis abſconderat, quem ſcripta per ſingula publicarant. mirabar nouo feſti velamine latuiſſe patentem. Super hiis autem miſſa nuper epiſtola remedium attulit, cu-

ius ministerio absentem Rome recepi, quem presentem auara Fogia denegarat. Sane scribentis merita comparans, & dictis facta conformans, malo te tam credere, quam inuenisse minorem, presertim cum quo legis priuate suffragio non sine publici iuris iniuria tui possessionem animo teneam, corde nunc adeptam.

Significat, quod negotia non poterunt expediri iuxta votum, propter quod in suspenso reliquit ea.

Litteras vestras affectione consueta recepimus & super hiis, que continebantur in ipsis, cum viro note prudentie ac probate virtutis magistro . . opem & operam dedimus iuxta posse. Verum, quo nostra tendebat intentio, possibilitas non peruenit, obstante maioris arbitrio potestatis. Reliquit ergo cautela negotium in suspenso, quousque, notatis circumstantiis vniuersis, expressius liquebat de vestre beneplacito voluntatis.

Commendat equum & insinuat eum vendendum propter quendam.

Si valetis, sic estis, vt volumus, & nos ipsi bene valemus, quod & vos vultis. Adhec de equo latere vos nolumus, quod cursus velocitate incliti, & gressus placentia clerico satisfecit. Sic enim dirigit gressus ad placitum, quod sessoris arbitrium explorare videtur. Verum cum credatur sic esse ad ipsum cuiusdam petentis affectum extendi est enim forte qui eliget, vt potius voluntate vendatur, quam alii voluntate donetur, cum donum huius donacionis titulum preferat, quem extorquet necessitas & liberalitas non producit.

Exponit amico, quod dominus papa non videtur credere verbis propter facta contraria, que sentit in vrbe.

52 Super hiis, que nobilitatis vestre littere continebant, dominum papam adiuimus, qui de venerando pater

patre Anthiocheno patriarcha reſpondit, ſe domino imperatori per litteras reſpondiſſe. De concordia vero, quam ſcitis, idem dominus non videtur credere verbis pape propter facta contraria, que ſentit in vrbe. Sane bona fide loquimur, & in puritate cordis aſſerimus, quod qui conſulit domino imperatori Rome fieri, que ſub titulo nominis ſui fiunt, aut per ignorantiam fallitur, aut per malitiam fallit. Totum enim perditur, quicquid ibi expenditur, & qui interius ſtimulant, ab intimis partis oppoſite motus contrarios eliciunt & acuunt in ſeipſos. Videretur igitur via noſtri conſilii, vt mediator adeſſet, per quem ceſſaretur a talibus, & ſic aditus haberi poſſet ad bonum. Ad quod dominus papa, ſicut credimus, libenter aſſurgeret propter ſubſidium terre ſancte, & imperii Conſtantinopolitani ſuccurſum, nec non quietem populi chriſtiani. Sane hiis diebus non audemus inſiſtere multum conſiliis eo, quod quidam nos arguunt, quia in Lombardia multum fauentes videbamur ad pacem. Et quidem eſt tollerabilius de pacis conſilio maliciose morderi, quam de Guerre diſpendio periculoſe dampnari.

Congaudet amico, quod proſpere ſibi ſuccedit, de ſe ſignificans id idem.

Affectuoſe recepi, curioſe perlegi, & fideliter memorie commendaui, quicquid continebat epiſtola, quam miſiſtis, que quodammodo gemino fungens officio, & mittentis ſtatum explicauit, & eius, cui mittebatur, continentiam exquiſiuit. Vnde non mirum, ſi prompto ſit fauore ſuſcepta, que ad vtriusque votum accedens procurauit vtique ſatisfieri de vtroque. Felicibus itaque letor auſpiciis, quum, ſicut intelligo, proſperitas tibi plenis votis arridet, & vt habundantius tuis deſideriis ſatisfiat, de me id idem inſinuet ſinceritatis affectui remiſſiua.

Non reſpondet amico ſuper hiis, que ſue littere con-

continebant, cum ex alterius facto ſuſpendatur reſponſum.

Non alienum mihi eſt veſtre ſollicitudinis ſtudium, non peregrinus caritatis affectus in hiis, que ad deſiderium accedere videntur amici: ſed illa verba obedientie videlicet & mandati, que nimis humiliter epiſtole principium tenuit, non ſe ſatis ingenio applicare lectoris, cum non habeat imperium par in parem, & ſi vti non crederet relatui applauſus, inſtantiam darem, inferior in maiorem. Ceterum totum id, quod eiuſdem epiſtole ſeries optulit, ymaginatio prompte recepit, ratio diligenter excuſſit, & memoria fideliter reſeruauit, ſed reſponſo ſuperſedere compellor, quod ex alterius facto ſuſpenditur, & ex dubio dependet euentu. Ad hec quia ferre non potuit animus diligentis, vt in plenas humilitate ac dulcedine literas manus violentas extenderet, ad mittentem ſine iniuria remittuntur, cum tollerabilius ſit, vt ſuo ſtent iudici aut cadant, quam alieno forte inſperatum obprobrium lacerationis incurrant.

Mittit equum & commendat eum dupliciter.

Mittitur equus, qui & palefridum greſſus placentia, & dextarium perſone ſtatura preſentat. Sane quod clerici erat, recepit a clerico. In reliquo vero ſi quid forte defuerit, adiectio ſuppleat experientie militaris.

Petit hunc reducendum ad gratiam principis, a qua factus fuerat alienus.

Magiſter P. domini pape notarius ſe ſtare non reputat, niſi veſtro fauore ſubſiſtat. Conſueuit enim animus per incerta vagari, niſi quo tendit intentio, ad effectum ſollicitudo perducat. Sane, ſicut intelligo, per diuerſorum caſuum circumferentias circumfertur, & donec per lineam gratie ad centrum beniuolentie veſtre perueniat, non quieſcit, vtcunque a ſeipſo alienum ſe reputans, niſi eum veſtra prouidentia domeſticum

cum reddat sibi. Porro non attendo signa deuocionis in ipso, dum labia circumcisa considero in hiis, que commodum vestrum respiciunt & honorem. quantum licet & decet imperiali magnificentie supplico, quatinus sic clementie vestre dexteram porrigatis eidem, vt in benignitatis vestre plenitudine assequatur totius sufficiente complementum. Illud autem a memoria vestra non excidat, quod regnum filiis mansuetis debetis, vbera germanis, rigidis vero virgam.

Mandat amico, quod non vult, quod occasione videndi eum, exponat se periculis.

Cum interdum mutuis se affectionibus intueantur & representententur amici nonnunquam in spiritu, quos locorum distantia reddit absentes, nolo, quod occasione meam videndi personam, tuam exponas periculis, cum nihil mihi putem adesse, vnde tibi posset obesse. Verumtamen discurrat inter nos frequens epistola, vt vicaria pagina suppleat defectum absentie corporalis.

Intimat amico sospitatem suam, gaudens de sospitate ipsius.

Noueritis nos per Dei gratiam grata corporis sospitate vigeres, de vestra gauisos. Ad hec latere vos nolumus nuper talem ensem de Thetonia recepisse, quod eius nullum, quem hactenus misimus, reputamus. Ceterum referenda commisimus relacioni presentium portitoris.

Referenda committit relationi nuncii.

Litteris vestris affectuose receptis & auditis, que referre voluit viua voce, sue relationi relinquimus, que vidimus referenda. Congaudet amico de conualescentia.

Audito, vos per Dei gratiam minas egritudinis propulsare, tanto fortius sum gauisus in hoc, quanto salutem vestram mei animi exigit appetitus.

Con-

Congaudet, quod studet, & significat, quod non est immemor commissi negotii.

Gaudeo, te implicitum studio, & vtinam explicitum sit tibi studium, vt plene tuis votis accedat, ad quod votiuus te asseris accessisse. Adhec commissi mihi negocii me non credas immemorem, dummodo teneat rogati memoria, quod frequentat instantia rogatoris.

Rescribit amico, quod non debentur ei gratiarum actiones pro assecutione archidiaconatus.

Litteras tuas affectione consueta recepimus, in quibus pro assecucione archidiaconatus circa nos totus affluebas ad laudes, totus profundebaris ad grates. Porro nil nobis laudis debetur, si soluit tibi iusticia, quod debetur, & acquisiuit ipsum meritum gratiarum.

Rescribit amico, quod consilium non habet in promtu.

Gaudeo, si recessum est ab iniuria, qua nostra iusticia ledebatur iniuste. Ad hec super alio, quod vestre littere continebant, promptum non habeo in presenti consilium, cum nesciam, quem habitura sint exitum, que lator presentium vobis viuá voce referet.

Scribit amico, quod non miretur de litteris sibi commissis.

Non miremini de litteris, quas vobis misimus, quia non ex odio, sed ex alia occasione fecimus, quam scietis, si simul erimus, viua voce.

Insinuat, se indigere equo amici ad opus Capellanie, vel sarcine.

Exiit edictum a domino papa, vt omnes de curia accingantur ad iter, eo, quod ipse terram cum suis fratribus circuibit, & perambulabit eam, supplicaturus regibus & principibus seculi christianis, pro negotio terre sancte. Huic autem negotio cor & corpus offeramus, sed non suffragantur expense. Licet enim in hoc

hoc deſiderium noſtrum pleno proſequamur effectu, defectus tamen equorum retardare poſſet effectum. Cogimur itaque, quod quamquam renuimus, neceſſitati cedente pudore, ſed vt ſic petitoris geramus officium, quod non incidamus in vitium exactoris, inſinuare ſufficiat, nos equo ad opus Capellanie, ſeu ſarcine indigere. Verum, quia in hiis nolumus labiis alicuius detrectatoris exponi, tenor preſentis epiſtole ſit, ſi placet, cuiuslibet alterius noticie interdictus, &, vt interdictum, tale ſeruetur, pagina lecta frangatur.

Significat, quod miſſa remittit.

Miſſa blandimenta ſunt viſui, allexerunt affectum, 66
& dexteram attrahebant. Sed hiis tribus repagulum cuiusdam noſtri propoſiti rigor obiecit. Remittuntur ergo cum gratia ad eum, qui miſit ea, que ſic videantur remiſſa, quod videantur corde retenta.

Querula tue dilectionis epiſtola in amicum aliquid 67
inuectionis habuit, que non ſine nota retuliſſe videtur illud ſalutacionis alloquium, quod de intimis cordis affectibus amici pagina quondam tulerat ad amicum. In quo quid & quantum obligacionis contraxerit ſtatus preteriti temporis, quid & quantum adhuc preſentis condicio debeat, ſatis curialiter, ſatis caute ſcribentis induſtria comprehendit, nec id reuocauit in dubium legentis intellectus. Et quidem clara confeſſione proteſtor, & pura proteſtatione confiteor, me tibi ex pluribus debitorem. Abſit enim me tantum lapſum incurriſſe memorie, vt illum videar obliuioni dediſſe, quem mihi probate fiducie fedus adſtrinxit. Abſit, me tante ingratitudinis vicium incurriſſe, ne credar obieciſſe poſt tergum, que de tua liberalitate recepi, eo maxime tempore, quo ſpes retribucionis ademerat ſterilis & aduerſa fortuna, cum voci manum ſubtraxerat, cum non ſperabatur conſolacionis remedium in aduerſis. Sed miraris, quod adhuc nullius beneficii radius a nobis ad te in

paupertatis manentem obſcuro peruenit, cum felicium ſucceſſuum per Dei miſericordiam iam plene proſperitatis illuxerit illi, qui te alterum fatebatur. Porro kariſſime, a quibusdam recepi, quod tibi votiua proſperitas fecundis blandiebatur applauſibus, ad quod ſe cito diligentis credulitas applicabat, eo, quod facile creditur, quod optatur. Et ecce pro te ſcribo venerabili patri epiſcopo, paratus pro te eidem cuiusuis nexu obligacionis aſtringi, cum nullus de prelatis Theotonie alicuius beneficii genere me potuerit hactenus facere debitorem. Verum ſi forſan obſtaculum difficultatis obiecerit, ſic id ſtudeas reſponſi cautela refellere, quod deſperem ſcribere alii, ſi, quod abſit, ab iſto, de quo plurimum ſpero, deſperare compellat.

Significat religioſis, quod ad litterarum impetracionem ſuarum oportune inſtabit.

68 Non eſt, vnde teneamini nobis ad grates, ſi circa negotium domus veſtre proſequimur, quod debemus. Porro vtilitatis eſt noſtre, ſi quid religioſis accommodum noſtra ſollicitudine procuratur. Cum igitur vobis in nobis intendamus placere pro litteris impetrandis, de quibus ſcripſiſtis, vtemur inſtantia oportuna, dummodo ille, apud quem inſtandum fuerit, non reſtiterit importune.

69 Expeditos non credimus, quos adhuc obligatio tenet, quum etſi de preterito ſit ſollicitum, reſtat aliquid pro futuro ſoluendum, ſolutionis nihilominus debito inter ſalutis debita remanente. Sane tantiſper id miſſis literis comprehenſum, quod veſtre ſanitatis adiecit notitia Thome creuit in tantum, vt de ſe id renuntiet, quod de vobis intelligit nunciatum. Ceterum in tribulacionum & laborum affluentia, que affluunt vtrobique, ſtilus non affluit, quia non ſufficeret carta ſtilo. Potens eſt dominus poſt tribulacionem tranquillum, & poſt nubilum dare ſerenum, ac facere cum temptacione proventum.

Ami-

Amice, dum viuimus, ſic debitum inter nos ſoluatur, quod nos remaneamus amici & ad inuicem debitores. Adhec ſacerdotem illum, cuius rationem expetitis, inter ſacra ſacris orationibus adiuuetis, vt mutuis hinc inde ſuffragiis vtriusque geratur negotium ad ſalutem. Ceterum ſciatis, quod omnes fratres ſint ſimul excepto domino C. quem ſenectus premit, in vrbe. Determinatum eſt, quod regreſſui non eſt apta Campania vsque ad fruges nouas. 70

Significat amico, quod impetrauit literas, quas ſibi transmiſit.

Litteris veſtris affectione conſueta receptis, ipſarum continentiam pleno accipimus intellectu. Sane ſuper negotio, quod miſiſtis ad curiam, literas apoſtolicas impetrauimus, quas vobis transmittimus per preſentem portitorem, parati ad ea, que veſtrum commodum reſpiciant & honorem.

Scribenti reſcribens ſalutem & in libro vite conſcribi. 72
Communis debiti mutua ſolucione, creſcentis obligacione durante, creditoris & debitoris nomen amplector & vinculum relatum. In ius ergo cur trahitur, qui negationis diffugio petitoris animum non ſuſpendit. Licet impoſſibilitas emula ſolucionis adimat facultatem. Doleo ſiquidem, me non eſſe ſoluendo, fore tamen me gaudeo debitorem, & quamuis diligentis atque dilecti vrgeat inſtantia exactoris, ad ceſſionis tamen ſubſidium non recurro, quum eſt in voto plus ſoluere, & in deſiderio plus debere, cum ad accepti rationem pertracti grandi fiducia rei modice ſpes alludat. Adhec in patris nomine quam amici pagina pretulit, rem ignoro, quum ſi a virtutis, vel etatis reuerentia recepit intellectum, attribuitis alii, quod eſt veſtrum; quod ſi forſan aſſumitur a ſacerdotii dignitate, dabit tollerantia, quod patri presbytero ſcribat diaconus filius reuerenter.

Excellentie veſtre litteris deuote receptis, ad id, quod

continebatur in ipſis, affectum pertulimus; ſed non eſt conſecutus effectus, tum, quia treuge inter vos & regem Francie firmate difficultatem ingerunt litteris impetrandis, que occaſione alicuius excommunicationis, vel interdicti, ſcandalum forte aliquod ſuſcitarent. Ne ergo videretur eccleſia regionum perturbare quietem, in talibus opus eſt multa cautela, cum bellorum ſit dubius exitus, & guerrarum incertus euentus. Non miremini de mora curſorum; oportuit enim eos ire ad - - - in curia non preſentem.

Mentiri nolo, verum non poſſum dicere iuxta votum, ſpes tamen grandis offertur, amicus amico faciet quod valebit.

Gaudemus in domino, & in ſue pietatis prouidentia exultamus, quod ex alto reſpiciens veſtre fidei pietatem, vos de captiuitatis anguſtia liberatos, in ſecure ſtationis palacio collocauit. Porro in caſu veſtro cor noſtrum exciderat, preſertim cum ad liberationem veſtram preces noſtre, nullum dudum fructum vel commodum attuliſſe viderentur. Sed benedictus Deus, qui de liberatione veſtra prouidit, & maluit ſibi de miſericordia facta vobis, quam homini obligari. Illud autem latere vos nolumus, quod ad vtilitates veſtras & veſtrorum, quantum dominus dederit, tota virtute conſurgimus & pleno deſiderio aſpiramus.

Gaudemus de ſene veſtro, qui viuit & ſanus eſt, & nihilominus accedit ad gaudium, quod metas ſuſpectas tranſiliens ſpem producit ad vite ſpatium longioris.

Mixturam quandam attulit pagina veſtra, baiula egritudinis, & ſalutis vinum infundens, & oleum ſauciati vulneribus & animo diligentis. Porro &c.

Super hiis, que miſſa pagina continebat, querentis ſolicitudini reſpondetur per ea, que cedula continet interclusa.

Intelleximus honorabilem eſſe parentelam de (*qua*) ſcripſiſſetis, & credimus eſſe ſani conſilii, vt perficiatur pru-

prudenter, quod vtiliter eſt inceptum. Sane de die conſumacionis non eſt noſtrum dare conſilium, cum id ex veſtre poſſibilitatis dependeat apparatu. Audiuimus enim, quod quadraginta (*quadringentae*) vncie deducuntur in dotem, de quibus trecentas ad preſens debetis exſoluere, & centum noſtre diſpoſitionis arbitrio reſeruantur. Super quibus ſcire vos volumus, quod in hiis non intendimus obligari, ſed affectum, quem hactenus ad dominum P. & ſuos habuimus, volumus ſub obligacione reſtringere, ſed in plena libertate ac mera liberalitate ſervare.

Ex literis veſtris duo collegimus feſtinanda, videlicet vocationem ab auunculo veſtro & bonum exhortacionis ad pacem. Sane vnum non proſequimur, relinquentes id prouidentie illius, qui vos cum tanta celeritate vocauit. Ad ſecundum non ſufficimus, quum tum ex altera parte vix ita exquiſita forte poſſet haberi, que nihil dubitationis admitteret, & ad quam ſe preciſe pars preſens in alterius preſentia obligaret.

Procuratorem miſiſtis ſatis induſtrium, ſed mandati & expenſarum ſufficientem nondum. Et ecce reuertitur, alio pro vobis in curia remanente. Ad hec ſcire nos (*vos*) volumus, quod duo videntur debilitare cauſe veſtre proceſſum, vnum in facto, & aliud in iure. Conſiſtit in facto detentio obſidium, in iure compoſitio facta coram venerando patre tit. tit. - ſancti presbytero cardinali. Ceterum ſciatis, quod dominus noſter locutus eſt diligenter cum nunciis ducis de oppreſſionibus clericorum, & ſpes dari videtur in bonum, ſi verbum facti conſortium non declinet.

Super hiis, que veſtre magnitudinis litere continebant, quod potui, feci, & adhuc experiar, vt affectus plenioris poſſibilitatis proſequatur affectum. Sane deliberatum eſt de regreſſu in Campaniam, cuius deliberationis notarius S. deuotus veſter atque fidelis exponere poterit viua voce. Receptis autem veſtris literis &

intelleƈtis, que propoſuit idem S. fuit a priori delibera-tione receſſum.

De continentia veſtra petimus certificari frequenter, &, vt de noſtra veſtro deſiderio ſatisfiat, ſignificamus, nos per Dei gratiam grata corporis ſoſpitate vigere.

Nuncii veſtri iuxta deſiderium noſtrum non profi-cientes, de noſtro conſilio reuertuntur, & nos pro vobis oportuno tempore, quod poterimus, faciemus.

Credentes vos de nobis proſpera libenter audire ſi-gnificamus, nos per Dei gratiam grata corporis ſoſpitate vigere, quod de vobis & veſtris audire pleno deſide-ramus affeƈtu.

Gaudemus ſtatum veſtrum & veſtrorum felicitate florere, & quia de proſperis noſtris noua libenter audi-tis, ſignificamus, nos per Dei gratiam grata corporis ſo-ſpitate vigere. Ad hec de peticionibus veſtris nobis p-- ex parte veſtra exhibitis vna que tangebat -- eccle-ſiam promoueri (*non*) potuit, & cauſam difficultatis idem referre poterit viua voce. Vnde non eſt, quod impu-tetur eidem, nec nos negligentia notat, ſi ſemper ad votum non ſuccedit euentus.

Gaudemus, ſtatum veſtrum eſſe felicem, &, quia de noſtro certificari petitis, ſignificamus, nos per Dei gra-tiam grata corporis ſoſpitate vigere.

Letati ſumus in hiis, que de Martino nuper ſcripta ſunt nobis, ſed quum res eſt ſolliciti plena timoris amor, nos amor vtcunque ſollicitat, quod nondum negotium eſt in tuto.

Miſſus a vobis nuper pannus forte fuiſſet cum deuo-cione remiſſus, ſi ex hoc potuiſſetis induci, & facile cre-dere, dona renuere hominem veſtre ſortis. Verum quia publicata quandoque per literas noſtra credere creduli-tas non decreuit, cautius fuit, cum gratiarum aƈtione recipi, quod miſiſtis, quam ſub dubii credulitate re-mitti.

Planetam quandam doxa meto contuliſtis albo eccle-

ſie

ſie Lateranenſis. contuliſſe me fateor, vſui mihi ſeruatam duntaxat, quam diu canonicorum eiusdem eccleſie placuerit voluntati. Verum ne huiusmodi rei notitie aliquid lapſu temporis ſubtrahere poſſit obliuio, id in prorogationem ſeruande memorie preſenti pagine commendaui.

Scripſiſtis, quod Mattheus, nepos noſter, ex parte noſtra vobis promiſit, pro filia veſtra tradenda nuptui, auri vncias quadraginta, ſed latere nos nolumus, quod ſuper hoc ipſe nullum a nobis mandatum accepit, nec ſua potuit nos promiſſione ligare.

Poſtulationis oblate per diligentem procuratorum veſtrorum inſtantiam pulſauit ad audientiam principis, ſed clauſa ianua gratie, ad exauditionis nuptias non intrauit. Sane probationum ſuffragiis etas non indiguit poſtulati, que multorum annorum producta curriculum ſenium reſpicit de propinquo. Seruat autem nobis ad hec ſedes apoſtolica quosdam teſtes, qui ex antique conuerſationis notitia receperunt, quod magiſtro W. ſufficere poterit ad probandum diu nunciate principium ſenectutis. Adhec de - - per preſentium portitorem nobis exhibitis mittentis gratiam pluries proſequimur actionibus gratiarum.

Preſentata nobis ex parte veſtra petitio, propter egritudinem bone memorie h. (a) ſummi pontificis, ad exauditionis gratiam non peruenit. Quia tamen in conſiſtorio ſucceſſoris, nondum inferendam prouidimus, tenentes eam in hoc nouitate ſuſpenſam. Verum, quia firmiter credimus & nullatenus dubitamus, quod ſi peticionibus iſtis dehusmodi dominus noſter aperuerit ianuam gratie, veſtra ſecundum petitio optinebit ingreſſum. Conſulimus tamen, quod a venerando patre domino - - epiſcopo obtinere competentes expectationis inducias ſtudeatis.

(a) Honorii III. a. 1227. vita functi.

Cum deſiderata diu preſentia veſtra haberi a nobis ſperetur in breui, ſuper hiis, que miſſa pagina continebat amici, reſponſum viue voci relinquitur, pro preſenti, petita venia ſcripture, negatur.

Volentes in veſtris vti libere voluntatis arbitrio, de hiis, que miſiſtis quedam cum gratiarum actione recepimus, & quedam ſinę mittentis iniuria remittuntur. Ad hec latere vos nolumus, quod id, quod in domino poſſumus, vobis & monaſterio veſtro deberi (*debeatur.*)

Ad grates aſſurgo, quia de veſtro Thoma grata libenter audiſtis. Vt igitur ſcribentis deſiderio ſatisfaciat, noueritis, me optata corporis & anime ſoſpitate vigere.

Oblata veſtra petitio de illarum genere creditur, que vix optinet ad gratiam exauditionis ingreſſum, cum petentis non turbetur affectus, ſi quid rariſſime conceditur, inueniatur huic eſſe negatum. Verum cum ad inductionis applauſum veſtri procuratoris inſtancia de ·· & de - aſſumeret argumentum, vim exceptionis eliſit negacio precedentis, in hiis tam preteritum quam futurum ſub ſua negacione concludens.

Tot, & tantorum manibus, caritatis veſtre petitio fuit in adiutorium ſummi pontificis introducta, quod ſatis habuit fauorabilem, & facilem impetracionis effectum. Inter quos nec primum me cenſeo, nec dico poſtremum, vt ſic ſaltem inter medios me reputetis amicos.

Recepta veſtre caritatis epiſtola, cum iam mihi menſa pararetur ad cenam, minus ſatisfactionis ſolite obtinuit exactio ventris, quum deſiderium vrgebat amici, ne inſinuata petitio more diſpendium pateretur, quin potius expedite introduceretur ad principem, perſuaſionibus & ſupplicationibus promouenda. Et quidem vt de contingentibus nil omitterem, nec ſine hiis, que gratanter accipiunt hodie aures maiorum, vacuus in conſpectu principis reputarer, poſt beniuolentie, ne dicam, adulacionis peticionem obtuli, preces adieci, & quicquid ſupplicatio potuit, ſum expertus. Verum tamen

men ſic rigor preſidentis inualuit, quod petitis obiecta repulſa, intentionem petentis eliſit, cauſam petitionis illuſit & exprobauit inſtantiam ſupplicantis. Non igitur imputetur amico, ſi ſic rogatus obduruit, quod emolliri non potuit ſollicitudine rogatoris. Adhec noueritis, quod de id pro certo tenetur, quod apud vos dubium habeatur.

Recepta cari petitio licet ad audientiam principis invenerit aditum, adhuc tamen ad exaudicionis gratiam non peruenit. Sed forte proſecutorem negligentia arguet, quaſi non pleno deſiderio ad deſiderium petitoris acceſſerit, cum non veroſimile, quin ſpei, prima precum oblacione concepte, frequens ſupplicationis adiectio ſucceſſori non dediſſet effectum. Porro, kariſſime huiusmodi calumpnie notam interceſſoris affectus non patitur, qui maluit petita ſuſpenſa relinquere, quam ſpem petitorum promiſſione concepta per nimie importunitatis inſtantiam extinguere ante partum. Sic igitur ſpes pro voto ſuccedere poterit, quod ſequentibus beneuolentia principis in ſimilibus annuet, veſtra multitudo precaminum non retardet.

Gratum gerimus & acceptum, quod magiſter Johannes vtilitatibus veſtris (*inſervit*) cum noſtrum ſit, quod fecerit vobis. cum autem ipſe de mandato domini pape ad vrbem venerit, ſuperfluum credimus, quod noſtra licentia vtatur in mora, cum ſufficere poſſit auctoritas maioris eidem.

Vidimus literas, quas miſiſtis, & ſcribentem agnouimus in ſcriptura. Sane conſideratis, que miſſe pagine tenor habebat, non vidimus, quod habere poſſitis in ordine turbato quietem. Reſtat igitur prouideri vobis de commutacione ſalubri. Vnde prouidentia veſtra ſpecificet, in quo velit ordine commutari. Mittens inclinat ad grates eo, quod miſſa ſunt admiſſa gratanter, que receptione creuiſſe videntur, cum multum eis adieciſſe credatur hylaris recipientis affectus. Sane ſalutis auctori di-

diligens pro dilecto vitulum immolat gratiarum eo, quod tertiana iam tertio ſigno defecit. Ad hec de reſcribente ſcribens quid ſentiat, pagine non committitur reſponſiue.

Ad proſecutionem negotiorum veſtrorum damus, quantum poſſumus, opem & operam efficacem, cum in illorum effectum noſtrum proſequamur affectum.

Petitio veſtra ſuper beneficio - - per nos extitit in adiutorium principis introducta, ſed ad exauditionis gratiam non erat introducta. Petitiones enim huiuſmodi obſtaculum tante difficultatis inueniunt, quod quaſi omnem opem promocionis amittunt. Nulla ergo nos in hiis apud amicum negligentie nota notet, cum non ſemper ad votum ſollicitudo perueniat, nec effectum conſequatur affectus.

Scribentis affectum aduertimus, & notauimus verba ſcripture. Sane cum veritas finali iure ſubſiſtat, licet interdum impetatur iniuria, ſic in Deo dabimus & opem & operam, quod de oblocucionis pharetra emiſſe ſagitte, oppoſito iuſticie clipeo, ius ledere non poterunt innocentis.

Gaudemus in Domino, qui ſic in vobis, ſicut frequenter audiuimus, affluit plenitudine gratiarum, quod eſtis iam conuerſationis exemplar, morum ſpeculum, norma vite. Dignis itaque laudibus proſequentes affectum, quem ad viros religioſos & operam religionis habetis. Scribimus fratri noſtro de - - ad opus fratrum predicatorum de Capua prout credimus expedire. Ceterum cum tanti boni fore nolimus expertes, offerimus ad proſecutionem tam laudabilis operis ſubſidium pleno poſſe.

Super hiis, que miſſa pagina continebat, quod ad intellectum legentis diligentia pertulit, ad effectum exequentis ſollicitudo perduxit. Et quidem ſcripti tenorem aduertimus & apprehendimus interiora ſcribentis, ſuper quibus per . . epiſcopum reſpondemus.

Ex-

Excuſacionis aliquid attulit epiſtola, quam miſiſtis, & nuncii adiecta relatio inuenit credulum auditorem, preſertim cum amor ex intimis allegaciones pertulerit ab amico.

De manu Dyoceſani epiſcopi metuunt &.. preſertim portitores, & de metropolitana dextera non confidunt, ſed ad alterum redire coacti elegerunt ſub ſpe minoris diſpendii (nobis brachio) minus premi, ne rudis aut ruſtici mole aut malitia potius atterantur.

Pro duobus clericis literas veſtras recepimus, quorum alter peruenit ad votum, remanente reliqui deſiderio in ſuſpenſo. Ad hec noueritis, quod ſpem dantis & recipientis eliſit cum factus maior non ſoluerit, que minor ſub futuri temporis expectatione promiſit.

Magiſtros R. & O. miſſos a vobis, pleno deſiderio & affectione tota recepimus, vos ipſos recipientes in ipſis, preſertim cum & ſuorum euentum, & mittentium miſſionem recipientis anticiparit effectus. Sane ipſorum relatio dulce attulit & amarum. Dulce, dum propoſitio cum deuocione procederet; amarum, dum contemptum veſtri propoſiti ſeries allegaret. In quo prudentis circumſpectio poſſet aduertere, quid tolerabilius eſſet contempnere, vel contempni, cum contemptus culpam in contemptore notaret, & contempnens quandam infligeret penam contempto. Porro que ſit elatio capitis in membrorum contumelia, non videmus, nec capud dici poterit, membris contemptis, in gloria glorioſum. Ergo, kariſſime, credatis firmiter & nullatenus dubitetis, quod circa vos nec fuit, nec eſt animus contempnendi; quin immo infirmo propoſito gerimus honorem & ſtatum ipſorum tam in conſiliis requirendis, quam aliis illeſum & integrum conſeruare, cum noſtra interſit, eos honorare, vt principaliter honoremur in ipſis.

Credimus literas eſſe veras, quarum tenorem ex parte veſtra nobis exhibita cedula preſentauit. Miſſis autem

tem peticionibus manum, promocionis optatę dare nequimus, quia preſentes in curia non eramus; oportuno vero tempore tam illius, pro quo ſcripſiſtis, quam aliorum, pro quibus curabimus promouere.

Paternitatis veſtre litteras affectione prompta recepimus, & ea, que continebantur in ipſis, prout veſtris vtilitatibus expedire videbimus, dabimus iuxta poſſe oportuno tempore opem & operam efficacem. Porro ſic peticiones ſuas veſtra conſueuit circumſpectio moderari, quod eas vel iuris neceſſitas, vel gratia honeſtatis ad exaudicionis producit effectum. Libera ergo fronte, ac ſecura conſcientia negotiis veſtris manum auxilii dabimus, in quibus proſequentis deſiderium metas iuſticie debite, vel competentis terminos gratie non excedit.

Preces veſtre apud nos care ſunt, & eas libenter executioni mandamus. Verum, quia ille, pro quo rogaſtis, eſt omnino nobis incognitus, expedit propter integritatem conſcientię noſtre, vt queramus, quis ſit aut qualis, vt ſecundum, quod poterimus inuenire de illo, petitionem formemus, quę ad exauditionis gratiam apud dominum papam ſine creatoris offenſa ſalubrem poſſit habere progreſſum.

Fatemur nos veſtro monaſterio debitores. Cum ergo neceſſitas vrget, vel vtilitas exigit, auxilium & conſilium noſtrum poteritis inuocare ſecure, quum in veſtris negotiis, quod poterimus, faciemus, & ſi quid forte poſſibilitati defuerit, id vtcunque ſupplebit habundantia voluntatis.

Miſſa blandimenta ſunt vſui, allexerunt affectum, & dexteram attrahebant. Hiis autem tribus obſtaculum ſola inhibicio ſuperioris adiecit. Remittuntur ergo cum gratia ad eum, qui miſit ea, cuius prudentia gerere poterit, vt reſumpta non credantur eſſe recepta, & cuſtodita non videantur eſſe remiſſa.

De manu domini duplicem ſentiuimus miſericor-

diam

diam hiis diebus, correctionis videlicet per viſitacionem infirmitatis, confortacionis per propiciationem ſalutis. Super vtroque igitur offeratis nobiſcum, eidem vitulos labiorum. Ad hec recommendamus vobis in domino kariſſimum amicum noſtrum venerandum, patrem-epiſcopum cum in noſtris & veſtris manibus pendeat eius vita.

Peticiones Abbatis ſancti Dyoniſii ad audientiam domini pape perduxi, verum ille, pro quibus pulſabat ad gratiam exaudicionis non inuenere fauorem, ſed que fuere ſorte contente communi finem promocionis ſolite attigerunt.

Encinia nuper miſſa ſunt nobis; que facultatibus digna maioribus, vt in excellentioris poſſeſſoris dominium tranſeant, domine regine vſibus duximus ilico, deputanda.

Salutis effectum prolixis amici ſermonibus ſatisfacere nequit ad preſens breuis epiſtola, quum relatione pendente illius negotii, quod vos ſcitis, expedit ſuſpendi reſponſum. Ad hec Domino Metenſi non ſcribimus, deſiderantes ei placere plus facto, quam verbo.

Ad ea, que commiſiſti, latori preſentium, vtique viro prudenti, quantum cum Deo poſſumus, manum noſtre poſſibilitatis extendimus prorogantes affectum etiam ad id, quod attingere nequibat effectus. Credimus tamen quedam, que conſcientie veſtre ſatisfacere poterunt, fore ſalubriter prorogata.

De fecundi pectoris cellula progrediens epiſtola, quam miſiſtis, multimodas inductionum ſpes attulit; ſed in eo precum inferebat inſtantiam, in quo rogati animus plenis preueniebat affectibus deſiderium petitoris. Sane adiectione plenitudo non indiget, nec impulſandum creditur, vbi patentia hoſtia clauſuram neſciunt, & repagulum non admittunt. Ecce iam aperta fuit ianua cordis noſtri negocio, quod offertur, nec ei clauditur, quin potius aperitur, cum iam diu ad proſecu-

cutionem manum extendimus, nec credimus fuiſſe remiſſos. Verum quia metas noſtre poſſibilitatis excedit, vtendum maioribus ſubſidiis, vbi non ſufficit ſollicitudo minoris; non tamen noſtrum excludimus ſtudium, affectus ſubtrahimus conſuetos, nec opem & operam reuocamus, & quod in domino poſſumus cum honore eccleſie amico tam circa iuſticie debitum, quam circa libertatem gerere, quod poſſumus, non negamus, credentes, potentiam ſic eſſe ſublimium immutandam, vt contemptus humilium, ſuffragia non excludat.

Gaudemus ſtatum veſtrum eſſe felicem, & quia de noſtro certificari petitis, ſignificamus, nos per Dei gratiam grata corporis ſoſpitate vigere. Ad hec nouerit veſtra prudentia, quod petitio, que remittitur per preſentium portitorem., in ea forma, qua fuit exhibita, ſecundum vſum curie nec debuit, nec potuit promoueri. Et immutare ipſam diſtulimus, ne ſi forme mutacio a negocii natura recederet, fraudaretur euentu impetrato literarum. Verum ſi dati ad petitionem partis alterius iudices, per ſententiam aliquam in grauamen veſtrum proceſſerint, reſtat appellationis remedium, per quod & poterit releuari grauamen, & facilius cauſa committi. Ad hec petitionem quandam, quam quidam alius nomine veſtro promouere volebat, prouidimus, ſi placet, vobis ſub quadam cautela differri, quum caſus huiuſmodi prouidentia melius, quam exacta ratione curatur.

Quem & qualem & quantum ad paternitatem veſtram Neapolitana ciuitas gerat deuocionis affectum, quondam de auditu didiceram, non de viſu. Certe ciuitatis eiuſdem ciuibus, quibus multum ſolatii, multum defenſionis abſentia veſtra ſubtrahere videbatur, ſatis venit ad commodum id, quod veſtre finis epiſtole continebat, & quidem bonum fuit id pectoris veſtri & animi conſuetum, vt vos veſtris vtilitatibus ſubtrahentes ad vtilitates fidelium domini ſalubriter accedatis, &

quia

quia ſentiunt, quod prediɛtis N. ciuibus veſtra preſentia conferebat, cum in abſentia iam manus auerſa noceret ſub ſpecie pacis periculo ſuis ſeuiens & ledens diſpendioſius in occulto.

Non reuocamus in dubium, ſic vos Ceſaris vrgeri negociis, quod de paſtoralis officii debito voto ſatisfacere non poteſtis ad preſens, ſperamus tamen in domino, quod nata oportunitate temporis manus mittetis ad fortia, in futuro ſupplentes, quod omittitur in preſenti. Ad hec quia de cari veſtri continentia certificari petiſtis, accipite, nos poſt egritudinis minas per Dei gratiam ſentire blandimenta ſalutis.

Venerabilem patrem Albanenſem epiſcopum vobis olim ad deuocionem Legionenſis aſſumpſit eccleſia, ſed poſtremo ad honorem & commodum eccleſia Romana promouit. Porro ſcio, & experimento cognoui, quod honoribus ſic totus inſiſtit, & ad vtilitates ſic votiuus anhelat, quod & preſentat, quem in Legionenſem concepit affectum, & exhibet, quem apud ſedem apoſtolicam ſuſcepit, effectum. Ecce prudens ſinceritas, ecce ſincera prudentia, quod, licet terre ſancte ſubſidium eundem abſentet ad tempus, ne tamen veſtris videatur abeſſe negociis, prouidit, per quos exhibeat ſe preſentem; inter quos vices eius ſuſcepiſſe me fateor iuxta poſſe. Ex hiis igitur, aſſumpta fiducia, magnitudini veſtre P. latorem preſentium, nepotem ipſius epiſcopi, recommendo ſecure, rogans, quatinus, quem ad patruum geritis, in nepote monſtretis affectum. quod procul dubio tanto feruentioris dilectionis habebit indicium, & purioris pudicitie argumentum, quanto pauciores poſt terga inueniuntur amici, & rarior occurrit affectio, que abſentem proſequatur amicum. Verum vt intelligat excellentia regia, qui preces eliciant, & admiſſio precum quid obligacionis inducat, palam loquor & publice fateor, quod idem epiſcopus ſtatui meo dedit initium, dedit quoque progreſſum. Ad hec cum

cum firmiter credam & nullatenus dubitem, quod, quantum in vobis fuerit, inueniet peticio noſtra fauorem, ſi aliunde, quod abſit iminere viderit difficultatis obſtaculum, prouidentia veſtra reſcribat, quo valeat ſtudio, quaue cautela repelli.

Querula tue caritatis epiſtola nimis proſpere, nimis mane feſtinauit ad vrbem, in qua de preteriti ſtatus videris ſuſpiraſſe quiete, ac preſentis ſollicitudinis vix ſperare. Conquereris, Lyam tibi ſuppoſitam pro Rachele; conquereris, ad multorum te curam vocatum, qui ſub cura cuiusdam alterius feliciter quieſcebas, a mundi ſtrepitu dormiens, & ſtudio vigilans regulari; conquereris, quod manum datam Marie, Martha reuocaſſe videtur. Sed vide, ſi habeat de radice iuſticie tua querela progreſſum. Vnde ſi probabiliter conqueraris, aliquid tibi per adiectionem, vt ſic dicam, ſubtractum, cum & Lyam habeas, & Rachelem. Sic enim eſt abbas, qui monachus eſſe non deſinis. Vnde Lya & Martha, Rachael & Maria inueniunt, que ſua ſunt. Cum per illius gratiam, qui dat omnibus affluenter & non imponit habundanter, habes in quo & illis ſatisfiat & iſtis. Quare non eſt inter ſorores emulacionis occaſio, cum materia ſuperhabundet. Ne mireris, te prelacione ſubiici & ſubiectione preferri. quum, dum prelationis debito pro ſubiectis te curis adminiſtrationis exponis, miniſterio magiſter efficeris, & minoratione concreſcis, eo quod maior eſt, qui miniſtrat, quam cui miniſtratur, & ſic quaſi nihil de preterito preſens ſubtraxit adiectio, cum ſis, quod fueras. Nam ſubiectus factus, quod non fueras, prelatus exiſtens, & gemino fungeris paſtoris officio, prelatus es enim pariter & ſubiectus. Compeſcantur lacrime, ceſſet murmuratio, & conqueſtio conquieſcat; quum, ſi volueris, leua poterit eſſe ſub capite tuo, & dextera in amplexu. Si volueris, aduerſus Amalech cum Joſue pugnabis in valle, & interdum pro populo Dei cum Moyſe orabis in monte.

te. Si volueris, eris in tabernaculo iacinctus; si volueris, vt candelabrum in templo domini & cherubim super archam te poteris exhibere; si volueris, bos & ouis in sacrificio esse potes; si volueris, cum Petro, Jacobo & Johanne in monte ascendes, & quandoque inferius cum reliquis remanebis, interdum ad ea, que sunt contemplacionis, ingressus, prout vicissitudo temporum exigit, & necessitas administrationis exposcit. Et quidem non ad populum ignote lingue, siue profundi sermonis es missus, quum ad monachos monachus, non ad domum exasperantem, quum regularis ad regulares. Sed, vt video, sola contra te pusillanimitas potenter insultat, vt sola defectio animi te prosternat. Nondum venisti ad altitudinem maris, & tempestate demergeris; nondum ventis vela dedisti, & iuxta litus modice fidei metuis de profundo. Aliquid ergo conquereris. Porro pro mandragoris datis quinque Racheli te Lya conduxit. cum olim te monachum simplicem circa cuiusdam obedientiarie commissa negotia talem te temporalium cura probauerit. quod fidelis in paucis, meruisti constitui supra multa. Ad quid conquereris? debuit accendi lucerna, & poni sub modio aut supra.

CATALOGVS ARCHIEPISCOPORVM COLONIENSIVM VETVSTISSIMVS, EX QVO LEVOLDVS A NORTHOF SVA MAXIMAM PARTEM DESVMPSIT.

Sanctus Maternus, discipulus sancti Petri, primus Coloniensem rexit, simulque Trevirensem ac Octaviensem adeptus est Episcopatum anno Dominice incarnationis XC. quarto, quo anno Cesar Domicianus a senatu occisus est, sedensque annis XL. obiit Colonie sub Adriano Imperatore anno dominice incar-

nationis CXXXIV, XVIII. Kalend. Octobris. Quo comperto Trevirenses cum Tungrensibus conveniunt, ortaque lite, vbi condendus esset, angelico monitu in navim positus contra torrentem, in locum qui Rodenkirchen dicitur, dirigitur, ibique a Trevirensibus exceptus, cum sancto Euchario & Valerio honorifice tumulatur.

Dein vsque ad Eufraten (*vocabulum hoc recentior manus adscripserat*) nullus ecclesie Coloniensi prefuisse invenitur, qui ideo in catalogo pontificum non ponitur, quoniam pestifero hereticorum dogmate in ipso inicio ecclesiam fedauit. Secundo loco sanctus Severinus ponitur. A beato autem Materno vsque ad sanctum Severinum computantur anni CCLV. Si quis autem querat cur tanto intervallo Episcopatus vacaverit, sciat autem post obitum beati Materni eos in paganismum relapsos, aut, si qui Episcopi fuerunt, ob persecutionis seuitiam latenter ecclesie prefuisse, vel certe, sicut beatus Maternus, sic successores eius cum Trevirensi Coloniensem ecclesiam regebant. Sed quid horum potissimum eligendum sit, prudens lector videat.

Tertius sanctus Evergislus, discipulus sancti Severini, quique in obitum beati Martini ymnum Angelicum cum magistro audire meruit, qui postea apud Tungris, que & Octavia dicitur martirizatur.

Quartus Solatius.

Quintus Sinnoveus.

Sextus Remedius.

Septimus sanctus Kunibertus, qui sedit in Episcopatu annis XL, fuit temporibus Eraclii Imperatoris, & Constantini, filii eius, Rege autem Frankorum Dagoberto.

Octavus Bochadus.

Nonus Stephanus.

Decimus Aldewinus.

Vndecimus Gyso.

Duo-

Duodecimus Anno. Hic ſepultus eſt ad ſanctum Severinum.

Tertius decimus Faramundus.

Quartus decimus ſanctus Agylolphus. Hunc Karolus maior, avus Karoli magni contra rebelles regni, cauſa pacis miſit, a quibus crudeli morte peremptus, martirio decoratus multis miraculis claruit.

Quintus decimus Regenfridus.

Sextus decimus Hildegerus. Hic cum Pippino Rege patre Karoli magni ad bellum contra Saxones profectus, occiſus eſt in monte Wiburch.

Septimus decimus Bertheminus ſub prefato Pippino ſedit ann. X.

Octavus decimus Richolphus ſub Karolo M. ſedit ann. XXII.

Nonus decimus Hildebaldus ſub prefato Karolo annis XXXIV. Hic Lodowicum filium Karoli vnxit in Regem.

Viceſimus Attabaldus ſub Lodowico filio Karoli annis XXII.

Viceſimus primus Guntherus ſub Lodowico filio Lodowici. Hic a Nycholao Papa excommunicatur, & ob hanc cauſam, quam dicturi ſumus. Lodowicus Imperator, filius Karoli magni habuit filium nomine Lotharium, cui Ytalie regnum commiſit. Qui Lotharius amore celeſtis regni relinquens terrenum, Prumye monachum ſe fecit, relicto regno filio ſuo Lothario. Qui Lotharius habuit concubinam nomine Waldradem, ſororem Guntheri, Archi-Epiſcopi Colonienſis predicti. Quam inſtinctu Guntheri eiusdem ſuperduxit legitime vxori Thypergae, ob quam cauſam a Papa idem Guntherus excommunicatus eſt. Sed poſt interdum epiſcopale officium vſurpans penitentia ductus, Romam veniens minime reconciliari valuit. Ferunt iterum eum divinum officium vſurpare volentem apud Xanttum ab angelo ſacris veſtibus exutum, & ante altare occiſum.

Vicesimus secundus Williberthus sub Karolo iuniore. Hic ecclesiam beati Petri Colonie dedicavit, sedit annis XX.

Vicesimus tertius Hermannus, quem pium vocant, sub Arnolpho, Lodowico, & Conrado imperatoribus. Sedit in Episcopatu annis XXXV. sepultus in ecclesia sancti Petri.

Vicesimus quartus Wicfridus sub Henrico primo sedit in Episcopatu annis XXIX.

Vicesimus quintus Bruno sub Ottone primo, cuius & ipse frater exstitit. Hic pre ceteris antecessoribus suis Coloniensem Episcopatum ampliavit. Nam preter alia, quibus ecclesie profuit, etiam ducatum laudabiliter retentum successoribus suis reliquit. Corpus etiam sancti Evergisli Coloniam reduxit, sed & baculum beati Petri Apostolia Metensibus ablatum, quem Trevirenses cum multis sanctorum reliquiis illuc tempore persecutionis miserant, Coloniam detulit. Cenobium quoque sancti Pantaleonis instituit, in quo & sepultus est. Sedit annis XII.

Vicesimus sextus Volcmarus sub prefato Imperatore Ottone sedit annis quatuor.

Vicesimus septimus Gero, vir bene religiosus. Hic Abbatiam sancti Viti in Gladebach instituit. Fuit tempore Ottonis primi, & filii eius Ottonis secundi. Sedit annis VII.

Vicesimus octavus Warinus. Hic Trevirensibus petentibus, partem baculi beati Petri reddidit. Fuit sub predicto Ottone secundo. Sedit annis novem.

Vicesimus nonus Evergerus. De hoc ferunt, quod predictum Geronem vivum sepeliri fecit. Laborabat enim in firmitate capitis, vt sine sensu iaceret. Tunc penitens Romam venit, Pape que egit, confessus est. Qui pro correccione ei iniunxit, vt, si quam in dyoscesi sua congregationem labefactam sciret, hanc datis subsidiis repararet. Ille rediens Cenobium sancti Martini Co-

Colonienſe datis ſubſidiis melioravit fratres illuc adunavit, & Schotis in perpetuum tradidit. Fuit ſub Ottone tercio. Sedit annis XV. Sepultusque eſt ad ſanctum Petrum in eccleſia Colonienſi.

Triceſimus ſanctus Heribertus, qui Abbatiam Tuitii in honorem Dei genitricis Marie inſtituit, ibique ſepultus multis miraculis claruit. Fuit ſub Henrico ſecundo. Sedit annis viginti & vno.

Triceſimus primus Pilegrinus. Iſte monaſterium Colonie, quod dicitur ad ſanctos Apoſtolos conſtruxit, & congregationem XL. canonicorum illuc adunauit. Floruit ſub Conrado Imperatore ſecundo. Sedit annis XV. Sepultus eſt ad ſanctos Apoſtolos.

Triceſimus ſecundus Hermannus, quem nobilem vocitant, ſub Henrico III. Sedit annis XX. Sepultus eſt ad ſanctum Petrum.

Triceſimus tertius ſanctus Anno, flos & noua lux totius Germanie, qui cunctos anteceſſores ſuos in augmentatione Colonienſis eccleſie preceſſit. Ante ſuſceptum Epiſcopatum prepoſitus erat in Goslaria. In vita ſua fecit monſtra, & in morte operatus eſt mirabilia, vnde & in omni ore quaſi mel indulcabitur eius memoria. Preter innumera beneficia que Epiſcopio contulit, preter plures eccleſias, quas in diverſis locis conſtruxit, preter hoc, quod nullam in dyoceſi ſua congregationem dimiſit, quam ſuis non ampliaret donis quinque opulentiſſimas congregationes inſtituit. Allodium illud celeberrimum, quod Salevelt dicitur, Epiſcopio adiecit. Superſedeo de eo ſingula dicere, quoniam, etſi nos de eo tacuerimus, lapides clamabunt. Floruit temporibus Henrici quarti Auguſti. Sedit in Epiſcopatu viginti annis & ſemiſtri. Sepultus eſt in Cenobio ſuo Sybergh, vbi innumeris claret miraculis.

Triceſimus quartus Hildolphus. Qui cum capellanus predicti Imperatoris Henrici eſſet, ſanctus Anno ei predixit, quia poſt ſe recturus eſſet eccleſiam Colonien-

nienſem. Fuit ſub prefato Imperatore Henrico quarto. Sedit annis vix quinque.

Triceſimus quintus Sigewinus, Decanus ſancti Petri, de quo beatus Anno ſimili modo predixit, & vaticinavit. Et ipſe ſub eodem principe floruit. Sedit annis decem.

Triceſimus ſextus Hermannus, quem diuitem dicunt. Cuius vtique diuitie profuerunt eccleſiis Chriſtianis. Fuit ſub prefato Imperatore. Sedit annis decem & menſibus quinque. Sepultus eſt in capitolio Sybergenſi.

Triceſimus ſeptimus Fridericus, magis inſtantia predicti Imperatoris quam per electionem Epiſcopatum adeptus. Nam vsque ad illud tempus Imperatores annulum & baculum dabant. Hic Fridericus vir pulcherrimus erat, vir magne conſtantie, adeo, vt nec Imperatori reſiſtere timeret. Ipſe eſt, qui famoſum illum triumphum apud Andernakum cum parua manu de Bawariis & Swevis peregit. Fuit autem temporibus predicti Henrici Imperatoris, & filii eius Henrici quinti, & Lotharii, quem etiam ipſe Colonie vnxit in Regem vna cum vxore eius Richinza. Sedit annis triginta tribus. Obiit in caſtello Wolckenbourch, quod ipſe conſtruxerat. Sepultus quoque eſt in capitolio Sybergenſi.

Triceſimus octavus Bruno. Nec ipſe canonice eſt Epiſcopatum adeptus. Nam poſt obitum prefati Friderici, maiores & capitanei elegerunt vnanimiter Godefridum, prepoſitum Xanctenſem, virum honeſtum & prudentem, & pendente ordinatione predictus Bruno conſilio propinquorum ſuorum vocatus a Francia, vbi tunc ſtudio doctrine vacabat, quibusdam ſibi faventibus, ſciſma in clero & populo pro tali electione fecit. Erat enim mire facundie, & ſophiſtice locutionis, nulli poſtponendus. Itaque invidorum & pacis inimicorum perſeverante diſcordia, caſſata eſt illa cano-

nonica electio, & presente Imperatore Lothario, idem Bruno est intronizatus, licet caduco morbo laboraret. Deinde cum Imperator Lotharius expeditionem in Ytaliam & Calabriam indixisset, cum eo idem Episcopus ivit, & in diebus Penthecostes apud Bare civitatem presente Imperatore obiit. Ibi statim Hugo, Decanus sancti Petri Colonie, ab Apostolico consecratur, Episcopatum numquam adepturus. Nam post paucos dies apud eandem vrbem obiit, ibique cum prefato Brunone sepultus est.

Tricesimus nonus Arnoldus prepositus sancti Andree. Hic in exordio admodum aptus & ydoneus visus est. Ad extremum vero cunctis vilescere cepit. Sedit annis XIIII. Fuit tempore Conradi tercii Romanorum Regis. Sepultus est ad sanctum Andream in Colonia.

Quadragesimus Arnoldus, prepositus sancti Petri, vir probitate conspicuus, & Coloniensi ecclesie satis vtilis & ydoneus. Cum Imperatore Friderico Romam profectus, consilio & prudentia plus armis est operatus. Violentis resistebat, ecclesiastica iura defendebat. Sedit annis quinque sub Friderico Imperatore. Sepultus est in ecclesia beati Clementis, quam ipse construxit, & variis ornamentis illustravit, in loco, qui Ryndorph dicitur.

Quadragesimus primus Fridericus, prepositus sancti Georgii, filius fratris Brunonis, de quo supradictum est. Hinc non canonica electione, sed propinquorum actione ex iuvenum clericorum favore Episcopatum adeptus est. Addunt quidam, quod per Symoniam constitutus sit ab Imperatore. Nam omnium priorum electio in Gerhardo Brunnensi preposito sanxita fuit. Itaque utreque partes ad audientiam imperialem apud Nürnbergh conveniunt. Ibi infecto negotio rursus Ratispone, quod Regensborch dicitur, Imperatorem adeunt, vbi cassata electione priorum, favore principum idem Fridericus ab Imperatore Episcopatum suscepit,

moxque cum ſuis fautoribus Romam tendens, ab Adriano Papa conſecratur. Poſt biennium cum imperatore in expeditionem Medyolanenſem profectus, apud Tycinum, que & Pavia dicitur, obiit, vix duobus annis potitus pontificali dignitate ossa eius ab Ytalia illata in monaſterio beate Marie, quod patruus eius fundarat, in loco qui Berghe dicitur, condita ſunt.

Quadrageſimus ſecundus Renoldus, nulli omnium Epiſcoporum Collonienſis eccleſie probitate poſtponendus. Ante Epiſcopatum prepoſitus fuit in Hildenſem, ubi ſatis utilis fuiſſe dinoſcitur. Nam ibi pontem laude dignum, & valde neceſſarium in plauſtri tranſitu conſtruxit. Inſuper hoſpitale pro ſuſtentatione pauperum ibidem inſtituit. Dein canſellarius factus eſt Imperatoris Frederici, & cum in obſidione Mediolani cum Imperatore eſſet, in pontificem a Clero & populo Colonienſi electus eſt. Poſt devictum autem Mediolanum, tres Reges, qui infanciam domini miſticis muneribus venerati ſunt, magno labore & periculo Medyolanenſibus abſtulit, & ad perpetuam Germanie gloriam, Coloniam mira inſtancia transvenit. Nec hoc in laudem eius immerito profertur, quod cum adhuc in Ytalia & Imperatore eſſet, & Palatinus Comes Conradus, frater Imperatoris, Colonienſem Epiſcopatum ad libitum ſuum violenter tranſire ac predari vellet, ipſe Reynoldus per nuntios hoc Colonienſibus intimans, tantam ſuo nomine multitudinem apud Andemacum, tot fortes, tot preclaros, & nobiles viros, poſtremo talem exercitum adunari fecit, qualem noſtra memoria numquam in acie conſtitiſſe novimus. Tercia iam expedicione cum Imperatore in Italiam profectus, parva manu militum, maximas Romanorum copias apud Tuſculanum proſtravit, cepit, fugavit, multa & cronice legere digniſſime inſerenda per omnem Ytaliam operatus eſt. Ipſe erat laus, & decus, & pavor imperatoris. Menſe vero Auguſto peſtilentia in exercitum venit, qua & ipſe

proh

proh dolor! correptus in assumptione beate virginis obiit, omnibus Coloniensibus morte sua luctum relinquens. Fuit enim vir lingua, disertus & compositus, litteris sufficienter instructus animo & vultu imperterritus, imperio fidelis, Coloniensi ecclesie provectior. Nam & palatium Colonie magnis sumptibus construxit, duas turres iuxta templum beati Petri erexit, decem marcas ad agendum epyphanie festum instituit, totidem & in cena domini ad solatium pauperum adidit, octavam assumptionis Marie celebrare indixit, castellum Rynecke exstrui fecit pro munimine Episcopis. Et hiis, & aliis ab eo laudabiliter actis optamus, vt eterna pace quiescat. Sedit annis octo. Ossa eius ab Ytalia Coloniam allata sunt, & in ecclesia beati Petri reverencia condigna tanto viro & domino condita sunt.

Quadragesimus tertius Philippus, maior in Colonia decanus, & imperatorie aule cancellarius, vir mire strenuitatis & fame. Hic tempore Frederici incliti Imperatoris, egregie laudis & glorie, pre omnibus Romani imperii principibus nomen acceperat. Erat namque vir omnino negotiis secularibus ac bellicis implicatus magis & glorie, que ad seculum, quam & ad Deum est, intentus, vnde & ecclesiis Dei in suis causis nullum in eo erat patrocinium, proin nonnulle earum tam privilegiis quam bonis suis in perpetuum sunt destitute. Imperatori precipue carus erat, cum quo crebris expeditionibus proficiscens pene plus omnibus principibus operatus est. Ducem etiam Saxonie Henricum debellauit, & ducatum intra omnem dyocesim suam per Westphaliam & Angriam ei ablatum, Episcopatui Coloniensi addidit. Novissimis temporibus inter eum & imperatorem inimicitie exorte sunt, ubi mira eius constantia claruit. Erat enim tanta inter duos victoriosissimos viros discencio, quod, nisi diuina misericordia animum pontificis ad humiliandum & obediendum Imperatori inclinasset, maximum bellum & desolatio teutonici soli orta

fuiſſet. Defuncto Imperatore Federico in expeditione Iheroſolimitana cum filio eius Henrico, quem & ipſe quondam aquis in Regem unxerat, in Apuliam profectus eſt, Romeque eum in Imperatorem conſecrari optinuit, & progreſſus non modicam partem Apulie cum eo debellavit. Ad ultimum in obſidione urbis Naplis mortuus eſt V. Idus Auguſti. Oſſa eius Coloniam delata in eccleſia beati Petri condita ſunt. Circa idem tempus prefatus Preſul ad quadraginta milia marcarum & DCC. marcas, ſummam argenti produxit in coëmptionem urbium & prediorum terre Colonienſi adiacentium circumcirca. Allodium illud, quod Salevelt dicitur, eius tempore per concambium ad imperium translatum eſt. Sedit annis XXIIII.

GVTETI DE MIXIGIA, MEDIOLANENSIS NOTARII, ET SOCIORVM, CARMINA QVAEDAM AC LITTERAE IN HONOREM ALPHONSI SAPIENTIS LEGIONIS ET CASTILIAE REGIS ELECTI ROMANORVM IMPERATORIS.

Verſus comminatorii Imperatoris (ALPHONSI) ad Ducem (CORNVBIAE RICHARDVM,)

Milve, licet placeas tibi penna forte decora
 Dignum teque putes, ne venereris ea;
Non tamen attemptes aquile te credere pugne,
 Que volucres fortis diſſecat ungue ſuo.
Tutius eſt etenim ſimiles vel ſtare minores
 Inter aves, pennas ſicque tenere tuas.
Quam cum regina volucrum pugnare volatu,
 Que te diſpoliet viribus uſa ſuis.
Rex Regum Comiti preferri debet aperte,
 Qui niſi diſtiterit, Rex ſuperabit eum.

Ver-

Verſus ſuper eadem materia.

Nigredo plumbi fulvo nunc nititur auro
Preferri, curſu temptat precedere torvum
Tardus ad hoc nimis, atque nimis ridendus aſellus.
Teſtudo celeres ſibi ſumere cogitat alas,
Ut te precedat, Iovis ales, in ethere puro;
Preſumitque lepus, leo, te bellare ferarum
Regem. Certamen tecum preſumit alauda,
Ancipiter. Quod in Regi Comes obviat alto.
Sed vel deſiſtet Comes, aut vincetur ab illo,
Vincetur potius vates optare videtur
Qui cecinit, rectore bono ſuperabit Hyberus.

Proſa ſequens dirigitur ſuper materia precedentium verſuum.

Victo celeriter emulo feliciter poſſeſſuro, Gutetus de Mixigia, Mediolanenſis notarius, ſecum parva ſupellectile, ſed cum inextinguibili deſiderio ſerviendi. Teſtimonium Dei, quem non ambigo cuncta ſcire ſecreta, ſicut preſentia, ſic preterita, ſic futura, nec non & virorum diſcretione multa preſignium, Adobati, & Mathei, veſtrorum, vt iam alia cognomina taceam, confidenter imploro, vt fidem habeat auctoritas regie maieſtatis, quod ſuper omnia deſiderabilia cupio videre, virtutem generoſam domini dominorum, Alphonſi, imperiali diademate coronatam, toti mundo ſalubriter dominari. Sed ne videar adulator, quem legi multis in partibus ab illuſtribus evitandum, iam loqui deſiſto de primo mee deſiderio voluntatis, que prorſus eſt una cum predictis Adobato & Matheo, qui & ego colligati ſumus aurea ligaminis ſtrictura & nodi, & eo de ſollicitis operibus eorum ad exaltationem veſtri nominis glorioſi ſcribere non temptabo. Quia, cum ipſi & ego ſumus vnum, vt dixi, me ipſum laudare viderer, & ſic obviarem ſermoni prudentis: *Os alienum te laudet, non tuum.* Exaltetur & vivat per longa tempora Rex vtilitatibus mundi natus, ſan-

ſanƈte matris ecclesie clipeus singularis. XI. Carmina que dictavit spiritus alcior, edidit tamen ex meo, imperialis excellentie faſtigium videre dignetur, & intellectum gaudii, colligat ex eiusdem. Nam ipſa, ſicut ſpero, probabit effectus:

Gratulor eximias digne laudes tibi magno
Quod geris officio, dulcis amice, cani.
Cui multum recte datur in cognomine vulpes,
Si tantum ſollers illa ſit, absque dolis
Et quaſi non expediat veruntamen horres,
Ut quo cepiſti, tu pede firmus eas
Nec dubites, qui dante Deo complectitur (*complebitur*) illud
Quod cecini cum tu nuper electus eras
Ne cadit (*cadat*) exoro veſtro de pectore nomen,
O ſocii vero quo amo corde meum;
Sed magis effectum tangens promiſſio veſtra,
Me citius vobis conſociare velit.
Gaudeat vt ſocius vobis ſub Duce claro
Et videatur amor trinus honore trium.

Carmen aliud:

Ni data materies eſſet quam vincere igni
Hac experta foret vis ſua vota minus
Famaque Ceſarei non eſſet tanta triumphi
Geſſiſſet magnus ni ſibi bella -
Si nichil obſtaret, quod crederet ira leonis
Si dignum fieret terror ab ungue minor
Emulus Alfonſi gladio & ratione ſubactus
Invicto Regi gloria maior erit.

IO-

IOANNIS FISTENPORT, MOGUNTINI, ORDINIS SEPULCHRI DOMINICI, CONTINUATIO CHRONICI AB HERMANNO IANUENSI SCHRIPTI, ab A. MCCCLII ad A. MCCCCXXI.

Notandum eſt diligenter, quod iſta Cronica eſt hic finita per venerabilem fratrem dominum Hermannum, ordinis ſancti Wilhelmi, forte, vt puto, per diſſolutionem humane vite. Idcirco ego, ſcriptor huius libri, illud quod ſequitur, non proprio dictamine, ſed ex aliis Cronicis diligenter ſumpſi, & quamuis ſecundum ordinem pontificum & imperatorum Romanorum, prout antea continetur, minus non procedo, attamen annos filii incarnati non obmitto, quia de preſentibus, que mea etas meminit, nihilominus non obmuteſco, & vbi preſens liber dimittitur, forte hoc erit per indiſpoſitionem mee perſone, vel vite.

Anno domini MCCCLII. dux Auſtrie poſſedit (*obſedit*) ciuitatem dictam Zurche, & tamen non preualuit.

Anno domini MCCCLVI. terre motus factus eſt magnus in die ſancti Luce evangeliſte, & in craſtino, ita vt ciuitas Baſilea corruit cum pluribus eccleſiis, caſtris, opidis, & domibus, in quibus multi homines perierunt.

Anno domini MCCCLXXII. dominus Ulricus de Helffenſteyn comes, occiſus erat in caſtro Nyperg, dein ciuitates quam plures, volentes eius mortem vlciſci, venientes quoque in quandam villam ibidem quoque ſuccubuerunt per Eberhardum de Wirtenberg comitem, vtique valde ſtrenuum.

Anno domini MCCCLXXIIII. incepit liga ciuitatum in terra Suevie, que crevit de die in diem in multis terris vsque ad annum - -

Anno domini MCCCLXXV. Burggravius de Norenberg

berg copulauit filiam ſuam Duci Auſtrie, & tunc temporis ſoluebat maldrum ſiliginis VII. libr. helleror.

Eodem anno domini de Ottingen decollauerunt Andream Schenck de Wyteſtingen, propterea, quod ipſe Abbatem in Nernshayn captivavit, & ipſum grauiter caſtigauit, ac monaſterium eius ſuccendit igne.

Anno domini MCCCLXXVII. ciues Rutlingenſes occiderunt quam plures comites, barones, milites, nobiles armigeros, qui fuerant famuli dominorum de Wirtenberg.

Anno domini MCCCLXXXV. inundationes aquarum facte ſunt in Goricia, vbi multi homines & habitationes hominum, & etiam in aliis locis ſaxoſis ſubmerſe ſunt.

Eodem anno Lyupoldus dux Auſtrie cum magna militia & copioſo exercitu occiſus eſt a Swizeris.

Anno Domini MCCCLXXXVIII. maxima diſcordia orta eſt (*inter*) civitates imperiales, & omnes principes Svevie & Bavarie, nec non & alios nobiles. Et ſpecialiter comites de Wirtenberg cum civitatibus prelium commiſerunt proxima dominica poſt aſſumptionem Marie virginis in campo iuxta civitatem Wyle, & multi ex vtraque parte ceciderunt. Nam iunior Comes de Wirtenberg nomine Vlricus ibi interemptus eſt. Venit autem Comes ſenior de Wirtenberg cum magno exercitu, glorioſe triumphavit, infinitos occidit, multos captivavit, & multos fugavit.

Anno Domini MCCCXC. iubileus annus Rome celebratus eſt, ſimul & abreviatus, vt deinceps de triceſimo in triceſimum ſemper peragatur. Hoc autem per Vrbanum ſextum fuit inchoatum, ſed per Bonifacium nonum conſumatum.

Anno Domini MCCCXCII. per illuſtriſſimum principem Stephanum Ducem Bavarie annus iubileus a ſede apoſtolica fuit impetratus, & in civitate Monaco fuit ſolenniter peractus.

Anno

Anno Domini MCCCXCVI. Rex Vngarie nomine Sigismundus, qui poftea electus eft in Imperatorem Romanorum, & Dux Burgundie, cum numerofa turba militum, nobilium, & armigerorum ex diverfis terris congregata fines paganorum ingreffi funt & cum Rege Turcorum pugnare ceperunt. In primo congreffu Vngari cum Rege predicto fugientes terga verterunt Dux Burgundie captus fuit, tota militia occifa in prelio, & in captivitate difperfa, paganis triumphantibus.

Anno Domini MCCCXCVIII. in vigilia nativitatis beatę Marie virginis Ludovicus, filius Comitis Wilhelmi de Ottingen, in venatione per cervum filveftrem eft cornibus ad penam mortis moleftatus, & fepultus in Nernshayn.

Rupertus Palatinus Reni, Dux Heidelbergenfis, in Regem Romanorum electus eft vivente adhuc Wentzelao Rege Bohemie, prius electo, anno Domini MCCCC. circa feftum Laurentii. Ifte multa caftra fregit in Weftvalia, & in Weteravia. Ifte Rex anno imperii fui tercio intravit Ytaliam cum exercitu fuo, ad acceptandum coronam & dignitatem imperialem, & iter fuum non peregit, quia a Duce de Meylant preventus eft.

Eodem anno, fcilicet MCCCC. Epifcopus Herbipolenfis in Ianuario, plusquam mille viros ciuium Herbipolenfium occidit in campo prope ciuitatem Herbipolin, & ciuitatem muris deftruxit, & in fignum numquam aufi funt illa deftructa edificia reedificare.

Anno Domini MCCCCV. Appollitanenfes apoftetati funt a cenobio fancti Galli, & fecerunt ligam contra dominum Abbatem, & contra cenobium.

Anno Domini MCCCCVI. Fridericus Dux Auftrie cum exercitu fuo ducatum prebuit civitatem fancti Galli contra Appollitenfes, & occifi funt ab Appollitanenfibus plusquam tricenti fui exercitus.

Eodem anno Appollitanenfes tali prefumptione regna-

gnabant contra Ducem Auſtrie, quod in hoc anno triginta quinque caſtra & caſtella metati ſunt.

Anno Domini MCCCCVII. Appollitanenſes obſederunt caſtrum Pregantium contra Comitem Wilhelmum de Montfort, vbi Appollitanenſes occiſi ſunt a ſocietate militari.

Eodem anno ciuitas Lutich apoſtata eſt contra ſuum Epiſcopum, & obſedit eum in ciuitate Maſtric, vbi occiſi ſunt triginta ſex milia virorum; huius triumphatores fuerunt Dux de Holland, frater Epiſcopi de Luck, & Dux Burgundie circa feſtum Michaelis.

Eodem anno comites Burgmenſes (*Burggravii Norimbergenſes*) Fridericus & Iohannes nomine, quibus confederatus fuit Epiſcopus Herbipolenſis, cum magno exercitu obſederunt ciuitatem imperialem Rotenborg, & contra eam caſtra metati ſunt, & ciuitatem hanc ſublimem humiliaverunt.

Anno Domini MCCCCIX. hoc anno ad extirpanda Zizania totius Chriſtianitatis, que durauit triginta annos, celebratum eſt concilium vniverſale in Pyſa, vbi fuerunt ambaſciatores XI. Regum, tres centum Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum, preter prelatos, quorum infinitus fuerat numerus, preter omnes cardinales vtriusque Pape precipue ibi exiſtentes, & decretum eſt, quod Alexander Cardinalis, (*Petrus de Candia*) qui fuit opus de ordine fratrum minorum in infimo ſuo gradu in Papam eligitur, & ambo Pape degradantur, & ſic preventum eſt Zizania, & factum eſt ciſma.

Eodem anno Duxiſſa Auſtrie, & frater eius Dux Burgundie habebant diſcordiam erga Baſilienſes, licet diſcordia ſtatim pacificata fuit.

Anno Domini MCCCCX. Ego Iohannes Fiſtenport de Moguncia, ordinis ſepulchri dominici, ſcriptor huius libri, ordinem & religionem ſumpſi in Spira, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, & eodem anno profeſſionem feci.

Anno

Anno MCCCCXV. ſacroſanctum concilium in Conſtantia Almanie celebratum eſt (provincie) Moguntinenſis dioc. per tot dominos, & Chriſtianos eccleſiaſticos & ſeculares, in tanta multitudine Chriſtianorum, quod a fundatione eccleſie numquam aliquod concilium celebratum fuit, videlicet, quia in eodem concilio fuerunt congregati de extraniis hominibus LX. milia & quingenti perſone, ſcilicet intra feſtum paſche & penthecoſtes; inter quos homines fuerunt trecenti & XLVI. Epiſcopi, & quingenti & LXIV. Abbates, Prelati, & Doctores, item XVI. milia, ſeculares Principes, Duces, Comites, milites & armigeri, item quadringenti cum dimidio publice meretrices, item ſexcenti barbitonſores, item trecenti & XX. ioculatores & fiſtulatores. Ceteri, vt prefatus numerus compleatur, fuerunt coci, ſcutiferi, cum aliis bubulcis. Item in eodem concilio ducenti & LXIII. ſunt ſubmerſi. Item XVI. milia lectiſternia, de quolibet lecto dabatur ad menſem vnum florenum. Exceptis omnibus Cardinalibus de tribus obedientiis. Iſtud concilium delevit & deſtruxit ſcisma antiquatum. quod aliquando inter duos, aliquando inter tres ſe pro Papis gerentes (*erat*). Tunc temporis tres gerentes ſe pro Papis (*erant*) ſcilicet Balthaſar de Coſſa, qui & Iohannes XXIII, & Angelus de Carvario, qui & Gregorius XII, & Petrus de Luna, qui & Benedictus XIII. dicti ſunt. Qui Iohannes XXIII prius dictus, perſonaliter venit ad concilium Conſtancie, ſed ſalvo conductu Regis Sigismundi, Romanorum Regis, ac Vngarie, Dalmatie, & Croatie. Sed iſte Iohannes, quo ſpiritu ductus in noctis crepuſculo, deſpecto habitu doloſe receſſit, volens hoc ſacrum concilium per ſuum receſſum deſtruere, allegans etiam metum corporis. Et primo eventu venit in ciuitatem Schaffehuſen, & vlterius in Friborg in Briſaco. Mox Imperator Sigismundus copioſum exercitum congregavit, contra Fridericum Ducem Auſtrie, habens ipſum Ducem ſuſpectum

propter receſſum Pape. Et multa caſtra metatus eſt, & Ioannem Papam in civitate Friborg obſedit, ipſum captivavit, & incarcerabat in caſtro Manheym. Poſtea ductus eſt Heidelberge. Ibi proprio motu in caſtro ambulabat, ſed exire non potuit, quia cuſtodie poſitus fuit. Qui tamen Papa a captivitate liberatus, ſed per quem modum penitus ignoro, quamvis multi multa locuntur. De hoc autem temere nil audeo ſcribere. Gregorius autem XII. per ſuos Cardinales, & Ambaſiatores, in predicto ſacro concilio, nullo cogente, papatum reſignavit, fideiuſſor eius fuit Ludowicus Palatinus Rein in Heydelberg. Et Benedictus XIII. eiectus eſt a papatu, per potentiam ſereniſſimi principis, Regis Portugaliae, qui ſuos legatos & Ambaſiatores miſit ad ſacrum concilium Conſtantie, cum ſigillatis litteris, quod ipſe Rex Portugalie Benedictum XIII. per potentiam a papatu eiecit.

In eodem concilio, anno domini MCCCCXVII, citatus eſt a preſidentibus ſacrum concilium magiſter Ioannes Huſs, natione Bohemus dampnate memorie, aſſerens ſe magiſtrum in ſacra Theologia, qui comparuit mediante ſalvo conductu, qui examinatus diligenter, repertus eſt peſſimus hereticus, degradatus, ad brachium ſeculare traditus, & combuſtus ante portam civitatis predicte. Ille Iohannes Huſs compoſuit vnum librum, quem intitulat librum de eccleſia, in quo libro multi & infiniti articuli inventi ſunt, quaſdam hereticas, quaſdam erroneas, quaſdam piarum mentium auribus ſtupendas, & quaſdam ſcandaloſas. Iſte liber, & omnes alii libri ipſius Huſſonis combuſti ſunt ibidem cum ipſo.

Eodem anno citatus eſt Iheronymus de Praga ad ſacrum Conſtantienſe concilium, aſſerens ſe plurimorum ſtudiorum magiſtrum in artibus, videlicet Pragenſis, Colonienſis, Erfordenſis, & Heydelbergenſis. Qui diligenter ab omnibus Cardinalibus & Doctoribus in ſeſſione

ſione ſacra examinatus, repertus eſt peſſimus hereticus, & combuſtus ante portam civitatis prediĉte.

Eodem anno, in vigilia Martini, eleĉtus eſt ſummus Pontifex in loco conclavi Martinus quintus, prius Otto de Columpna vocatus.

Iſte Papa receſſit a Conſtantia anno Domini MCCCCXVII. feria ſecunda proxima poſt feſtum Penthecoſtes, ad civitatem Gebenenſem. Quot autem annos ſedit, neſcio, quia adhuc Deo favente ſanus exiſtit, & in Florentia curiam tranſtulit.

HENRICVS III. Dei gratia, filius Adolphi II. vixit anno 1248. & in hoc cessauit inscriptio a Schwalenberg. Notandum, quod diuersæ fuerint lineæ Comitum in VValdeck, Schwalenbergensis & VValdeccensis; Linea autem Schwalenbergensi morte exstincta, lineæ istæ consolidatæ, vnum corpus effecerunt. Arcis etiam Schwalenberg munitissimæ rudera, cum certissimis vestigiis, & triplicis fossæ & valli penes pagum Schwalefeldt adhuc sub indubitata Dominorum Comitum VValdeccensium jurisdictione præfecturæ Eisenbergensis conspiciuntur. Vxor Henrici III. Mechtildis, filia Comitis de Arnsberg, quæ anno 1274. Syluam, die Bircken, cum pertinentiis, & alia bona monasterio Werbæ, præfecturæ VValdeccensis dono dedit; fuit mater fratrum Adolphi, Gothofredi, & Ottonis, Comitum in VValdeck, anno 1276. Mechtildis elocauit filiam Adelheid, Bernhardo, Comiti de Lippe.

A-

ADOLPHVS III. Henrici III. filius, Episcopus Bremensis, & Münsterienſis, item Canonicus Leodienſis, Hugone autem de Cabellione, Epiſcopo Leodienſi, a Papa Bonifacio VIII. ad Epiſcopatum Bizantinum vocato, Adolphus tum temporis in aula Papali exiſtens, a Papa Epiſcopatum Leodienſem conſequutus eſt anno 1301, eodem anno circa feſtum natiuitatis Chriſti cum multis Comitibus, aliisque Equitibus vrbem Lüttich pompoſe ingrediebatur, vbi cum eo tempore magna inter Ciues eſſet discordia, ſumma cum dexteritate conciliauit; ſequenti anno arcem VVittmar obſedit, oppugnauit, & ſolo æquauit, reditus iſtius arcis Dioeceſi tribuens. Foeneratoribus maxime fuit offenſus, nec in Dioeceſi vllum foenus exerceri paſſus, eorumque domos in vrbe, ipſo in feſto Epiſcopali præſente, dirui fecit. Dicitur fuiſſe homo iuſtus, ſed admodum iracundus, & ſatis ſe ingurgitans rixis. Quidam hunc Epiſcopum a foeneratoribus veneno exſtinctum fuiſſe dicunt. Alii ipſum in domo Scholaſtici ad S. Paulum, in foueam aqua repletam incidiſſe, & cum inde non potuiſſet extrahi, ceciniſſe antiphonam: Domine, ſuſcipe me, vt cum fratribus meis ſim; & ſic vitam finiiſſe volunt, cum per ſeptennarium, ſeu, vt alii, decennium, Epiſcopatui profuiſſet.

GOTFRIDVS Comes, Henrici III. Filius.

OTTHO II. Dei gratia, Comes VValdeccus, Filius Henrici III. Hi tres fratres, Adolphus, Gotfridus, & Otto, anno 1271. ſub iuramento corporali compromiſerunt, vt is, cui contigerit, vxorem ducere Sophiam, filiam Henrici Landgrauii, cui cognomen erat infantis Brabantini, hæres vnicus & ſolus Comitatum habens, Dominus in VValdeck eſſe debeat. Ottoni itaque prædictam Sophiam, Henrici Brabantini filiam vxorem ducenti, ſoli contigit Comitatus. Hic Otto miles fuit animoſus; anno 1288. interfuit pugnæ cruentæ penes arcem Wæringen, cis Rhenum, haud procul Colonia, in die Boni-

fa-

facii Martyris, cum contentio esset inter Johannem Ducem Brabantiæ, & Reinholdum Comitem Geldriæ, Otto Comes a partibus Ducis Brabantiæ, cui se associarunt Adolphus, & Henricus, fratres, Comites de Bergen & VVindeck, VVilhelmus, Comes de Julich, eiusque frater Gerhardus, Eberhardus Comes de Marck cum vrbe Colonia. A parte Comitis de Geldern erat Sigfridus, Archiepiscopus Coloniensis, Comes de VVesterburg, Henricus, Balduinus & Wolradus fratres de Lützelburg, Adolphus Comes Nassauicus, & alii. In qua pugna tres fratres de Lützelburg cum mille Equitibus selectis perierunt, totidem etiam captis, inter quos fuit Archiepiscopus Coloniensis, Reinholdus Comes de Geldern, & Adolphus Nassouicus, qui postea suffragio Archiepiscopi Moguntini, Gerlaci II. Imperator Romanus fuit electus, anno 1292. Eodem anno 1288. Otto Waldeccus vna cum aliis Principibus, nec non ciuitate Brunsuiga & Goslaria, auxilium præstantibus Henrico Duci Brunsuicensi & Grubenhagen, in occupanda arce prædatoria Herlingsberg in excelsa monte inter arces Wiedelagen, & Wieneburg, fluuiumque Ovacram sita: victoriam præclaram contra hostes reportauit. Hinc poëma, in quo præ ceteris hi sunt versus:

Westfali properant, & fida iuuamina portant
Waldeccæ magnæ Comes alacer auxiliatur.

Anno 1290. Otto cum fratre Adolpho fuit in Comitiis Erphordiæ sub Imperatore Rudolpho de Habsburg. Anno 1293. Hermannus a Desenberg obtulit huic Ottoni Libanau. Anno 1294. Episcopo Moguntino Gerlaco fidelia seruitia præstitit, & cum consensu Capituli remuneratus est, qua remuneratione hodieque gaudent Comites VValdeccensis; Anno 1297. cum bellum esset inter Regem Angliæ, Eduardum & Philippum IV. Pulchrum Regem Galliæ, Otto VValdeccus vnus ex præcipuis fuit Regis Angliæ sub Guidone Dompetra, Comite Flandriæ, fouentibus Regis Angliæ partes. Eodem

anno

anno VVidekind, VVolrad, & Cracht, nobiles de Graffſchafft, caſtrum ipſorum proprium Nordenau, cum pertinentiis obtulerunt Ottoni Comiti de Waldeck, eiusque hæredibus, illique a Comite Ottone iterum in feudum hæreditarium receperunt, eoque inueſtiti ſunt, quæ inueſtituræ poſtea cum Johanne de Graffſchafft, anno 1332. & Henrico de Graffſchafft anno 1341. reuocatæ ſunt. Anno 1298. Abbas Corbejenſis oppignorat Ottoni & Coniugi præfecturam Munden. Eodem anno 1298. Curiam in Corbach, modo der Münche-Hoff dicitur, monaſterio Breidelarn immunem ac liberam confert, quam immunitatem vidua Sophia poſt obitum mariti conſenſu Henrici filii confirmat, anno 1306. Anno 1303. vendidit Otto Comes, Duci Brunſuicenſi, Alberto, arcem Nienober, in ſilua Sollingen ſitam, cum conſenſu Comitis Simonis de Daſſel, qui comites ante hac domum ipſam occuparunt, ex qua ſe ſcripſerunt; Comites in Daſſel, Domini in Nienober. Simon fuit vltimus iſtius lineæ. Vendidit quoque hic Otto II. monaſterio Marien Münſter Voigteam cis Volckmarſen, anno 1302. Wigboldus Archiepiſcopus Coloniesis, pro ſe, & Succeſſoribus ſuis, Ottoni Waldecco annuatim 60. marcas argenti ex reditibus in Reuden ſoluendas pro adſiſtentia Eccleſiæ Colonienſis in feudum caſtrenſe conceſſit, præſentibus duodecim nobilibus. Anno 1305. Otto Waldeccus, cum captiuus detineretur, a nobilibus de Adelepſin miris modis necatus eſt; tandem iſti nobiles transegerunt cum Henrico, Ottonis Filio, & Ottone, Ottonis II. nepote, quod patet ex vetuſto quodam exemplari, germanice ſcripto, his verbis: Anno 1310. ſind die von Adelipſen mit Graffen Henrich wegen des Todes an Graff Otten begangen, verglichen: (1) Sollen die von Adelipſen zwantzig Marck lothiges Silbers aus ihren Gütern, und ſamt dem Guth von Waldeck zu Lehn emphangen, und davon erbliche Manne ſeyn. (2) Sollen mit 100. Reutern, und Ritter-Genoſſen, bey

das Closter Netza kommen, von denen Pherden abtreten, mit blossen Hemden, und abgegürtet, mit hundert Kertzen in die Capell, darinnen Graff Otto begraben liegt, gehen, nach gesungener Seel-Messe die Kertzen opffern, denen von Waldeck zu Fuss fallen, um Gnade bitten, und erlangen. (3) Die Capell mit 10. Marck Silbers bewidmen, davon geloben, zu VVehrung 100. Marck Silbers, deren 70. in Jahr und Tag, und die übrigen nach Gefallen Ottens, Henrici filii zu bezahlen. (4) Sollen 500. Seel-Messen, und 500. Vigilien zu Trost Graffen Otten Gemahlin Sophien von Hessen erwerben. (5) Ingleichen binnen Jahres-Frist erwerben deroselben Seelen Brüderschafft und versiegelt bringen von 500. Clöstern, &c.

ADOLPHVS, Frater Ottonis, Canonicus Fridslariensis.

GOFFRIDVS, Frater Ottonis, Canonicus Osnabrugensis & Mindensis, postea electus Episcopus, regnavit per decem annos.

LVDOVICVS, filius Ottonis II. Episcopus Mindensis electus, anno 1314. Orator Cæsareus, arcem Petershagen ad Visurgim, quæ postea sedes Episcoporum mansit, condidit, inchoatam anno 1316, & absolutam 1319. Fuit etiam Canonicus Bremensis & Munsteriensis, renuncians omnibus paternis, reseruauit sibi oppidum Züschen, & pagos Geismar, Lahne, & decimas in Heimershausen, elocauit fratri Henrico quotannis sexaginta marcis argenti. Obiit anno 1324. sepultus Mindæ in templo Cathedrali.

HENRICVS IV. Dei gratia Filius Ottonis II. Vxor Adelheid Comitissa de Cleue, ducta anno 1304. bello existente anno 1306. inter Archiepiscopum Coloniensem, & Comitem in Wirneberg ex vna, & Ottonem Waldeccum III. Ottonis II. & fratrem Henrici IV. altera parte, de Wetterburg & Volckmarsen, item de mille sexcentis argenti marcis Waldeccensibus hominibus ablatis, arbiter & iudex fuit Henricus, cum Domino Jo-

hanne

hanne a Brobeck. Huic Henrico, consanguineus suus, Comes in Arnsberg vendidit proprietatem montis Siegenberg, siti prope Modebach, perpetuo possidendam, anno 1307. Anno 1309. nobiles de Vrff arcem Vrff in feudum receperunt a Comitibus Waldeccensibus. Otto Landgrauius Hassiæ, filius Henrici Brabantini, & Henricus Comes in Waldeck, aluerunt inter se diffidationem de finibus montis Broburg, Abbate Fuldensi stante a partibus Comitis in Waldeck anno 1313. Hic Henricus Comes Waldeccus & Wilhelmus Comes de Arnsberg diuiserunt Comitatum Rudenberg constitutis limitibus anno 1313. Ludouicus Palatinus, Imperator, mille & ducentas marcas argenti dedit Henrico Comiti de Waldeck & Düdensdorff, eo, quod ipsi aliquot armatos equitos per integrum annum sustentarat, & pro adipiscendo regno Romano, in castris Cæsareis prope Francofurtum & Braunsfels, fidelia obsequia præstiterat anno 1315, & 1320. Hic Ludouicus Imperator, ob fida in imperium merita, consules, Senatum, populumque imperialis vrbis Tremoniensis Comiti Henrico defensandos commisit, firmiterque mandauit, vt ipsi in iuribus, & obsequiorum præstationibus, nomine Regio parerent, collectas imperio penderent, debitaque cum obedientia obtemperarent, anno 1323; quo tempore etiam ab Imperatore Ludouico, in Episcopatu Osnabrugensi & Monasteriensi, Comiti Waldecco iurisdictio in Judæos, pro soluendis annuis contributionibus, præstandisque Imperio seruitiis, concessa fuit, quale jus in Judæos solis Electoribus competebat. Vnde dictus fuit memorandus Princeps, quamuis alias etiam Comes imperii in suo comitatu dicatur Princeps, cum ipsi Principi, respectu sui Comitatus æquiparetur. Hic Henricus Comes miles fuit animosus. Cum anno 1325. dissidia essent inter Reinhardum Comitem Geldriæ, & Ludouicum, Episcopum Monasteriensem, Hassiæ Landgrauium, de Comitatu Bredefort, quem Ludouicus emtum Episcopatui

patui adiecit, Reinholdus hostiliter cum complicibus suis inuasit, vtpote cum Johanne Rege Bohemiæ, Episcopis Leodiensi & Vtrecht, Comitibus de Gülich, Hollandiæ, & Marchiæ, qui igni & ferro Episcopatum deuastarent; Ludouicus vero Episcopus, ope Episcopi Gothofredi Osnabrugensis, Simonis Comitis de Lippe, Comitis de Sayn, & Henrici, Comitis VValdecci cum filio Ottone obuiam venit hostibus, & penes Hosfeld instructa acie pugnauit, hostesque in fugam coëgit, & tam potentem exercitum dissipauit. Tandem illæ Guerræ per amicabilem compositionem fuerunt complanatæ, anno 1327. Ab Archiepiscopo Coloniensi Henrico. accepit Henricus VValdeccus feudum VVarsau, anno 1321. Anno 1327, Siuertus, Comes de VVitgenstein, Comitatum Züschenau ab Henrico Comite VValdecco in feudum accepit, & inuestitus est. Landgrauio Hassiæ, Henrico ferreo dicto, & Comiti Henrico de Waldeck, publica intercedebat diffidatio, quam Bernhardus Episcopus Paderbornensis consopiuit, & induciæ factæ sunt a Landgrauio Ludouico, & Ludouico, principalium fratribus, & Tilemanno de Itter, anno 1332. Anno 1341. Otto, & Wilhelmus, duces Brunsuicenses, oppignorant Ottoni, Comiti de VValdeck, arcem Vlote. Ludouicus, Landgrauius Hassiæ, oppignorat Henrico VValdecco arcem Schöneberg, & oppidum Gudensberg 3500. marcis argenteis, quæ faciunt 28000. imperiales thaleros. Anno 1342. Johann de Falckenberg, vna cum vxore Mechtilde, filia VVidekindi de Graffschafft, dimidiam partem castri Nordenau, cum pertinentiis, Comiti Henrico de VValdeck, eiusque filio, Ottoni, cessit, & omni competenti iuri renunciauit. Anno 1343. Henricus Comes, cum filiis Henrico, & Ottone, Johannem de Graffschafft, præfectum dimidiæ partis Nordenau, ab Johanne de Falckenberg, & Mechtilde, filia VVidekindi de Graffschafft proprietarie concessæ, constituit. Inter ipsum Henricum, & fratres Adolphum

&

& Ludouicum, item filios suos Ottonem, Theodoricum, & Henricum conuenit (1) vt vnicus tantum sit dominus in gubernatione, (2) nihil de Comitatu absque ceterorum Comitum, & Burgmannorum scientia, & consensu consanguineorum sit alienandum. (3) Qui sint Clerici, bona ipsis assignata, minime alienare debeant, sed ea post mortem illorum ceteris iterum accrescant, anno 1344. Monasterium Herdehausen vendidit Comiti Henrico, eiusque filio Ottoni villam Wickersdorff, cum omnibus pertinentiis, anno 1358; quam villam cum aliis bonis Philippus IV. Comes de Waldeck nobilibus de Lawenstein in feudum concessit, anno 1330.

FILIA OTTONIS II, Henrici IV. soror fuit vxor Simonis, Comitis in Dassel, anno 1303.

ADELHEID, nupta VVilhelmo Comiti in Catzenellenbogen, qui Reinfelsen, cum pertinentiis, & mille marcis argenti coniugi obligauit. Actum VValdeck anno 1314.

ELISABETHA, filia Henrici IV. vxor Henrici Comitis in Holstein.

– Vxor Johannis Comitis de Nassau.

OTTO III. } Filii Otttonis secundi.
EVERHADVS }
ADOLPHVS } Hic Adolphus fuit Canonicus Fritslariensis anno 1330.

OTTO IV. Dei gratia Filius Henrici IV. vxorem Mechtildam, filiam Ottonis, ducis Luneburgensis postremi duxit, anno 1333; quo anno tanta fuit copiosa & affluens vindemia, vt Moguntiæ duæ mensuræ vini vno denario Hallensi venerint. Anno 1340, die Valentini, Otto VValdeccus in Protectionem Romani Regis Conradi IV. se dedit. Otto dux Luneburgensis, oppignorauit Ottoni Comiti a VValdeck dynastiam Flotam cum Giesselwerden, aliquot mille marcis argenteis, pro cuius reluitione, fratres Ottonis VValdecci, Theodoricus & Henricus, Canonici Colonienses fide iusserunt,

runt, anno 1347. Anno 1346. Ottoni, Comiti de VValdeck, Henricus, Comes de Schwalenberg, omnia sua bona per donationem inter viuos transtulit. Insigne ipsi fuit stella octo radiorum. Anno 1346. Otto comes cum Archi-Episcopo Coloniensi VVolrado iniit foedus, vsque dum viuerent, vt & cum VVilhelmo Archiepiscopo Coloniensi anno 1351. A Carolo IV. Imperatore in protectionem imperii & defensionem suscipitur, cum inuestituris feudi sui accipiendi, anno 1349, ipsique constitutæ sunt ab Imperatore Carolo IV. 1600. marcæ argenti pro assistentia contra imperatoris & imperii hostes. Anno 1345. Archi-Episcopus Moguntinus, Henricus, & Otto, comes de VValdeck, perpetuum foedus inchoant, contra quoscunque; eodemque anno, Archi-Episcopus cum consensu capituli, Ottoni, comiti in VValdeck, arcem & oppidum Nawmburg, cum pertinentiis, mille marcis argenti oppignorauit; anno vero 1379. Archi-Episcopus Adolphus mille marcas argenti pro additamento accepit. Anno 1349. Ottoni Duci Luneburgensi absque liberis masculis mortuo, successit VVilhelmus, dux Brunsuicensis, qui dotem, aliaque bona hæreditaria, Ottonis ducis filiæ, Ottonis VValdecci vxori, decreto Caroli IV. Imperatoris ad 100000. marcas argenti puri soluere condemnatus fuit, anno 1357. Cum vero annis diuersis VVilhelmus dux aliquoties citatus, decreto cæsaris parere nollet, in bannum imperii & ecclesiæ declaratus fuit, in quo etiam est mortuus; Otto hic VValdeccus anno 1357. fundat beneficium super altare S. Catharinæ in Sachsenhausen. Anno 1359. Archi-Episcopus Moguntinus, Gerlacus, dimidiam partem dominatus Itter comiti Ottoni, eiusque filio Henrico oppignorauit. Anno 1362. Albertum & Johannem, duces Brunsuicenses captiuos tenuit, qui relaxati elogium, de non vindicando, iurato præstiterunt. Anno 1371. foedere se iunxit cum Friderico, Episcopo Paderbornensi, Engelberto comite de Mar-

Marca, & ciuitate Tremonia, quod foedus poſtea repetitum & ampliatum eſt anno 1385.

THEODORICVS Filius Henrici IV. canonicus Colonienſis.

HENRICVS V. filius Henrici IV. canonicus Colonienſis & Paderbornenſis.

ADOLPHVS IV. Filius Henrici IV. Vxor Johannis comitis de Naſſau, filia Henrici IV.

HENRICVS VI. Dei gratia comes VValdeccus, cognomento ferreus, filius Ottonis IV. Vir rei militaris expeditus, & manu promptus, in Palæſtinam profectus eſt, anno 1356. Vxor Eliſabetha, filia comitis de Bergen, quæ beneficium in monaſterio Netza ordinauit 1385, cuius collaturæ ius ſemper habet quælibet Comitiſſa, coniux VValdeccenſium comitum ſenior. Henricus erat in foedere dicto der Sterner Bund, contra Haſſos, anno 1366. Henricus comes, trecentis militibus ſtipatus, ſub meridie quadam Corbachium inuaſit, & refractarios ſuos ſubditos in dicta Corbach ſibi parere coëgit, eos 2370. marcis argenti mulctando, conſulesque cum ſenatoribus & quibusdam ciuibus per decem ſeptimanas carcere puniendo, donec circa feſtum Pentecoſtes eiusdem anni priſtinam ſubiectionem & obedientiam iurarunt, omnem ſeditionem impoſterum vitaturi; vnde hi verſiculi:

Proſpera ſors diues, pax vobis Corbicke Ciues.
Nunc reſipis, cadis. Dominum cæli timeatis,
Muros firmantes, concorditer hinc habitantes.

Anno 1266. Archi-Epiſcopus Moguntinus, Gerlachus de Naſſau, circa feſtum Johannis Baptiſtæ Wildungum veniens, ad Eisfeldia rura ſub conductu Henrici, Comitis Waldeccenſis, profectus eſt, vbi ab Ottone, Henrici Ducis Brunuicenſis filio Duderſtadt, pignoris loco accepit, cætera vero Eisfeldia, a Comitibus de Gleichenſtein antea quoque emerat. Otto vero dux in Siciliam abiens, filiam Johannis Regis Neapolitani vxo-

rem duxit, vnde & ipſe Rex Neapolitanus factus eſt. Henricus Comes arcem Landouiam a ſolo exædificauit. Anno 1367. fœdus iniit cum Engelhardo Comite de Marck, contra Comitem de Arnsberg. Eodem anno confœderatio Henrico, Landgrauio ferreo, cum Henrico ferreo, Comite Waldecco, ad quadriennium erat. Anno 1369. fœdus iniit cum Gerlaco de Naſſau, Archi-Epiſcopo Moguntinenſi, qui Comitatum ſumſit in ſuam protectionem. Anno 1370. Henricus Comes, cum filio Adolpho, & Henrico, caſtrum Nordenau cum pertinentiis & aliis bonis Heinemanno Gangreben pro 350. marcis oppignorauit, cum reſeruatione des fryen Stuhl-Gerichts, ibidem, pro Dominis Comitibus. Anno 1370. adfuit Imperatori Carolo IV. in expeditione militari. Anno 1371. iurarant ambo Henrici, Haſſus, & VValdeccus, pacem vulgo Burg-Frieden, Freienhagii, ſartam tectam colendam. Mortuo Henrico Landgrauio anno 1376. Henricus Comes VValdeccus, pro Landgrauio Hermanno, apud Cæſarem Carolum IV, vt acquireret dimidiam partem iudicii Freienhagenſis, interceſſit. Anno 1372. cum filio Adolpho oppignorauit Wilhelmo, Duci Juliacenſi, dynaſtiam Vlote. (25. ann. poſt impignorationem, quæ Waldeccis facta eſt ab Ottone, Duce Brunsuicenſi,) mille marcis argenti puri, reſeruata reluitione. Fuit hic Henricus ferreus in confœderatione cum Adolpho Naſſouico, in Archi-Epiſcopum Moguntinum electo a Canonicis, contra Ludouicum, Epiſcopum Halberſtadienſem & Bambergenſem, Marchionem Misniæ, Thuringiæ Landgrauium, quia Gregorio XI. Romano Pontifice, Adolpho obiiciebatur, vnde ingens orta contentio. anno 1373. Adolphus autem Erphordium ſecedens, a Friderico & Balthaſaro, fratribus Ludouici, Principibus Misniæ & Thuringiæ acri obſidione cinctus fuit. Interim Carolus IV. Imperator iter per Thuringiam faciens, cognita obſidionis cauſa, concertantes ab obſidione diſcede-

re

re iussit, anno 1374. Non tamen prius Adolphus ad gubernationem, quam anno 1380. peruenit, quo anno Ludouicus, cum comessationi & saltationi vacaret, exorto incendio in ipso triclinio periculum effugere conatus, per gradus decidit ac periit. Circa hæc tempora duo senatus Corbachii fuere, sed ciues noluerunt eos diutius ferre. Igitur primum in medio oppidorum ea, qua conspicitur iam forma, prætorium ædificare cœperunt, ac Rempublicam ab vno senatu æquis legibus gubernari voluerunt anno 1378. quo Carolus IV. Imperator moritur. Wenceslaum Imperatorem, Caroli IV. filium, (qui imperii titulum cum patre adhuc viuente octo annis gessit) Aquisgrano redeuntem, ibique coronatum cum coniuge Sophia, Johannis Ducis Bauariæ filia, Henricus ferreus, Waldeccus, in arce Waldeck, natura loci arceque munitissima honorifice excepit, lautisque epulis opipare instructis magnifice tractauit. Imperator igitur, vt gratus esset, ipsum Henricum, & eius posteros in numerum Comitum Imperii, zu Reichs-Grafen suscepit; itemque ab hoc Imperatore Wenceslao Comes Henricus de Comitatu suo Waldeccensi mit seinen Herrschafften, Freyen, Stühlen, Strassen, Zöllen, Gerichten, heimlichen und öffentlichen, Frey-Graffen zu præsentiren, aliisque dignitatibus inuestitus fuit, anno 1379. Ideoque hi Comites habent iura imperii in suis Comitatibus, & tanquam status, & proceres imperii vocantur ad Comitia, haben Stimme und Stand in Reichs-Versammlung, sie sind auch in denen Anschlägen des Reichs. Indictiones enim & collectas imperii immediate pro rata, suo quolibet tempore soluunt, & quamuis non omnes & singuli, sed totus Comitatum & Baronum ordo, duo tantum in Comitiis suffragia habeat, non tamen ideo denegatum est, reliquis imperii Comitibus, qui statum imperii repræsentant, ad consilium Principum accedere, & deliberationibus interesse. Anno 1379. cum Imperatore Wenceslao Co-

Fff 5 loni-

loniam ingreſſus eſt, cum vrbs illa Imperatori homagium præſtaret. Anno 1380. Comes Henricus, Pater, & Adolphus filius ex vna, & Landgrauius Hermannus ex altera parte, iuramento ſe obſtrinxere, commune caſtrum in monte Weidelberg ſe ædificaturos, & ibidem pactum iuratum vulgo Burg-Frieden culturos, vt prouincias & ſubditos ſuos exinde, tanquam ex Ganerbinatu defendere poſſent. Eodem anno ſimile pactum (Burgfriede) de caſtro Fürſteneck initum, & iuramento firmatum eſt, cuius pacti ſcripti initium eſt: *Nos Dei gratia, Hermannus Landgrauius Haſſiæ, & Nos, eadem gratia, Henricus Comes in VValdeck, & Nos, Adolphus, filius ipſius, confitemur &c. Dat. an.* 1380. Anno 1381. Comes Henricus, & filius Adolphus, dimidium dominatum Itter, quem ab Archi-Epiſcopo Moguntino pignoris loco poſſidebant, vt & molam in Heczhauſen, & villam in Oderburg ad arcem Waldeck pertinentia, Nobilitibus Welffen de Gudenberg 3585. ſolidis aureis in antichreſin conceſſerunt, quo nobiles iſti vsque ad annum 1542. vſi fecere. Dicuntur tres fuiſſe fratres domicelli in Itter, quorum duo tertium fratrem interfecerint. Quapropter Epiſcopus Moguntinus poſtea partem ſuam Comiti Waldecco Ottoni quarto anno 1349. certæ pecuniæ ſumma oppignorauit. Anno 1386. Henricus Comes iniit cum Adolpho Naſſouico, Archi-Epiſcopo Moguntino, Ottone Brunſuicenſi, Balthaſaro, Thuringorum principe, & Marchione Misniæ, qui paribus copiis animisque contra Hermannum, Landgrauium Haſſiæ, cui tum temporis omnes vere vicini principes ac Comites aduerſabantur, arma mouebant, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, incenſis vndique villis, incurſiones continue faciebant, Gudensburgium, Immenkuſium, Rodenburgium, ac pleraque alia oppida & arces in deditionem accipiebant. Tandem interuenientibus amicis, de concordia agi cœptum, reque pactionibus compoſita, vt, quæ capta fuiſſent oppida,

pida, ad dominos priſtinos reciderent, ab armis diſceſſum eſt. Idem fœdus continuauit Henricus Comes, anno 1393. cum Conrado Archi-Epiſcopo Moguntino, qui ſe obſtrinxit, cum nullo hoſtium initurum concordiam, niſi cum conſenſu Comitis Henrici, & filii eiusdem Adolphi. Anno 1390. Archi-Epiſcopus Colonienſis vrbem Tremoniam (Dortmund) graui obſidione cinxit, hanc ob cauſam, quod Carolus Imperator vrbem iſtam præteritis annis Archi-Epiſcopo donauerat, ſed illa contradixit, cur Henricus Comes adfuit, & quamuis obſidio per integrum annum durauit, ſoluta tamen fuit. Anno 1393. Henricus Comes fœdus cum Roberto Epiſcopo Paderbornenſi, item cum Friderico Archi-Epiſcopo Colonienſi, ad ſexennium pro defenſione ſubditorum vtriusque iniit, idem fœdus renouatum eſt ad biennium, anno 1404. Anno 1393. turris templi in oppido Corbach veteri ædificata fuit. Anno 1393. die Aſcenſionis Domini, Henricus ferreus cum filio Adolpho, reluitionem tertiæ partis decimarum in Heimershauſen, pro centum libris nummorum Haſſiacorum ſibi reſeruarunt. Anno 1397. Comites Waldeccenſes in matriculam imperii cooptati ſunt. Annos 45. nempe, ab anno 1354. quo Proceſſus ſub Carolo IV. inchoatus, durauit vsque ad annum 1399. ſupra dicta diſcordia inter Duces Brunſuicenſes, & Comites Waldeccenſes ob ſummam 100000. marcarum argenti puri, in quam Wilhelmus Brunſuicenſium dux, Ottonis IV. Comitis in Waldeck vxori ſoluendam, ab Imperatore Carolo IV. die Veneris ante feſtum Michaelis anno 1357. & anno 1361. condemnatus erat, & cum Wilhelmus Luneburgicus rebus iudicatis parere nollet, non tantum in bannum imperii ob contumaciam, ſed etiam iuſſu Imperatoris Caroli IV. 1366. per Epiſcopum Mindenſem in banno imperii vltra annum & diem perſiſtens, in bannum Eccleſiæ eſt condemnatus, in quo etiam mortuus. Huic Wilhelmo, anno 1364.

Ma-

Magnus Torquatus dux Brunsuicensis successit, cuius filius Fridericus, in Wenceslai Imperatoris abdicati locum suffectus, & Rex Rom. electus est. Hunc nongentis & triginta armatis stipatum Francofurto redeuntem, Henricus, Comes Waldeccus, tum temporis Eisfeldia rura nomine Archi-Episcopi Moguntinensis gubernans, ducentos equites ducens, cum Cuntzmanno a Falckenberg, & Friderico de Hertingshausen, nobilitus auratis, aperto marte & campo, prope pagum Klein-Engels, Præfecturæ Borckensis Hassiacæ, vnico miliari distantem Fridslaria, aggressus est; vbi cum pugnassent aliquamdiu dubio marte, incertaque victoria, Brunsuicensibus acriter resistentibus, ad extremum Rudolpho, Duce Saxoniæ, & Bernhardo Duce Brunsuicensi, cum Episcopo Verdensi Conrado Sultano, sacrarum litterarum peritissimo, multisque nobilibus captis, cæsis quamplurimis, cæteris in fugam actis, cæsar capi non passus, periit, nonis Julii 1399. quo in loco crux lapidea in rei memoriam posita, hodieque cernitur. In huius Friderici Imperatoris locum Rubertus Palatinus Rex Rom. 20. Sept. 1399. Francofurti electus, & a. 1400. sequenti die Epiphaniæ Coloniæ fuit vnctus, & coronatus. Anno quoque sequenti, mediatore Johanne Nassouio, Archi-Episcopo Moguntino, res plane cum Rudolpho, Alberto & Wenceslao, Ducibus Saxoniæ, vt & cum Balthasaro, & Friderico, Landgrauiis Thuringiæ & Marchionibus Misniæ, itemque cum Sigismundo, & Alberto, Principibus Anhaltinis fuit composita. Cum vero Archi-Episcopus Moguntinus Johannes Nassouius, qui astutus & callidus dicebatur, huius cædis auctor haberetur, Henricus Dux Brunsuicensis, frater occisi Friderici Imperatoris, Senatui Brunsuicensi grandi summa pecunia ius monetale, Ascheburg und Oldenwerck anno 1401. oppignorauit, exercitum collegit, & vna cum Hermanno Principe Hassiæ agrum Waldeccensem ingressus, primum Naunburg Eccle-

siæ

ſiæ Moguntinæ oppidulum, Henrico ferreo Waldecco pignori obligatum, & arcem, in qua Fridericus ab Hertingshauſen Eques auratus erat, obſidione cinxit, ſed cum omnium rerum penuria in exercitu eſſet, præter omnem ſpem obſidio ſoluta eſt; Poſt etiam, diœceſi multo damno illato, nobiles quidam anno 1406. vrbem Moguntinam cædibus & direptionibus affecerunt. Denique inter Ducem Brunſuicenſem, Henricum, & Henricum VValdeccum, compromiſſum initum, in quo arbitrarii iudices ſelecti ſunt, Bernhardus frater, & Otto, Duces Brunſuicenſes & Luneburgenſes ex illa parte, ex hac vero, VVilhelmus Epiſcopus Paderbornenſis, & Johannes Comes a Ziegenhagen, & de pace conuentum fuit.

SOPHIA, ſoror Henrici ferrei, monialis in Volckardinghauſen.

ADOLPHVS IV. Dei gratia, filius Henrici ferrei, vxorem Agneſiam, Johannis, comitis in Ziegenhagen filiam duxit, anno 1381. Hic Adolphus, & filius Otto, per multos annos cum fratre Henrico, eiusque filio VVolrado in diſſidiis, hæreditatis paternæ cauſa, vixerunt, crudelia bella inter ſe geſſerunt inuicem, cum magno ipſorum & poſteritatis malo, inteſtina aluerunt odia. Henricus enim confœderationis litteras, quas pater Henricus cum Henrico Landgrauio confecerat, Landgrauio reſtituit, iisque renunciauit. Hinc conqueritur Adolphus, quod ipſe a Landgrauio bello fuerit inuaſus, vltra decem millia florenorum damnum acceperit: itemque inculpauit fratrem Henricum, quod cum ciues Corbaccenſes, ipſorum fratrum nomine montem Schälenberg expugnaſſent, Henricus ſolus illum Archi-Epiſcopo Colonienſi 400. aureis Rhen. vendiderit. Et quamvis ſæpe pacis mentio fieret, impedientibus plerisque potentibus, quibus ea discordia quæſtus erat, omnis tractatus irritus fuit. Tandem per Johannem & Gottfridum, comites in Ziegenhagen, ex prouincia ad hoc

ele-

electos, discordia VVildungi anno 1421. consopita, comitatus inter ipsos diuisus, & sequentia pacta, mediante iuramento corporali, inita sunt. 1) vt omnes libri feudales, acta, aliaque documenta communia in arce VValdeck reponantur. 2) feuda aperta ad ipsos deuoluantur. 3) Ecclesiastica beneficia simul ab ipsis conferantur. 4) Dissidia inter ipsos exorta a Burgmannis & consiliariis ipsorum componantur. 5) Quilibet comes de VValdeck, decimo quarto ætatis suæ anno, ad hæc pacta iuramento suo confirmanda, obstrictus sit. Hæc transactio a statibus comitatus VValdeccensis fuit confirmata, anno 1421. Fuit quoque transactio an. 1426. & 1427. cum aliis insertis punctis renouata. Tandem mortuo Adolpho, conuenerunt Henricus, & filius VVolradus, cum Ottone, Adolphi filio, de mutuis auxiliis præstandis, si alteruter ex ipsis hostiliter fuerit inuasus, anno 1431, post Misericordias Domini. Quinto mense ab hoc fœdere pacto, Otto, filius Adolphi, suam partem comitatus offert Ludouico Landgrauio Hassiæ, & ab eo in feudum recepit.

HENRICVS VII. Dei gratia, filius Henrici sexti, Adolphi frater, pro more ipsius seculi in Palæstinam profectus est. Vxor eius Margaretha, Henrici comitis de Nassau, VVisbaden, filia; Patre Henrico ferreo defuncto, fratrem Adolphum, ad comitatum cum ipso diuidendum, vi, & transactione supra dicta inita coëgit. Anno 1408. fœdus iniit Henricus comes, cum Landgrauio Hermanno, contra Canstein, Padtberg und Spiegel in Dessenberg. Anno 1409. induciæ factæ sunt ab Henrico VValdecco, inter Hermannum Landgrauium, & Fridericum ab Hertingshausen, eiusque filium, itemque Eckhardum, & Fridericum a Rosentocht, fratres. Continua bella inter Henricum VValdeccum, & Fridericum de Padberg, ab anno 1412. vsque ad annum 1418. fuerunt. Cum enim Padbergius, vir contentionis amans, valida conscripta militum manu, & robustis-

ſtiſſimo inſtructus equitatu, agrum Corbachianum ingreſſus, ingenti præda pecorum potitus eſt, Corbachiani, auxilio Hildebrandi Gogreuii, & Conradi a Geismar, multorumque Equitum, hoſtem inſequentes, prædam recuperarunt, vbi poſt diurnam concertationem, Padbergenſes a ciuibus circumuenti, plurimi occiſi, inter quos Johannes Padbergius, frater Friderici, centum vero & viginti capti ſunt. Factum hoc menſe Junii, anno 1413. Captiui denique ingenti pecuniæ ſumma redemti ſunt, ex qua comiti Henrico mille aurei pro præcipuo relicti, cæteri e captiuis exacti, æqua lance diuiſi ſunt. Captus quoque fuit Fridericus Padbergius, cum fratre Gottſchalcko, quem tandem Henricus comes, agro paterno, ditioneque mulctatum, ſub fide obſtagii, & iuramento corporali a Padbergis præſtito, e vinculis miſſum fecit, die martis anno 1414. Sed Fridericus damnum reſarcire ſtudens, bellum contra VValdeccenſes iterum mouit, verum hi acriter reſiſtentes, filium Friderici Padbergii capiunt, agrum quoque Padbergenſem inuadunt, cæſis nonnullis, quatuordecim captiuos domum ductos, vinculis mancipant, quorum nonnulli de patibulo ad villam Dingeringhauſen ſuſpenſi ſunt. Denique Johannes filius ſub fide data, & promiſſis 2000. florenis aureis, ſub oppignoratione domus Padbergenſis, e carcere dimiſſus, & ſiluis vtriusque exuſtis, deſtructis villis, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, commeatu & pecunia Padbergenſes deficientibus, de pace conuentum fuit. Archi-Epiſcopus autem Colonienſis Fridericus, tranſigens cum comite VValdecco Henrico, duo iſta millia florenorum in reluitionem pignoris ſoluenda, promiſit. Anno 1420. Henricus comes confoederationem iniit cum Ludouico, Landgrauio Haſſiæ, ad vtriusque vitam, neminem illorum alterius hoſtem fieri, & quemlibet alterius ſubditos, ſicut ſuos defendere, obſtrictum eſſe debere. Quæ confoederatio iurata inter Henricum Landgrauium, & Wolra-

radum, Henrici comitis filium, cum filio Philippo, comitibus VValdeccis, renouata fuit, anno 1474. Anno 1420. Corbachii templi D. Basilii pars, quæ meridiem spectat, quadrato lapide ædificari coepit, sed bellicis motibus intermissa, tandem ea, qua nunc conspicitur forma, est absoluta. Anno 1421, die mercurii post Lætare, Henricus comes, de VValdeccensi comitatu ex mandato Sigismundi Imperatoris, per Adolphum, comitem de Nassau, commissarium cæsareum, in præsentia Conradi III, Archi-Episcopi Moguntinensis inuestitus est.

OTTO V. Dei gratia, filius Adolphi, vxorem Annam, filiam Mauritii, comitis de Oldenburg, duxit, anno 1404. Fuit vir rei militaris experientissimus. Adolphus vero, Pater Ottonis, cum fratre Henrico, eiusque filio, VVolrado, diu multumque in dissidiis vixit, tandem foedus iniit; quo facto, hic Otto filius, partem suam comitatus, præfecturam Landauiensem, cum pertinentiis, Ludouico, Hassiæ Landgrauio, anno 1431. cum consensu filiorum suorum, Johannis, & Henrici, comitum in VValdeck, obtulit in feudum hæreditarium, & pro se & hæredibus suis, zu einem Erb Mann Lehn recepit. Landgrauius quoque, subditis VValdeccensibus, in casum aperturæ, quod ipsorum priuilegia, immunitates, aliaue iura, quæ antea atque etiam vsque in illa tempora habuerunt, salua manere debeant, alles bey Fürstl. Ehren und Treuen, iuramenti loco promisit. Ad hæc Otto comes, Landgrauio Hassiæ Ludouico 3100. aureos rhen. mutuo dedit, cui summæ arx Schöneburg, & præfectura Geismar opposita, pignoris loco habita sunt. Quæ obligatio anno 1472. a Landgrauio Henrico renouata fuit. Anno 1458. renouauit Landgrauius inuestituram des Erb Mann Lehns cum Ottone. Moritur Otto, comes VValdeccus, anno 1459.

JOHANNES I. filius Ottonis V.

HENRICVS VIII. filius Ottonis V. Horum duorum fra-

fratrum, & filiorum Ottonis fit mentio in prima inuestitura Hassiaca, anno 1431. confecta.

WOLRADVS I. Dei gratia, filius Henrici VII. Vxor Barbara, comitissa de Wertheim, hic vna cum Patre suo comitatus alteram partem, proprio motu, Ludouico Landgrauio, pacifico dicto, in feudum etiam obtulit, atque iterum in feudum hæreditarium pro se & hæredibus suis recepit, anno 1438. Hic Wolradus comes, Fridslariæ, Amœneburgo, Neustadt, Schöneberg, Naumburg, Geismar, Rosenthal, Gesperg, aliisque locis, nomine Conradi, Archi-Episcopi Moguntini annuo salario octingentorum (alii quadringentorum) aureorum ipsi constituto, fuit præfectus. Anno 1434, Archi-Episcopo Coloniensi, Theodorico, adstitit, contra Adolphum Ducem Cliuensem, eiusque filium Johannem. Item contra Susatum, omnesque Electoris Coloniensis hostes. Quod bellum ad defectionem vrbis Susati, ab Episcopo Coloniensi ad Ducem Cliuiæ, durauit ab anno 1440. vsque ad annum 1447. tandem vtraque ditione misere afflicta, pax fuit facta. Anno 1462. Archi-Episcopus Moguntinus, Albertus, cum Antecessore Theodorico, comitibus Waldeccensibus debebant, tum temporis 9226. florenos rhen. Sanxit Wolradus, vt Philippus, filius natu maior, solus succedat in gubernatione, ac sic continue in familia obseruaretur.

MARGARETHA, Soror Wolradi, nupta Henrico comiti ab Honstein, anno 1454.

ELISABETHA, filia Wolradi, nupta Alberto, Duci Brunsuicensi in Grubenhagen, anno 1468. (alii 1441.) ille obiit anno 1486.

N.N. Vxor Johannis, comitis in Ziegenhagen. Anno 1450. sacellum in oppido Corbachiano nouo, collatis ad hoc 6000. aureorum, a Johanne Rinellio ædificatum.

OTTO VI. filius Ottonis V. natus an. 1408. Vir acris ingenii, & ad rem militarem natus, conniuente fortu-

na cunctis finitimis terrori fuit. Circa annum 1450. diffidationem habuit cum Proceribus Paderbornensibus, Hermanno Judden, Henrico ab Ense, Ottone Holzhusio, aliisque nobilibus, qui agrum Waldeccenser igne ferroque deuastabant. Sed his non incruenta fuit victoria; siquidem Ludouicus, Hassiæ Princeps, in fœderis opem, auxilium Waldeccensibus ferebat, quo effectum est, vt non minorem cladem sustulerint nobiles, quam intulerint, cessauitque tandem vtriusque internecio. Vxor eius prima, Metha, filia Johannis comitis a Neuenar, quæ obiit anno 1464. sepulta in Flechdorff. Secunda vxor Elisabetha, filia comitis a Tecklenburg, ducta anno 1465. ex qua nata est filia Eua, quæ postea, patre defuncto, nupsit comiti Johanni de Nassau. Anno 1460. Ludouico Hassiæ Landgrauio in bello contra ciuitatem Einbeccensem adfuit, primus hostem aggressus, per medium hostium agmen perrupit, parumque abfuit, quin vrbem paucis militibus occupauerit, victi oppidani, & in carceres coniecti, magno ære se liberarunt. Anno 1465. Ludouicus, Landgrauius Hassiæ iunior, Ludouici pacifici filius, confirmat ipsi Ottoni, & masculis hæredibus centum aureos annuos, ob resignationem comitatuum Ziegenhagen & Niddæ, cum pertinentiis. Auia enim Ottonis, erat filia natu maior, comitis Ziegenhagensis, qui absque liberis masculis moriebatur; Landgrauius vero Hassiæ filiam natu minorem vxorem duxerat. Moritur Landgrauius Ludouicus iunior an. 1471. Otto hic comes restaurauit monasterium Volckardinghausen collapsum. Diffidationem aluit cum Reinhardo de Lippe, Episcopo Paderbornensi, an. 1463. Anno 1471. Rubertus Archiepiscopus Coloniensis, Ottoni VValdecco ad quadriennium, certam summam aureorum, vna cum expensarum refusione & damnorum inde existentium, pro defensione castri Martisburgi singulis annis ex quæstura Arnsburgensi soluendos constituit. Diffidationem

nem quoque habuit cum comite Johanne de Rittberg, qui oppidulum VValdeccenſe, Rhoden, magnis afflixit incommodis, abacta hominum pecorumque ingenti præda. Hanc vindicaturus iniuriam Otto Waldeccus, die lunæ Pentecoſtes an. 1478. agrum Erwitte, VVanſcheidt, cum cæteris pagis & villulis, igne ferroque vaſtat, rediens onuſtus opulenta præda. Sic quoque cum Johanne, Gotſchalcko, & Henrico ab Haxthauſen, aliisque nobilibus VVeſtphaliæ, nec non cum Stephano de Malsburg, an. 1482. diffidationem aluit. Ludouico, Landgrauio Haſſiæ, nomine fratris ſui Hermanni, Archiepiſcopi Colonienſis, contra vrbem Volckmarſen ingenti agmine Otto VValdeccus aſtitit, quæ tandem Archi-Epiſcopo ſe dedit an. 1480. Anno 1489. turris in oppido VVildungen cum templo, prioribus annis inchoata, in altum perducta & ædificata fuit, id quod ex numero turri, meridiem verſus inſcripto, conſpicitur. Circa hoc oppidum VVildungen ſaluberrimi ſunt fontes acidi, qui hominibus calculoſis, lienoſis, iecoris inflammatione, aliisque morbis afflictis, exceptis pulmonariis, maxime proſunt. Horum fontium vnus, cum aliis riuulis an. 1370. primum per Hermannum Schmincken per canales in dictum oppidum ducitur, exinde optima cereuiſia, quæ feces ſuas proprio motu eiicit, coquitur, ideoque in toto oppido nullus hominum ibidem natus, morbo calculi veſicæ laborat. Hinc etiam quotannis, menſe Maio, Junio, Julio, Auguſto, Principes, comites, nobiles, aliique plurimi homines ibi conueniunt, illisque fontibus quilibet per totum menſem & vltra, ſanitatis ergo vtitur. De huius fontis vſu & ſaluberrima efficacia, Joh. Ellenberger, Med. D. integrum Tractatum conſcripſit, & typis excudi fecit, quem D. Ramlouius auxit, ac Marburg. edidit. Anno 1495. 11. Octobr. hic Otto comes, teſtamenta coram Notario & teſtibus condito, & multis relictis legatis, Philippum II. & Henricum IX. comitos VValdecc. hæredes terræ

ſuæ fecit, non quidem certis portionibus, ſed in iis, quæ cuilibet de iure competere poſſint. In ſpecie vero Philippo II. certam pecuniæ ſummam, qua arcem & præfecturam Schönburg ab Haſſiæ Landgrauiis pignoris loco poſſederunt, reliquit & ſanxit, vt Philippus VValdeccus hac ipſa pecunia redimeret pagum Ehringen, 1400. aureis Haſſiæ Landgrauiis oppignoratum, qui pertinens ſit præfecturæ Landouienſis. Obiit Otto Waldeccus an. 1497. ætatis ſuæ ann. 89. ſepultus in monaſterio Volckardinghauſen.

PHILIPPVS I. filius VVolradi I. natus an. 1452. vxor Johanna, comitiſſa a Naſſau-Dillenburg, ipſi primo ætatis anno deſponſata fuit, cum vterque infans eſſet, hac pollicitatione, vt vnicus tantum comitatui VValdeccenſi præeſſet. Anno vero 1463. conuentum fuit inter parentes Wolradum de Waldeck, & Johannem de Naſſau, vt ſequenti anno 1464. matrimonium adhibitis ſolennibus effectum ſortiretur, quod ita factum eſt. Moritur Philippus I. an. 1475.

PHILIPPVS II. Dei gratia, filius Wolradi I. natus an. 1453. qui ſanctione paterna monaſticam vitam degere debuit; mortuo vero fratre Philippo I. relicta vita monaſtica, duxit vxorem Catharinam, filiam Cunonis, comitis in Solms, quæ obiit 1492. ſepulta Corbachii in templo Franciſci. Ille fuit vir acerrimi iudicii, & conſilio grauis. Secundam vxorem Catharinam, filiam Brunonis, Domini in Keferingen, viduam comitis a Schwartzenburg duxit. Anno 1480. auri foſſoribus in monte Iſenburg ordinem & leges præſcripſit, & Conradum Leusmannum rei Magiſtrum (Bergmeiſter) fecit. Anno 1485. nomine Imperatoris Maximiliani Ducem de Cleue, ſuis impenſis hoſtiliter aggreſſus eſt, alens 400. Equites in Marchia, 800. Equites & 200. pedites ad Suſatum, & alios 100. Equites, vſque dum diffidatio ſopiretur. Anno 1487. ſtruxit monaſterium Franciſcanorum in Corbach, Anno 1493. profectus

eſt

eſt in Palæſtinam. An. 1495. die 29. Auguſti, præſentibus Landgrauio Haſſiæ, Wilhelmo iuniore, & Wilhelmo medio, Haſſis, regalia comitatus Waldeccenſis ab Imperatore Maximiliano recognouit. Stipendium militare, vulgo dictum Manngeldt, a Philippo I. Rege Hiſpanico, a Maximiliano I. Imperatore, a Carolo V. Imperatore, ab Electoribus, Moguntino, Colonienſi, Saxonico & Brandenburgico, a ducibus Brunſuicenſibus, Megapolitano, & Iuliacenſi habuit. Ducem militiæ in Weſtphalia egit, & Vicarius (Stadthalter) comitatus Rauensburgenſis, & dynaſta Flotinus fuit. Hic Philippus, & maiores ipſius, a ſeptingentis annis retro ſcripſerunt ſe & appellarunt, *Dei gratia, von Gottes Gnaden, fauente Dei gratia, Comites in VValdeck*, quod ſcil. comites Waldeccenſes ſecundum Deum Imperatori Romano honorem ſuum ferant acceptum. Stilus autem & mos notiſſimus imperii Germ. eſt, vt non niſi ſuperioribus, vel immediate imperio ſubiectis, hoc tribuatur. Maximis animi dotibus hic Philippus fuit præditus, atque inde in Wilhelmi Ducis Juliacenſis aula aſſidue verſabatur, indiuiduus peregrinationis comes, cuius conſilio & auctoritate nihil non in rebus aulicis gerebatur, quo effectum eſt, vt perpetuum apud prouinciales nomen conſequutus ſit. Anno 1495. die 29. Aug. comites Waldeccenſes, ab Imperatore Maximiliano, de fodinis metallicis & ſalinis, Wormatiæ inueſtiti ſunt. Anno 1497. diffidationes inter Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem ex vna, & Philippum ac Henricum, comites Waldeccenſes ex altera parte, per Wilhelmum iuniorem, Haſſiæ Landgrauium, ſopitæ ſunt. Mortuo Ottone VII. anno 1497. ſine liberis maſculis, qui Philipp. II. hæredem inſtituit, inter ipſum Philippum, & Henricum, Philippi I. filium acriter de bonis Ottonis, non tantum vi armata, ſed etiam via iuris, cauſa ad Cameram imperialem anno 1498. deuoluta, diſceptatum fuit. Tandem vero lis per tranſactionem

fuit composita, a. 1507. ita, vt Philippus maneret hæres vniuersalis; Henrico vero quædam bona specialia ex hæreditate attribuerentur, vtpote dimidium præfecturæ Rhodensis, cum oneribus & alia. Ciuitates quoque æqualibus conditionibus diuisere, conuenerunt quoque, vt quilibet comes Waldeccus decimum quartum annum ætatis egressus, ad pacta ista iuramento corporali confirmanda obstrictus sit. Anno 1500, Rabe Canstein, Nobilis, cui cum Philippo Waldecco assiduum erat bellum, ob confinia, diebus bachanalibus clanculum noctu oppido Mengeringhusano murum perfringit, igneque oppidum incendit, vbi 52. ædes combustæ, & tres ciues occisi sunt. Anno 1509. VVilhelmus, Landgrauius Hassiæ iunior, Philippum comitem VValdeccum seniorem penes alios, curatorem filii Philippi, Hassiæ Landgrauii, testamento constituit, quo anno 11 Julii Landgrauius VVilhelmus obiit; sed cum discordia esset inter viduam VVilhelmi, Landgrauii Hassiæ, Annam, Viraginem mente Amazonem, & Ludouicum Boineburgum, Gubernatorem Hassiæ, de hac, cum Duces Saxoniæ Johannes, & Henricus, curatores Philippi iunioris Hassiæ cum Friderico Electore Saxoniæ, item Philippus Dux Brunsuicensis, necnon Philippus senior cum filio Philippo, & Philippus, Henrici comitis filius, Comites Waldeccenses Casellis conuenirent, Philippus ille Brunsuicensis, & tres Philippi Waldeccenses, neutri parti adhærentes, præsidebant, sed causa vtriusque audita, conuentus re infecta dissoluitur. Interim oppidani, quorum alii a parte viduæ, alii a parte Gubernatoris stabant, magnum excitarunt tumultum, arcemque bombardis, aliisque instrumentis petiuerunt. Philippus vero VValdeccus, senior, vir auctoritate eminens, & facundia excellens, ex arce missus, furenti armatoque populo obuiam venit, supplex orans, vt arma deponant, cuius oratione moti, domum se conferunt, sed confestim nouus ex vano rumore oritur tumultus,

quasi

quasi Saxones Duces, ex instituto Gubernatoris, Philippum, Principem impuberem, fune ex arce dimissum, secum sint abducturi. Philippus VValdeccus denuo plebem furiosam alloquitur, demonstrans vanum esse rumorem, cuius dictis fides habita, & sic auctoritate huius viri turbulenta seditio pacata & exstincta fuit. Huc quadrat illud apud Virgil. Lib. I. Æneid.

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sæuitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat,
Tunc pietate grauem ac meritis si forte virum quem
Conspexere; silent, arrectis auribus adstant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ludouicus Boineburg vero, inter Saxoniæ Ducum Equites, ceterique Gubernatoris Collegæ, Philippum Waldeccum secuti, vrbem egressi, iratæ plebis manus effugerunt. Anno 1516. 3. Idus April. Gottfridus Beroingius, Franconiæ Nobilis Eques, manu quidem promtus, sed ingenio deprauatus, & ad omne facinus paratus,, cognomento ferrea manus, hostis Archi-Episcopi Moguntini, cum sexaginta Equitibus ex Hassiaca nobilitate, annuente Anna, Principe Hassiæ, in syluis Sentfeldiæ prope monasterium Dalheim, Philippum seniorem, ad Ducem Cliuiæ proficiscentem, circiter vespertinam crepusculam ex insidiis cepit penes cœnobium Hayne in Hassia, vestibus exutum, equis & famulis destitutum, captiuum in Franconiam abduxit, & in arce quadam custodiuit, vnde non nisi solutis octies mille & nongentis aureis nummis relaxatus est. Quamuis autem Philippus filius, patris statum Wetterauiensibus Comitibus significauerit, assistentia tamen omnis intermissa fuit. Pater autem Philippus, constituto die relaxationis, prope Coburgum solus, veste obtrita & lacerata indutus, & semiamictus collocatus fuit: filio vero effusis lachrymis patrem aspiciente, Pater, filium forti & constanti animo alloquitur his verbis: Fili, bono esto

animo, quid Te affligis, pone lacrymas, & Te collige; nobis enim bene eſt benignitate Jeſu, noſtine moderate in vtramque fortunam ferenda eſſe omnia, nunquam proſperis attolli, neque aduerſis deprimi debere? Nunquam rationi diffidendum, neque fortunæ aduerſandum, ſed ſperanda meliora ſunt omnia. Quare cum in humanis rebus nulla ſit certitudo, nulla ſtabilitas, nulla fides, nihil ſapienti oportet eſſe inopinatum, cum vſu quotidie didicerit, vt lætis triſtitia, triſtibus læta ſuccedant, proinde dolorem pectoris tui excute, teque tui ſimilem redde. Filius vero Coburgi patri de veſtibus condignis proſpicit, atque illinc profecti per Saxoniam, Haſſiam vitantes, vix ſtructas denuo inſidias euadentes, ad Epiſcopum Paderbornenſem ſe conferunt, vbi mox a Johanne, Juliæ Duce litteris accerſuntur, & poſtmodum in patriam redierunt. Hinc nocte natalitia Chriſti, qua in arcem Waldecciam redierunt, tria tormenta ænea exploduntur. Moritur Philippus Senior anno 1525. Annum vitæ compleuit 72. ſepultus in monaſterio a ſe Corbachii conſtructo, Wolradus vero II. 1. Maii anno 1576. ſolenniter tranſtulit eius & coniugis corpus ad templum D. Nicolai in Corbach. Cum anno 1500. & anno 1507. totum imperium Rom. in ſex, poſtea vero anno 1522. in decem circuols fuit diuiſum, comites Waldeccenſes, vtpote immediati imperii ſtatus in numerum circuli rhenani ſuperioris adſciti fuerunt, ideoque nullius, quam Imperatoris Romani ſuperioritati ſubiecti ſunt. Anno 1521. 29. Jan. Imperator Carolus V. Comitibus VValdeccenſibus fodinas metallicas nec non ſalinas in feudum conceſſit.

FRIDERICVS I. Filius VVolradi I. Epiſcopus Monaſterienſis 48. reſignauit anno 1532, Cui etiam Ericus Dux Brunſuicenſis ſucceſſit; ſed quia eodem anno, 14. Maii morte præuentus, vix ſex ſeptimanas præfuit, poſt eum electus eſt Franciſcus comes VValdeccus, qui poſtea Anabaptiſtas in vrbe Munſter expugnauit. Obiit Friderich anno 1551.

HEIN-

HENRICVS IX. Dei gratia, filius Philippi I. cuius vxor Anaſtaſia de Runckel Iſenburg ducta, anno 1492, vir magnanimus, pacis & otii amantiſſimus. Huic Henrico, eiusque Patruo Philippo Corbaccenſes iuramento ſe obſtrinxerunt, nunquam ab ipſis eorumque hæredibus diſceſſuros. Anno 1497. vicarium comitatus Vianden, a Johanne comite Naſſouico conſtitutus, egit, cui Henrico, eiusque filio Philippo, Archi-Epiſcopus Moguntinus, Jacobus, quotannis centum florenos pro ſtipendio militari (Manngeldt) ad vitam conſtituit; contra vero ipſi comites octo equis ac ſeruis inſtructi, facta euocatione, obſtricti fuerunt, anno 1501. Anno 1500. nouum ædificium in arce VValdeck, vbi cancellaria & armamentarium habentur, funditus exſtrui coepit: Anno 1504. VVilhelmo Landgrauio Haſſiæ in expeditione militari, & ab Imperatore Maximiliano demandata executione contra Ludouicum Palatinum adfuit. Diſſidia, quæ cum Philippo II. de hæreditate comitis Ottonis VII. ab anno 1498, vsque ad annum 1507. incluſive aluit (de quibus ſupra ſub Philippo II.) per Johannem comitem de Naſſau, aliisque ex comitatu electos compromiſſarios compoſita ſunt anno 1507. Hoſtem habuit Hermannum Sagittarium, latrocinio inſignem, qui ex inſtinctu nobilium de Löwenſtein & Viff, tum concordium, alioquin ſemper diſcordium, itemque ope & auxilio Ebert Schencken, Ditmar Lindenbachs, Conrad de Boineburg, Gilbracht von Rodenhauſen, Johann Schlencken junioris, Gottſchalck Fincke, & aliorum, VValdeccenſem agrum igne & ferro deuaſtauit, pagos Niedern Urff Welden & Arnisfeldt incendit, in Schweinsburg arce munitiſſima nobilium Schenckorum arce latitans. At vero Henricus comes adverſus complices arma mouit, pagis illorum incenſis, ingenti præda domum rediit. Tandem diſſidium per Ludouicum de Boineburg, Haſſiæ Gubernatorem, & alios, compoſitum fuit anno 1510. Denique Henricus comes

obæſo corpore febri correptus, rebus humanis valedixit, anno 1513. & Netza ſepultus.

PHILIPPVS III. Dei gratia, filius Philippi II, natus ex primo matrimonio, anno 1482. Vxor Alheid, filia comitis de Hoia, fuit vidua comitis a Steinfurth, ducta anno 1503. Anno 1504. hic Philippus, cum Patruele Henrico VValdecco, caſtra VVilhelmi, Landgrauii Haſſiæ ſecutus eſt, cum executio cuiusdam ſententiæ latæ Romæ, pro monaſterio VVisburgenſi contra Ludouicum comitem Palatinum a Maximiliano Imperatore demanda eſſet, quo hominis contumaciam, alioquin ob ingentem opum affluentiam hactenus inſolentiorem domaret. A VVilhelmo Landgrauio petitus, filiam ipſius 13. Novembr. anno 1504. in caſtris ex Anna Megapolitana natam, de ſacro fonte leuauit, ſuumque nomen impoſuit. Diffidationem, quam cum Lippoldo Canſteinio, Rabonis fratre, homine crudeli ac ſanguineo habuit, per Haſſiæ Gubernatorem Boineburgum, eiusque collegas arbitros, nec non per legatos Colonienſis Epiſcopi, aliosque nobiles & ciuitates Lycopoli (Wolffhagen) ſopita fuit, anno 1512. Iter in Palæſtinam ex voto ſuſcepit, nobilibus octo VValdeccis comitatus: Conſtantinopoli agnoſcitur a Baſſa, qui in iuuentute Heidelbergæ litteris operam dederat. Rediens ex Syria coniugem ex partu mortuam reperit, anno 1513. cuius monumentum Netzæ ſepultæ filius VVolradus II. poſuit A. C. 1546. Anno Chriſti 1514. cum Anna, Princeps Haſſiæ, ob adeptam gubernationem, cum hoc Philippo VValdecco, itineris comite, ad cæſarem Maximilianum proficiſceretur, Philippus in itinere cum Vdalrico, Duce VVurtenbergenſi ad haſtarum certamen prouocatur, corporisque viribus, quibus præcipue præcellebat, vſus, hominem ex equo deiicit. Anno 1516. relaxato patre Philippo e manibus Berlingi cum patre proficiſcitur ad Johannem Cliuiæ ducem, vbi ipſi aliquamdiu commorati, cum Anna filia Ducis Cliuienſis vnica, nata

4 Maii, 1497, de matrimonio conuenit inuitis tamen parentibus filiæ, qui filiam carcere mancipauerunt; Philippus vero ad aulam cæſaris Maximiliani ſe conferens, cæſari rem aperit, cuius auctoritate tandem, & parentum conſenſu, matrimonium, quamuis ob intercedentem dicti Imperatoris mortem, tardius fuit conſummatum: nuptiæ Dillenburgi habitæ ſunt anno C. 1520. Hic Philippus quinque filios ex duobus matrimoniis habens, cum ob morbum ac ætatem amplius regimini præeſſe non potuit, frater ipſius Franciſcus, comes VValdeccus, Epiſcopus Monaſterienſis, itemque Landgrauius Philippus (quem Philippus III. VValdeccus an. 1504. e ſacro fonte leuauerat) cum Philippo IV. VValdecco, ac Reinhardo comite Solmenſi, partem comitatus Philippi non in quinque, ſed duas tantum partes diuiſerunt, ita, vt duo filii, VVolradus, & Otto ex primo matrimonio, vnam, ceteri vero tres Philippus (quem Philippus Landgrauius e ſacro fonte leuauit) Johannes, & Franciſcus ex ſecundo matrimonio nati, alteram partem conſequerentur, his additis pactis: (1) vt in qualibet parte vnicus tantum ſit, qui gubernationi tantum præeſſet, atque ita VVolradus ſolus ex primo matrimonio Iſenburgi, & Johannes natu ſecundus ex poſteriori matrimonio Landouii, fratribus tamen aliquid pro ſuſtentatione honeſta dantes, habitarent. (2) vt quatuor maiores, qui decimum quartum ætatis annum exceſſerunt, iuramento pacta iſta confirmarent; Franciſcus vero natu minor, cum compleuiſſet annum decimum quartum, ſimiliter ſuper pactis iſtis iuramentum corporale præſtare teneretur. Transacta hæc ſunt VValdecciæ, menſe Nouembri an. 1538. Moritur Philippus an. 1539. Vxor, Anna Cliuiaca obiit Haſſolochii 24 Maii, anno 1567. ſepulta Mengeringhuſii, quo anno 8 April. filius eius Johannes, comes VValdeccus, Landouii mortuus eſt.

GEOR-

GEORGIVS, Filius Philippi II. natus anno 1483. ex primo matrimonio, Lutetiæ Parisiorum obiit.

FRANCISCVS I. Dei gratia, filius Philippi II. ex secundo matrimonio natus, Episcopus Monasteriensis, qui anno 1535. 25 Jun. vrbem Münster ab Anabaptistis occupatam, obsidione cinxit, & auxilio procerum imperii, ductore Henselino Hochstraten expugnauit, de Johanne de Leiden sarcinatore, qui se Regem Israelis & Sionis nominabat, Knipperdillingio & Krechtio supplicia sumsit, quorum corpora candentibus igne forcipibus lacerata, & ferreis inclusa caueis e turri St. Lamberti suspensa sunt, 23 Jan. an. 1536. quo tempore insignis ille Nigromanticus D. Faustus eo ipso die Corbachii diuertens, prædixit, fore nimirum, vt eadem nocte vrbs Münster ab Episcopo expugnetur.

Electus Episcopus anno 1532. mens. Jun. Vocatur a Chytræo in Chronico Saxoniæ Libr. IX. p. 122. Princeps pius, sapiens, iustus, clemens, ac humanus, & non sæuiens in pios Euangelii ministros, & auditores; *post:* optimus & laudatissimus. Arnoldus Burenius scripsit orationem ad Franciscum I. cui præmisit Melanchton præfationem. In ea mirifice laudat Episcopum, quod incredibili, totius prope Germaniæ admiratione a Pontificia illa impietate ad puram Christi doctrinam se contulerit. Item: vnum illum ex omnibus Episcopis, quibus vnquam Westphala Ecclesia atque Respubl. fuerit commissa, exstitisse, qui primus in illam Ecclesiam, sacrosanctam Euangelii doctrinam, & In scholam vere piam & salutarem institutionem, omnibus ineptiis, impiisque somniis ex illis deturbatis, intulerit. Conf. Paneggr. Paderbornens. c. VII. p. 14. seqq. An. 1540. Episcopus Franciscus vsus est balneo Acidularum Wildungi, pastorem Augustanæ confessionis, cui nomen Johannes Gladenbach, secum habens; quo anno concionatores Augustanæ confessionis fuerunt Wildungi dicti Justus Abelius, Saxenhusanus, olim monachus in Volck-

Volckmardinghausen, & Johannes Heffentregerus Wildungensis; quorum hic mense Junio an. 1542. ille vero an. C. 1580. ætatis suæ 80. obiit. Episcopus Franciscus Wolbeciæ in Episcopatu Monasteriensi anno 1553. 18 Jul. obiit, quo anno Henricus Dux Brunsuicensis in Episcopos Westphaliæ sæuiit. Anno 1540. nobile vinum Wildungi natum, cuiuis vna mensura constitit quinque obulis (Heller) rhenanum nouem denariis (Phennige) & quidem rhenanum maluaticum superauit.

CLARA, Filia Philippi II. ex primo matrimonio nata, soror Philippi III. nata anno 1487.

ELISABETHA, ibidem ex primo matrimonio Philippi II. nata anno 1489.

PHILIPPVS IV. Dei gratia, filius Henricus IX. in aula regia apud Gallos versabatur aliquamdiu, natus an. 1493. facie formosa. Patre Henrico ex hac vita anno 1513. migrante, filio Philippo comiti, consules, senatores, ac ciues oppidi VVildungensis eo ipso anno homagium præstiterunt; e conuerso comes Philippus immunitates, consuetudines, ac priuilegia ipsorum, a prædecessoribus suis comitibus VValdeccis, oppido VVildungensi concessa, & data renouauit, eaque sarta, tecta seruanda pollicitus est; Vxor Philippi I. Margaretha, filia Edzardi, comitis Frisiæ Orientalis. Cum enim Philippus in comitiis VVormatiæ ageret, & Margaretha Friderici Brunsuicensis viduam secuta esset, de futuro matrimonio agi coeptum est, postea ducta anno 1522. celebratis nuptiis in Frisia magno apparatu, vndecim liberorum mater, tandem in puerperio obiit anno 1537. VVildungi sepulta. Secunda vxor Catharina de Hatzfeld, ducta 1539. ex qua nihil liberorum excitauit, obiit Naumburgæ Moguntinensi in arce, 30 Apr. an. C. 1546. ibidemque in templo sepulta; Cum Philippus arcem in oppidum Naumburg cum præfectura ab Archi-Episcopo Moguntino Alberto ab anno 1541. pro

3500.

3500. aureis & 1000. florenis & 26. albis pignoris loco possedit. Tertia vxor Guda Isenburgia comitissa, ducta anno 1554. 6 Octobr. moritur morsu cancri non bene secti anno Chr. 1564. 28. Jul. sepulta in oppido VValdeck. An. C. 1542. dominatum dimidium Itter, molam in Hertzhausen, & villam in Obernburg e manibus nobilium Wolffen de Gudenberg 3585. solidis regiorum turnosorum redemit; magna vero contentio orta de valore regiorum turnosorum (valor eines Königes Turnes) tandem ex sententia Jure consultorum Lipsiensium quilibet turnosus valuit quatuor albis, & vno obulo Hallensi, & 56. Turnosi pro quolibet solido soluendi venerunt. Alterum dimidium dominatus Itter Hassiæ Landgrauius Philippus redemit anno 1562. An. 1546. hic Philippus comes Waldeccus, cum aliis Principibus fœderis Smalcaldici, expeditioni bellicæ subsidium præstitit, ideoque odium cæsaris incurrit. Deprecans autem, solutaque mulcta trium millium florenorum, in gratiam cæsaris Caroli V. rediit, an. C. 1549. præmissis tamen pollicitationibus, se nullis confœderationibus contra Cæsaream Maiestatem Imperiumque Romanum interfuturum, vti comitem Imperii deceat se gesturum, & Cameræ Imperiali obedientiam præstiturum. Obiit Philippus an. 1574. die 30. Nouembr. suæ ætatis 81. regiminis 61. Netzæ sepultus; quo mortuo, filii adhuc superstites, comes Daniel, & Henricus, vt & Güntheri, præmortui comitis Samuelis filii, curatores, ac propinqui, paternam hæreditatem diuiserunt quidem, sed comiti Danieli, natu maiori quotannis 769. modios frumenti, & 280. thaleros, vna cum ipsius parte hæreditatis, vt eo melius onera comitatus tanquam senior sustentare possit, reliquerunt, anno 1578. Anno 1542. peste obierunt Wildungi 408. homines, & nouum cœmiterium penes portam, arcem versus, inchoatum est. Anno 1559. die 20 Maii Imperator Ferdinandus feudum de fodinis metallicis ac salinis comitibus

VVal-

Waldeccensibus renouauit. Anno 1563. die 20. Febr. ventus peruehemens ac fremebundus arbores in sylua Wildungensi, dem Hohenscheidt, terra eiecit, exinde noua Senatoria domus fuit exstructa. An. 1568. Wilhelmus Princeps Vraniæ cum quibusdam comitatus Wildungi fuit, multosque milites ibidem conducens, in Belgiam abduxit.

WILHELMVS II. Frater Philippi IV. canonicus Coloniensis, moritur Coloniæ, quo mortuo frater Philippus paternæ ditionis gubernationem adeptus est.

LIBERI PHILIPPI TERTII.

OTTO VIII. Filius Philippi III. ex primo matrimonio, Commendator in Langen & Steinfurth, obiit anno 1540.

WOLRADVS II. Dei gratia, filius Philippi III. ex primo matrimonio natus, anno 1509. die 28 Maii, sub cuius natiuitate stella insolita visa est per quatuor horas. Educatus in aula Episcopi Leodiensis, latinæ, græcæ & gallicæ linguarum peritissimus, canonicus Coloniensis fuit; sed præbendam postea resignauit Fratri Philippo; anno C. 1536. patre viuente gubernationem suscepit. Vxor eius fuit Anastasia Günthera, filia comitis Henrici in Schwartzburg, nata A. C. 1526. ducta anno 1544. die Dominica Exaudi, vbi in ipso arcis ingressu magnus solem circumstetit circulus, quem Burchardus Metobius, Astrologus, tum temporis Waldecciæ agens, per horam diligentissime obseruauit. An. C. 1546. colloquio Ratisbonensi nomine Philippi, Landgrauii Hassiæ aliorumque Protestantium, præfuit, quod maximam indignationem Cæsareæ Maiestati peperit. Fratri Ottoni scripsit Epitaphium: fuit comes sapiens, doctus & pius Princeps. An. C. 1548. die 21 Jun. hic Wolradus, vna cum Philippo iuniore, & Johanne comitibus Waldeccensibus Augustæ Vindelicorum Cæsari Carolo supplex factus, quod Landgrauio Philippo suppetias tulerat, contra Cæsaream Maiestatem, ad cæsaris pedes prouolu-

lutus, in gratiam ipſius rediit, ei autem iuri & priuilegiis reſtitutus in protectionem imperii contra omnes turbantes ſub pœna 50. marcarum auri puri ſuſceptus eſt, ſicut & Anna, Cleuenſis comitiſſa, ac vidua Waldeccenſis, cum filiis, Philippo iuniore & comitibus Waldeccis, in patrocinium ac protectionem ab eodem Imperatore Carolo ſub prædicta pœna contra turbantes adſcita fuit, die 15. Aug. an. C. 1548. Idque valuis templorum ac curiarum iuſſu cæſaris affixum fuit. Wolradus hic aulam habuit in monte Iſenburgico, in cuius montis fodinis anno c. 1560. inuentæ ſunt 27. marcæ auri, quælibet marca auri puri conſtitit 115. florenis, ad 15. bacos.

Anno 1558. 7 Oct. nobilis quidam Joachim de Saldern, Waldecciæ nuptias cum virgine nobili, Eua de Würtzburg nominata, celebrauit, quarta autem nuptiarum die extra arcem prodeambulans, bombarda ſemetipſum interfecit. A. C. 1562. die 18. Febr. Synodus Corbachii celebrabatur, in qua opinio Johannis Licaula, de infantibus ante baptiſmum morientibus non ſaluandis, condemnata, & ipſe de officio ſuo remotus eſt. Litteræ numerales inueniuntur in dicto Apoſtoli Pauli:

non oMnes obeDIVnt eVangeLIo.

Eodem anno die 3 Aug. turris templi Saxenhuſani, oppidi Waldeccenſis, corruens, maximam partem templi cum organo & campanis confregit. Obiit Wolradus comes in Eilhauſen, die 15 Apr. A. C. 1578. Corbachii ſepultus. Vxor vero Anaſtaſia, quatuordecim liberorum mater, obiit Iſenburgæ die 1mo Apr. ſepulta Corbachii in æde ſacra veteris oppidi, 5 April. an. 1570.

ELISABETHA, ſoror Wolradi II. ex primo matrimonio Philippi. III. vxor Johannis, vice-comitis in Melan & Gandau.

ERICA, itidem ex primo matrimonio Philippi III. nata die 19 Mart. anno 1511. vxor primo Eberhardi, comi-

comitis de Marca, & Arnsberg, anno C. 1526. deinde Theodorici comitis de Manderſcheidt vxor, an. C. 1534. obiit vidua die 8 Octobr. A C. 1560.

PHILIPPVS V. filius Philippi III. ex ſecundo matrimonio, canonicus Argentinus & Moguntinus, an. Chr. 1546. fuit a parte proteſtantium, anno 1547. die 26. Nov. Auguſtæ per legatum Pontificum ad Cæſarem Carolum ductus, irregularitate, in quam per hanc expeditionem inciderat, ſolutis 2500. florenis, pro ſe, & fratre Johanne, abſoluitur. Hic Philippus Junior cum matre Anna Cliuenſi vidua, & fratre Johanne, eorumque comitatu Waldeccenſi in protectionem Caroli V. Imperatoris ſuſcipitur, ann. Chr. 1548. & hoc publice valuis templorum & curiarum fuit appenſum. Accepit hic Philippus a fratre Johanne pro ſua parte bonorum paternorum, 12000. thaleros numeratos, ann. Chr. 1558. Dicitur, habuiſſe vxorem Eliſabetham ab Elſe, extra Comitatum Waldeccenſem, & obiiſſe die 2. Martii ann. Chr. 1584. Illa vero paucis poſt ſeptimanis mortua, & vterque eſt ſepultus in Huxwegen.

JOHANNES II. Dei gratia, dictus pius, filius ex ſecundo matrimonio Philippi III. matre Anna Cliuiaca, vxor Anna, filia comitis in Lippe, & Magdalenæ Mansfeldiacæ comitiſſæ, ducta anno Chr. 1567. quo die magna ecclipſis ſolis vltra decem puncta fuit conſpecta. Hoc eodem anno & menſe Gotha Thuringiæ capta, eodem anno, die 21. Martii Philippus Senior Landgrauius Haſſiæ moritur, & 4. Apr. Caſellis ſepeliebatur, ipſa Anna Comitiſſa, vidua comitis Joannis moritur die 24. Nov. ann. Chr. 1590. & Mengeringhuſium perducta, ibidemque ſepulta eſt.

FRANCISCVS II. Dei gratia, filius Philippi III. ex ſecundo matrimonio, educatus in aula Henrici VIII. Regis Angliæ, & Annæ Cliuiacæ, dicti Regis Henrici coniugis, antequam eam repudiaſſet, quod factum eſt anno Chr. 1540. Vixit poſtea in aula Reginæ Eliſabethæ.

Cohabitauit cum Maria, filia vnica Joannis Hogreuii, & Agnetis de Bernburg & Geissfeldt, obiit Maria in Düsseldorff anno Chr. 1580. vbi & sepulta. Multos quoque reliquerunt liberos, nepotes ac pronepotes, quorum quidam in hoc Comitatu adhuc sunt in viuis.

CATHARINA, Filia Philippi III. ex secundo matrimonio, vxor Bernhardi comitis Lippiaci, nupta an. Chr. 1550. die 8. Maii, obiit Bernhardus comes Lippiensis anno Chr. 1563.

ELISABETHA, itidem ex secundo matrimonio Philippi III. comitis.

LIBERI PHILIPPI IV.

SAMVEL, Dei gratia, filius Philippi IV. ex primo matrimonio natus, anno Chr. 1528. die 2 Maii. studiis honestis ac liberalibus sub Præceptore M. Iusto Senring, & postmodum Marburgi Cattorum inuigilauit, vixit aliquamdiu in aula Bruxellensi Regis Hispanici; Anno 1547. interfuit expeditioni militari protestantium, sub Johanne Friderico, Duce Saxoniæ, cum Dux ille a Carolo V. caperetur, die 24 Aprilis, Comes Samuel globo quidem grauiter, non tamen lethaliter vulneratus est. Vxor Anna Maria de Schwartzburg, fœmella quatuordecim annorum, filia Henrici comitis de Schwartzburg, ducta anno Chr. 1554. die 18. Octobr. Aulam habuit in arce Wildungen, in qua præfectura Atenwildungen fodinas cupri anno 1552. & reliquis annis inueniri & restaurari curauit, libertatem fodinarum metallicis concedens (Bergfreyheit) & typis excudi curans, vbi tanta inuenta est copia cupri, vt vnico semestri ex omnibus fodinis anno Chr. 1561. 4021. centenarios effoderint, itemque ab anno Chr. 1562. vsque ad annum 1571. ex quatuor saltem fodinis 1) die himmlischen Gaben, 2) zum Seegen Gottes, 3) zu denen fünf Eichen, 4) aller Heiligen genanndt, an der Leuchte, exceptis aliis fodinis cupri quamplurimis dictæ præfecturæ Wildungensis ex cupro venerunt pro lucro (zur Aus-

Ausbeute) 34482. thaleri imperiales. Primus fodinarum magister (Bergmeister) fuit Wolff Prasser, Senior. In hac præfectura Wildungensi, nec non Isenburgica etiam, quamplurimæ fodinæ ferri, cum officinis liquefaciendi & fabricandi ferri habentur. Samuel comes obiit die 6 Junii, mane sub concione sacra, intra horam octauam & nonam, ann. Chr. 1570. magna cum pompa, luctuosa tamen die 10. Jan. sepultus Wildungi, vbi filius Güntherus comes splendidum Epitaphium exstrui curauit. Vxor, mortuo marito, ob malam vitam peractam inclusa, die 26. Octobr. ann. Chr. 1571. moritur in monasterio Hainscheidt, ann. Chr. 1583. in Augusto; quod monasterium fundatum est ann. Chr. 1236. pro Virginibus monialibus, quæ tandem abiectis pudicitiæ habenis ann. Chr. 1468. expulsæ, & monachi ordinis Augustini introducti fuerunt. Tandem Philippus IV. monasterio ann. 1529. occupato, pastorem religionis Euangelicæ introducens, monachos adhuc superstites ad dies vitæ sustentari fecit. Anno 1550. die 11. Junii circa vesperam cuspis turris Wildungensis igneo fulmine accenditur, lapides, ferrum & plumbum, igne liquefacta circumuolant, adeo, vt nemo galea aliisque tegumentis accedere ausus sit. Tandem Johannes Witpracht, & Hermannus de Corbach, fabri lignarii, itemque Petrus Backbier, faber lapidarius (Steindecker) saccis, aqua conspersis, induti, pauimentum limo superinductum præparant, angusto turris intrudunt, statim aliud pauimentum, puro limo obductum subiiciunt, & cum ignis exusta turri ad 26. pedes, ad superius pauimentum venit, ibi subsedit exstinctus. Anno Chr. 1551. bonum vinum Wildungi natum, rhenano simile. Anno 1553. & 1554. peste Wildungi finitimisque locis grassante, Wildungi 271. homines necati sunt. Ann. 1555. mense Martio terra in agro Wildungensi, in circuitu centum & quinquaginta circiter pedes subsedit, & demersa est, vsque ad quinque

pedes, hodieque nominatur auf dem Bruch. An.1556. Cometa per duos menſes, Martium & Aprilem in comitatu hoc conſpectus fuit, quem ſecuta eſt maxima ariditas totius anni, cum magnis tonitribus, ac fulminibus. Mors etiam magnorum quorundam ſubſequebatur. Adolphus enim Archiepiſcopus Moguntinus, item Treuirenſis, Palatinus Rheni, & Albertus iunior, Marchio Brandenburgenſis, obierunt. Similiter ann. Chr. 1558. cometa ſeptentrionem verſus, in forma gladii, ſexies vel ſepties noctu viſus eſt Wildungi, quem ſterilitas meſſis & autumni ſubſequebatur; itemque mors Caroli V. Imperatoris, die Matthæi, eiusque ſororis Eleonoræ, & Mariæ Reginæ Angliæ, necnon Eliſabethæ, Philippi Landgrauii Haſſiæ coniugis, die 16. Decembr. ann. Chr. 1558. Denique Chriſtiani, Regis Daniæ, die 1. Jan. ann. 1559. ætatis 55. Regiminis 32. de an. 1560. Aſtronomi multis retro annis ſcripſerunt; *anno ſexageſimo, caueat ſibi omnis homo*; fuit autem fructuoſus & bonus.

DANIEL, Dei gratia, natus ann. 1530. die 1. Aug. Fuit in expeditione militari, anno Chr. 1552. ſub comite Chriſtophoro de Altenburg, a parte cæſaris Caroli V. contra Regem Galliæ, in obſidione Metenſi, rediit Wildungum die 9. Decembr. In Gallia quoque cum fratre Henrico in exercitu Principis de Conde, ſub Friderico de Rolshauſen, contra ducem de Guiſa fuit, an. Chr. 1563. vbi commiſſo prælio, 9570. milites a parte ducis de Guiſa perierunt. Vxor Danielis comitis Barbara, filia Philippi Landgrauii Haſſiæ, vidua Georgii Haſſiæ, vidua Georgii Ducis Würtenbergici & Mompelgardt, ducta 11 Nouembr. ann. Chr. 1568. nuptiæ Caſellis celebratæ. Obiit Comes Daniel Waldecciæ die 7. Jun. ann. Chr. 1577. Netzæ ſepultus, 11 Jun. magno cum luctu. Illa vero poſt obitum mariti poſterioris vixit in arce Waldeck, moritur 8. Jun. ann. Chr. 1597. Netzæ ſepulta.

HEN-

HENRICVS X. Dei gratia, natus ann. Chr. 1531. die 7. Septembr. fuit in expeditione in acie Mauritii Electoris & Ducis Saxoniæ an. Chr. 1553. contra Albertum Marchionem de Brandenburg; Vxor Henrici comitis fuit Anna, filia vnica Hermanni de Virmundt, filia in Nordenbeck; ducta ann. Chr. 1563. die 19. Decembr. nuptiæ celebratæ sunt Corbachii, obiit in Oberwerben, 4. Octobr. an. 1577. Netzæ sepultus die 9. Oct. Illa postea Baroni de Winneburg, Præsidi Cameræ imperialis nupsit. Anno Chr. 1557. die 11. Nouembr. apparuit cometa insolitæ magnitudinis versus occidentem, in toto fere mundo conspectus. Hunc cometam secuta est in anno sequenti arriditas terræ.

FRIDERICVS, natus ann. Chr. 1534. die 15. August. canonicus Argentinensis & Coloniensis; accepit primam tonsuram Coloniæ an. Chr. 1549. occubuit in acie apud St. Quintinum in Picardia, cum esset a parte Philippi Regis Hispaniæ & Angliæ, contra Henricum Regem Galliæ die 10. Aug. an. Chr. 1557. sepultus in Camerich.

ELISABETHA, ex primo matrimonio nata die 10. Decembr. an. Chr. 1525. Vxor Reinhardi comitis Isenburgici, ducta an. Chr. 1542. obiit an. Chr. 1544. sepulta in oppido Waldeck.

MARGARETHA, ex primo matrimonio nata, die Ascens. Chr. ann. 1533. Bruxellæ in Regia Reginæ Mariæ, Caroli V. sororis vixit, fuit fœmella egregiæ formæ, sed veneno, vt dicitur, extincta periit die 16. Martii an. 1554. sepulta ibidem apud Franciscanos; Post eius obitum Philippus Hispanicus Rex domui Waldeccensi misit quindecim dona, cum imagine ipsius regis in tabella picta, in memoriam & amorem ipsius seruanda, quæ tamen obitu huius lineæ euanuerunt cum litteris.

ANASTASIA, ex primo matrimonio nata, die 5. Jan. an. 1536. moritur eodem anno die 25. Maii.

MAGDALENA, ex tertio matrimonio Philippi IV. nupta Friderico comiti in Hanau ann. Chr. 1575. quo

mortuo, ſecundo nupſit Joanni iuniori, comiti in Naſſau Dillenburg, ex qua nata eſt Eliſabetha, vxor Chriſtiani comitis in Waldeck, ducta an. Chr. 1604. itemque ex illa nata Juliana, vxor Mauritii Landgrauii Haſſiæ poſterior, & ex hac nati ſunt Caſellis Hermannus Fridericus & Erneſtus, Landgrauii Haſſiæ inferioris, adhuc gratia Dei in viuis.

ANASTASIA, nata ex tertio matrimonio Philippi IV. cum Ludouicus Palatinus Rheni nuptias cum Eliſabetha, filia Philippi Landgrauii Haſſiæ die 8. Jul. an. Chr. 1560. celebraſſet, cum qua hæc Anaſtaſia Heidelbergam in Palatinatu Rheni profecta, & cum aliquamdiu ibidem eſſet, hæc piiſſima virgo ægrotare cœpit, febribus, phtiſi, & apoſtemate collecto decumbens moritur, die 26. Maii ann. Chr. 1561. ibidemque ſepulta eſt.

LIBERI WOLRADI II.

FRANCISCVS III. natus menſe Aprili, an. C. 1549. vita functus die 8. Mart. ann. Chr. 1553.

HENRICVS VVILHELMVS, natus die 9. Nouemb. ann. Chr. 1552. VValdecciæ, obiit die 28. Decemb. an. Chr. 1559.

JOSIAS, Dei gratia, natus Iſenburgi, die 10. Mart. anno Chr. 1554. educatus in aula Auguſti Electoris Saxoniæ. Vxor Maria, filia Alberti, comitis de Barby, nata anno Chriſti 1563. nupta anno 1582. Joſias patri in gubernatione ſucceſſit; obiit in arce Iſenburgica die 6. Aug. ann. Chr. 1588. ætatis ſuæ 34. Corbachii ſepultus. Illa ſecundo nupta Georgio, comiti in Erbach, an. 1592. moritur vidua in arce VValdeck die 19. Dec. ann. Chr. 1619. ſepulta Corbachii die 5. Jan. an. 1620.

JOHANN GVNTHER, natus ann. Chr. 1559. obiit eodem anno.

VVOLRADVS III. natus ann. Chr. 1563. Cum Fabiano, Domino a Tonna, in Galliam profectus, poſtri-

die Martini in ciuitate Annau cum multis aliis militibus Germanicis interfectus est ann. Chr. 1587.

CATHARINA, nata VValdecciæ ann. Chr. 1547. in Vigiliis Martini Episcopi, Friderico comiti Hoiensi desponsata est; sed sponso præmatura morte e viuis sublato, matrimonium non est completum, ipsa Abbatissa in Schacken existens, obiit die 8. Jul. 1613.

ELISABETHA, nata an. Chr. 1550. obiit.

ANNA ERICA, nata Corbachii die 17. Sept. ann. Chr. 1551. Abbatissa in Gandersheim, moritur Arolsen die 15. Octobr. ann. Chr. 1611. sepulta in Mengeringhausen die 24. eiusdem mensis.

ADELHEID WALPVRGIS, nata die 11 Sept. ann. Chr. 1555. obiit ann. Chr. 1570.

AMALIA, nata anno 1558. obiit an. 1562.

GVTTA, nata an. Chr. 1560. vxor Henrici Reussen, Domini in Plauen, obiit an. Chr. 1620.

MAGDALENA LVCIA, nata ann. Chr. 1562. moritur in Arolsen, ann. Chr. 1621. sepulta in Mengeringhausen.

ANASTASIA CATHARINA, nata ann. 1568. vxor Wolffii comitis in Leuenstein, mortuo marito illa vidua haut sanæ mentis facta, vixit apud comites Waldeccenses, obiit Arolsen die 8. Febr. ann. Christi 1635. sepulta in Mengeringhausen die 20. Febr. ej. anni.

LIBERI JOHANNIS II.

PHILIPPVS VI. canonicus Argentinus, obiit Darmstadii die 9. Nouembr. anno Chr. 1579.

FRANCISCVS III. Dei gratia, natus anno Chr. 1552. in Kloppenburg. Vxor Walpurgis, filia Christophori comitis de Plesse vnica, ducta die 9. Decembr. 1582. Hic comes Franciscus, nec non Margaretha, comitissa de Gleichen & Tonna, vidua comitis Guntheri in VValdeck, ex reditibus cœnobii Berich, scholæ Wildungianæ 121½. modios frumenti, itemque 42. modios scholæ Mengeringhusanæ assignauerunt, die 9. Apr. ann. Chr. 1586.

1586. Renouauit quoque Fanciscus comes sui & pupillorum, videlicet Wilhelmi Ernesti, itemque Christiani & Wolradi comitum in VValdeck, nomine, die Berg-Freyheit, die 21. Mart. ann. Chr. 1591. & typis excudi fecit. Comitiis Ratisbonæ habitis sub Imperatore Rudolpho interfuit, & recessui imperii subscripsit an. 1594. Testamentum condidit solemne, in quo non tantum Ecclesiis, earumque ministris, sed etiam quibusdam nobilibus, consiliariis, aliisque ministris suis egregia legata reliquit. Tum etiam cum nullos cum coniuge sua habuit liberos, nec filios, nec filias, ideoque proximos agnatos, filios comitis Josiæ, Dominum Christianum & Dn. Wolradum, adhuc pueros, comites Waldeccenses, successores nominauit: necnon in dicto suo Testamento de regimine aliisque necessariis comitatus prospexit. Tandem obiit Landouii anno 1597. sepultus die 22. Mart. in Mengeringhausen, vltimus lineæ Aroldensis. Illa moritur anno 1601. sepulta in Mengeringhausen.

BERNARDVS SIMON, natus ann. Chr. 1561. Episcopus Osnabrugensis, canonicus Argentoratensis & Coloniensis, electus ann. Chr. 1585. moritur 1. Mart. 1591. ætatis 30. annorum.

JOHANNES III. natus ann. 1557. obiit - -

ANASTASIA, nata ann. Chr. 1555. Vxor Friderici comitis a Diepholdt postremi: ipsa doloribus partus exstincta 1583. Ex hac nata est Anna Margaretha filia vnica, ann. 1580. 21. Jun. Vxor Philippi Landgrauii Hassiæ, obiit Butzbachii die 9. Aug. Ann. 1629. ibidemque sepulta die 1.. Sept. ej. anni.

AGNETA.

MARGARETHA, vxor Güntheri, comitis in Waldeck, nupta ann. Chr. 1578. die 15 Decembr. obiit anno 1580. Wildungi sepulta.

LIBERI SAMVELIS COMITIS.

PHILIPPVS HENRICVS, filius comitis Samuelis primo-

mogenitus, natus die 30. Jan. ann. 1556. moritur die 3. Febr. ej. anni, ſepultus die 5. Febr. ad caput auiæ maternæ.

GVNTHERVS, Dei gratia, natus die 29. Jun. ann. Chr. 1557. mortuo patre Samuele, Guntherus Caſſellis in aula Wilhelmi Landgrauii Haſſiæ, ſub cuius erat tutela, educatus; prima vxor Margaretha, prædicta filia comitis in VValdeck, ducta die 15. Decembr. ann. 1578. moritur die 20. Octobr. ann. Chr. 1580. Secunda vvor Margaretha, filia Georgii comitis de Gleichen, & Tonna; nuptiæ celebratæ ſunt VVildungi die 20. Maii ann. 1582. Comes Guntherus obiit die 23. Maii ann. 1585. ſepultus die 27. Maii VVildungi. Illa vidua poſt obitum filii VVilhelmi Erneſti, comitis VValdecci, nupta Georgio, comiti de Kirchberg, ann. Chriſti 1601. ann. Chr. 1583. die 13. Jul. VVildungi campana maior, habens 55. centenarios fuſa eſt; ann. 1584. ibidem optima vindemia, & quidem optumi vini fuit, cuius vna menſura VVildungenſis conſtitit octo obulis, rhenani tribus albis. Eo anno ciuis quidam, nomine Nicolaus Schröder, ſex vehes vini boni ex propriis vineis acquiſiuit, alii ciues minus.

MARGARETHA, filia Samuelis comitis, nata die 29. Mart. ann. 1564. ex Obernwerba rupe delapſa, exſtincta eſt, 1. Jun. ann. 1575. VVildungi ſepulta die 3. Jun.

HENRICVS natus die 23. Sept. an. Chr. 1559.

JOHANN GVNTHER, SAMVEL, DANIEL, Hi filii Samuelis comitis in infantia moriebantur.

WILHELMVS ERNESTVS, filius Guntheri comitis, natus ex ſecundo matrimonio die 8 Mai. an. 1584. patre Gunthero anno 1585. mortuo. Mater Margaretha de Gleichen & Tonna pontem ad arcem Wildungum e ſaxis exſtrui fecit, quod denotant verſiculi in monte ſcripti:

Exiit vndecimum Wilhelm Erneſtus vt annum,
Gunthero ſoboles orba parente decem,

Hoc Margaretha comes, Cara Gleichenia nata
De ſaxis iuſſit ſurgere pontis opus.
Anno Chriſti 1595.

Hic Wilhelmus Erneſtus Tubingæ ſtudiis inſeruiens, obiit die 16 Sept. anno 1598. ibique 18. Octobr. ſepultus. Vltimus huius liniæ Wildungenſis, de cuius obitu oratio funebris latina per Echardum Cellium, poëtam & hiſtoriarum Profeſſorem Tubingenſem, in qua deſcriptio comitatus Waldeccenſis cum aliis ſcitu dignis exſtat, Tubingæ habita, ibidemque Typis excuſa fuit. Obitu vero huius Comitis Wilhelmi Erneſti lineæ Wildungenſis, nec non comitis Franciſci lineæ Aroldenſis, comitatus totus Chriſtiano & Wolrado, fratribus, comitibus Waldeccenſibus lineæ Iſenburgenſis, accreuit. A. C. 1588. Archi-Epiſcopus Moguntinus VVolffgangus arcem & præfecturam Naumburg, cum dimidio dominatu Itter, per Ludouicum ſeniorem, Landgrauium Haſſiæ 23677½ florenis aureis, & 7000. florenis ad 15. bacos, comitibus Waldeccis oppignoratam, redimi fecit. An. 1592. die 26. Aug. moritur VVilhelmus Haſſiæ Landgrauius Caſſellis.

LIBERI COMITIS JOSIAE.

CHRISTIANVS, Dei gratia, filius Joſiæ comitis, natus die 24 Decembr. A. C. 1585. Argentorati ſtudiis operam dedit, Galliam perluſtrauit, Vxor Eliſabetha, filia Johannis, comitis in Naſſau-Dillenburg, neptis Philippi IV. comitis in Waldeck, ducta anno 1604. Impetrata ætatis venia ab Imperatore Rudolpho gubernationes ſuſcepit. Anno 1606. ſuo & fratris Wolradi nomine comitatum, vtpote feudum, pro ſe & hæredibus ipſorum zu einem Erb-Mann-Lehn a Landgrauio Haſſiæ Mauritio recognouit. Inaugurationi Matthiæ in Regem & Imperatorem Romanum Francofurti interfuit anno Chr. 1612. Anno C. 1622. per totum annum in aula Imperatoris Ferdinandi II. vixit, & in numerum Cameralium ab Imperatore cooptatus eſt. Teſtamentum

tum propria manu ſcriptum, & ſigillo ſuo confirmatum condidit, in quo vnicuique filiorum, Philippo & Johanni comitibus Waldeccis certam partem comitatus aſſignauit. Moritur vltimo Decembr. an. 1637. ætatis 52. liberorum 15. & nepotum 24. parens; ſepultus in monaſterio Netza, die 2 Febr. an. C. 1638. Vxor Eliſabetha, gratia Dei adhuc viuens, viduatum in Præfectura Landouienſi obtinet.

VVOLRADVS IV. Dei gratia, filius Joſiæ comitis, natus 1588. Argentorati ſtudiis inſeruiens, Galliam quoque obambulauit, vxor Anna, filia Marchionis de Baden, & Hochberg, ducta an. C. 1607. die 8. Sept. Comitiis Francofurtenſibus, in quibus Mathias an. C. 1612. in Imperatorem, & Ferdinandus II. an. C. 1619. in Regem Romanum electi & inaugurati fuerunt, interfuit. Comitatum Culenburg in Hollandia a Comite in Culenburg, nomine Floris, vna cum oneribus acquiſiuit. Teſtamentum condidit, in quo filiis ſuis vnicuique certam partem Comitatus decreuit. Moritur Aroldeſſen die 6. Oct. an. 1640. ætatis ſuæ 52. ſepultus Corbachii. Vidua obiit Aroldeſſen, in arce, die 11 Mart. an. Chriſti 1649. Hi duo fratres Chriſtianus & VVolradus, Joſiæ comitis filii, mortuo Franciſco comite VValdecco, an. Chr. 1598. Comitatum totum ad ipſos deuolutum, in duas æquales partes, ex ſpeciali tamen conuentione, & fraterna familiaritate diuiſerunt; A. C. 1607. Regalia comitatus, vtpote Geleit, Straſſen, Zölle, Frey-Graffen zu præſentiren, Saltz-Brunnen, Bergwerck, Müntzen und andere Hohe Regalien ab Imperatoribus, Mathia an. 1612. & Ferdinando II. 1619. recognouerunt. Anno C. 1615. Mauritius, Haſſiæ Landgrauius, VValdeccenſe oppidulum, Freyenhagen, ex eo, quod ciues pecora nobilium de Malsburg, cum quibus ratione paſcui in ſylua, der Mühlberg dicta, controuerſia erat, in Haſſiam proſequebantur; ciuibus autem citatis, ſed non comparentibus, mille & quingentis militibus noctur-

no

no tempore inuadens, aliquot ciues captiuos eduxit; certa vero pecuniæ ſumma promiſſa liberati ſunt. Sed anno C. 1618. a Camera Imperiali reſtitutio impoſita fuit. Anno Chriſti 1621. menſe Nov. Mauritius, Haſſiæ Landgrauius cum filio VVilhelmo, non attenta litis pendentia in Camera Imperiali, in puncto exemtionis, comitatum VValdeccenſem exceptis arcibus Waldeck & Aroldeſſen. armata manu occupauit, Dominos comites ſibi ſubiicere conatus: Chriſtiano vero comite ad cæſarem Ferdinandum II. proficiſcente, mandata auocatoria, & reſtitutoria, ſub pœna banni decreta, & Landgrauio inſinuata ſunt. Auocatoriis quidem paruit, & militem menſe Junio anno 1622. abduxit; de reſtitutione vero damnorum ad grandem ſummam florenorum Imperialium iudicatam, transactio quidem inter Dominum VVilhelmum, Haſſiæ Landgrauium, Mauritii Landgrauii filium ex vna, & Dominum VVolradum, comites VValdeccenſes ex altera parte deſuper coepta, ſed gliſcentibus armis in imperio Romano, nondum a partibus radificata fuit. Interea temporis Ferdinandus Imperator titulum comitum VValdeccorum reddidit auguſtiorem, clementiſſime iubens, vt non generoſi (VVohlgebohrne) tantum; ſed etiam illuſtres (Hoch- und VVohlgebohrne) exinde inſcribi, ac buccina bellica (Heer-Paucken) vti velint; Similiter Cæſarea Maieſtas Dominis Comitibus priuilegium de non appellendo infra quadringentos aureos a iudicio prouinciali VValdeccenſi clementiſſime conceſſit A. C. 1637.

CHRISTIANVS, comes, quoque ſingularem Imperatoris Ferdinandi gratiam in aula eius ſibi collegit, qui illum in nummerum Imperatoriorum Camerariorum adſcitum, inaurata claue, inſigni eius honoris, magnifice donauit. Duas etiam pictas imagines, vnam Imperatoris, alteram Imperatricis, formam, & magnitudinem ad viuum exprimentem, poſt Vienna Auſtriacorum VValdecciam ei transmiſit, quæ in maiori cœnacu-

culo ibidem ſuſpenſæ adhuc cernuntur, in quarum altera e ſua cæſaris parte hoc inter venandum ad Viennam geſtum oculis ſubiicitur, Imperatore aliquando venatum equitante, eumque Chriſtiano comite comitante, ingens ceruus ramoſis cornibus e ſylua accelerat, hunc venator quidam capturus aggreditur, ſed ceruus eluſo verbere, hominem proſternit; videns hoc Chriſtianus comes, equo deſilit, arrepto gladio beſtiam excipit, & ſic hominem e præſenti periculo vitæ, intuente Cæſare eripit. Comitatum Piermont hæreditarium & proprium, eine Freye Reichs-Grafſchafft, ex diſpoſitione teſtamentaria de an. Chr. 1619. Johannis Ludovici, comitis in Gleichen, Piermont & Tonna, cum onere in an. C. 1625. quiete adepti ſunt, aliquot etiam pagos & villas ad comitatum Piermontenſem pertinentes, a Ducibus Luneburgenſibus in feudum acceperunt, A. C. 1630. die 30. Febr. Anno Chriſti vero 1629. vsque in annum 1630. per decem menſes Archi-Epiſcopus Colonienſis, Ferdinandus Bauarus, qui & Epiſcopus Paderbornenſis, vna cum capitulo arcem Piermont obſidione cinxerunt, igneis & venenatis globis vexarunt, tandemque dirutam dilaceratamque occuparunt, prætexentes, quædam iſtius comitatus Piermont bona eſſe feudalia, capituli Paderbornenſis, quod a parte comitum rotunde negatur, vnde lis in camera Imperiali ab an. Chriſti 1584. ad hoc vsque tempus pependit, quamquam a parte capituli ne ſemel quidem ad punctum probationis, nedum ad concluſionem, ac ſententiam peruentum ſit. Non attenta autem hac litis pendentia, Archi-Epiſcopus, vna cum capitulo omnem iurisdictionem, tam eccleſiaſticam, quam ſecularem, armata manu, belloque priuato ac vetito occupatam, vi & facto detinet, de qua violenta turbatione comites VValdeccenſes nouum proceſſum ſuper litigioſa poſſeſſione in camera exorſi, mandata de non offendendo nec turbando ſub pœna banni impetrata, inuaſoribus inſinuave-

verunt. Adhæc, quanquam ad quærelam comitum VValdecciæ in conuentu Imperatoris Ferdinandi III. & Electorum an. Chr. 1630. Ratisbonæ habito, Archi-Episcopo, & capitulo Paderbornensi mandatum fuit, militem vt auocaret, minime tamen obtemperarunt. Duce autem Georgio Luneburgico, Generali inferioris Saxoniæ, possessionem nomine comitum VValdeccorum recuperante, Dux generalis Cæsareus, Johann Götz, arcem Piermont iterum capiens, sub prætextu, se illam nomine Cæsaris occupare, militem Luneburgensem cum cæsareo commutauit. Interea Paderbornenses suos milites astute intromiserunt, & hactenus comitatum & arcem Piermont vi & facto detinuerunt, pastoribus Aug. Conf. eiectis, subditis Romanam Catholicam religionem obtruderunt. Præterea comitis VValdeccenses expectantiam comitatus Spiegelberg a Ducibus Luneburgensibus, aliamque comitatus Tonnensis, in Thuringia siti, a Ducibus Saxoniæ nacti sunt, anno C. 1621. Tandem mortuo Barone a Schöneck absque liberis masculis, Philippus VII, comes VValdeccus, suo, & reliquorum comitum in VValdeck nomine, hoc Tonnensi comitatu, a Friderico VVilhelmo, Duce Saxoniæ, inuestitus est, an. Chr. 1640. mens. Decemb. & hæc inuestitura an. Chr. 1646. mens. Oct. fuit renouata. Cum consules ac ciues Corbaccenses singularem præeminentiam sibi somniantes, Dominis comitibus ipsi tanquam subditi parere noluerunt, Dominus Christianus, & Dominus VVolradus, comites, ipsos Corbaccenses eo adigerunt, vt pristinam obedienntiam ac subiectionem, cum certis præscriptis legibus, iurarent; anno Christi 1624. comites in VValdeck, Piermont & Tonna, Ecclesiasticam ordinationem (Kirchen-Ordnung) quæ in anno Christi 1558. sub Philippo seniore, Wolrado, Johanne, & Samuele, comitibus in VValdeck promulgata fuit in anno Chr. 1637. renouari, & typis recudi curarunt.

MA-

MARIA ANASTASIA, filia Josiæ comitis, moritur die 5 Mart. anno Christi 1585.

JVLIANA, filia Josiæ comitis, nata anno Chr. 1587. nupta Ludouico comiti de Erbach, nuptiæ Erbachii habitæ. Obiit illa die 28. Febr. anno Christi 1622.

LIBERI COMITIS CHRISTIANI.

MAVRITIVS, natus anno 1611. obiit 1 Mart. an. C. 1617. sepultus in Netza.

PHILIPPVS VII. Dei gratia, natus die 25 Nouembr. anno Chr. 1613. litteris & itineribus per Galliam incubuit, vixit per aliquot annos in aula Philippi Landgravii Hassiæ Butzbachii, qui Philippum Waldeccum e sacro fonte leuauit. Vxor Anna Catharina, nata die 27 Jul. an. Chr. 1610. filia comitis Ludouici in Säyn & Witgenstein. & ducta an. C. 1634. nuptiæ sunt celebratæ Francofurti ad Moenum. A Ducibus Saxoniæ, mortuo Barone Schöneck a Tautenberg, comitatu Tonnensi, suo, & fratris Johannis, & ceterorum cognatorum, lineæ Aroldensis, nomine, inuestitus fuit, die 31 Decemb. an. Chr. 1604. Durante bello Germanico Regis Sueciæ, cum Imperatore Romano, Ferdinando III. Johann Bannier, Dux Suecorum, die 13 Aug. anno Chr. 1640. totum suum exercitum, cui se associarunt exercitus Vinariensis, Brunsuicensis & Hassiacus, vltra septuaginta millia militum in comitatum Waldeccensem adduxit, & in arce oppidi veteris, & inferioris Wildungæ, ac totis illorum agris castra sua collocauit, ibique quinque septimanas integras permansit, vbi omnia cum irreparabili damno incolarum consumta, pagi præfecturæ Wildungensis, & ex parte præfecturæ Waldeccensis, diruti, incensi, & solo æquati sunt, cum decem diebus ante exercitus Cæsareus, sub Archi-Duce Leopoldo Wilhelmo, Cæsaris fratre, & Picolomineo, exercitus duce, Fridslariam, vnico tantum miliarià VVildungo distantem, accessit, qui castris ibidem collocatis, Hassiam inferiorem magna ex parte igne ferroque deuastauit.

Tan-

Tandem post aliquot septimanas cæsareus exercitus 14, Bannier vero Suecus die 15 Sept. cum toto exercitu & sociis confoederatis re infecta discesserunt. Bannier in discessu castra sua prope VValdeck & Netzam pagum, cum deuastatione omnium fructuum, tam Domini Philippi comitis, quam subditorum posuit. Interea ipse Bannier viduus, cum multis equitibus Aroldessen, arcem VValdeccensem accessit, ibidemque foemellam, filiam Marchionis Badensis, agnatam coniugis comitis VVolradi de VValdeck vxorem duxit, postea die 17 Sept. vet. cum exercitu abiit, quorum post discessum multi homines, multaque pecora in præfecturis & oppidis VVildungen & VValdeck, partim morbo quodam correpti, partim fame extincti sunt. Hoc damno irreparabili accepto, Philippus, comes VValdeccus, ad partes Imperatoris Ferdinandi III. accedens, mille equites loricatos ducit, anno Chr. 1643. & 1644. Interim arcem VValdecciam, natura & arte munitam longe munitiorem reddidit, ac de commeatu aliisque rebus bellicis prospexit. Cum vero isti exercitus, Imperatoris Ferdinandi, & Suecorum die 24 Feb. stil. vet. anno 1645. in Bohoemia acie instructa pugnarent, comes Philippus VValdeccus fortiter dimicans, captus, & in castra Suecorum abductus est, sed breui tempore post, & quidem eo ipso die blandis verbis ex coetu captiuorum vocatus, statim globo petitus in capite obiit subito, postea in castris ducis Suecorum, a ministris comitis Philippi inventus, exinde ad oppidum Thabor, ac postea in comitatum VValdeccensem perductus, atque in monasterio Netza, vbi comitum VValdeccensium dormitorium, honorifice die 20 Mai. dicti an. Chr. 1645. sepultus est. Ante ipsius discessum dispositionem testamentariam propria sua manu, & sigillo suo consignatam, Consiliario, Danieli Prassero, custodiendam tradidit, postmodum testamentum quoque condidit militare, etiam manu propria scriptum, in quo liberis curatores constituens

ſtuens, eosque in Aug. Conf. Articulis informari, & illis addictos eſſe, ſerio mandauit. Anno Chr. 1618. menſe Novembr. ac Decembr. cometa horribilis in tota Europa, atque ita etiam in hoc comitatu conſpectus fuit, de quo Mathematici D. Henricus, M. Nagelius, aliique ſcripſerunt. Hunc cometam ſecuta eſt mors Imperatoris Matthiæ die 10. Mart. an. Chr. 1619. eiusque coniugis die 14. Dec. anno Chr. 1618. Regina Angliæ anno Chr. 1616. aliorumque Principum. Porro ſecutum eſt bellum horribile & exitiale per Germaniam, imo per vniuerſam Europam, quod neſcium ſiſti, proh dolor! ad hunc vsque annum 1650. durat; eiusque effectus comitatum VValdeccenſem præ ceteris maxime affecit, dum non tantum cæſarei, ſed etiam Sueci & Haſſiaci milites illum, cum primis Corbachium & VVildungum cum oppidulis deuaſtarunt.

GABRIEL, filius Chriſtiani comitis, natus die 1 Jul. anno. Chr. 1621. moritur die 6 Jan. anno Chr. 1624. ſepultus in Netza.

JOHANNES IV. Dei gratia, natus die 7 Sept. anno Chr. 1622. Marpurgi Cattorum anno Chr. 1642. Pariſiis, aliisque locis Galliæ ſtudiis liberalibus incubuit, anno Chr. 1643. 1644. Rediens duxit vxorem Alexandrinam, filiam Alexandri de Vehlen, anno Chr. 1645. Cum transactio Haſſiaca, de qua ſupra in præteritis annis, inita, ſed propter bellicos tumultus nondum ratificata, tandem 2 Apr. 1647. reaſſumpta, & a Principiſſa Haſſiaca, VVilhelmi Landgrauii vidua, nec non ab omnibus comitibus ac comitiſſis, viduis, tutricibus, Caſſellis fuit confirmata, in qua transactione omnis pecunia ex ſententia cæſaris comitibus Waldeccis a Principe Haſſiaco danda, a parte comitum vna cum pago Ehringen, quem Haſſi vltra centum & quinquaginta annos pignoris loco pro certa aureorum ſumma poſſidebant, proprietarie remiſſa fuit. Vice verſa vero Haſſi prætenſæ ſuperioritati in comitatum Waldeccenſem, de qua in

puncto exemptionis vltra octoginta annos in camera Imperiali disceptatum fuit, reseruata tamen iure feudi oblati, renuntiarunt, aliaque iura, de quibus inter partes etiam quæstio fuit, Waldecci comites salua retinuerunt. Quamuis autem Dominus Georgius, Landgrauius Hassiæ superioris, hanc transactionem confirmandam detrectauerit, transactione tamen inter Hassos Cassellanos & Darmstadinos inita, consensu suo Waldeccianam transactionem confirmauit, prout vtraque transactio ab Imperatore & statibus imperii ratificata, instrumento pacis, Osnabrugi confecto, inserta fuit; hisce verbis: *quod controversiam inter domos Hassiacas, Cassellanam & Darmstadiam super successione Marpurgensi agitatam attinet, quandoquidem ea interuentu Domini Ernesti Saxoniæ Ducis &c. Cassellis die 14. mens. April. proxime elapsi consensu partium vnanimi accedente, penitus sit composita. Placuit transactionem illam cum suis annexis, sicut ea Cassellis inita a partibus subsignata, conuentuique huic insinuata fuit, vigore instrumenti huius eiusdem plane esse valori, ac si verbis totidem hisce tabulis inserta comprehenderentur, nec a partibus transigentibus, nec aliis quibusuis sub prætextu siue pacti, iuramenti, siue aliquorum vllo vnquam tempore, conuelli posse, quin imo ab omnibus, etiam si aliquis ex iis, quorum interest, eam fortasse confirmare detrectet, exactissime obseruari debere: sicut etiam transactio inter defunctum Dominum VVilhelmum Hassiæ Landgrauium, & Dominos, Christianum & VVolradum comites VValdecciæ die 12 Apr. Anno Christi 1635. facta, & a Domino Georgio, Hassiæ Landgrauio die 4 Apr. anno 1648. ratificata, non minus vigore huius pacificationis perpetuum robur obtinebit, omnesque Hassiæ Principes pariter ac Comites VValdecciæ obligabit.* Dominus Johannes, Comes VValdeccus, adhuc gratia Dei aulam habet in arce Landouiensi.

MARIA MAGDALENA nata VVildungi, die 21. April. anno Chr. 1606. Abbatissa in Schaacken, postea nupta comiti Simoni de Lippe, viduo, die 27 Apr. anno Chr. 1623. Mortuo vero Simone comite die 26 Mart.

anno

anno Chr. 1627. illa adhuc viuens, vidua permansit, ex qua natus est Justus Hermannus, comes Lippiacus, in aula Waldeccensi aliquot annos educatus, atque in Aug. Conf. informatus fuit. Itemque ex illa nata filia, Sophia Elisabetha, quæ nupta Georgio Wilhelmo, comiti in Leiningen, Domino in Westerburg & Schaumburg an. Chr. 1645.

SOPHIA JVLIANA, nata Wildungi, die 1 Apr. anno Chr. 1607. nupta Hermanno Hassiæ Landgrauio 1 Jan. anno Chr. 1634. Hat ein todtes Herlein zur Welt gebracht, die 1 Dec. 1634. Anno 1635, filiam accepit die 25 Mart. quæ 22 Mai. eiusdem an. obiit. Ist wegen der Pest mit ihrem Herrn dem Herrn Land-Graffen nach Wildungen abgezogen, da aber nicht lange hernach die Kriegs-Gefahr und Feindliche Uberzüge sich wieder aufs neue entsponnen, sind sie beyderseits nach Ziegenhäim gereiset, daselbst für aller Gefahr sicher zu seyn. Als nun hierauf Land-Graf Hermann zur angestalten Gräfflichen Kind-Tauffe seinesHerrn Schwieger Vaters Graff Philipp von VValdeck eingeladen wurde, ist seine Gemahlin wegen Mattigkeit zurück geblieben, da sie bey ihres Gemahls Wiederkunfft der alte Affect also starck angegriffen, und der Sprach beraubt, jedoch noch als Ihro Fürstl. Durchl. Ihro Herrn Gemahl zur Thür hinein getreten, diese zwey Worte hinausgestossen, (*Gott Lob*) Obiit illa in Ziegenhäim die 14 Sept. anno Christi 1637. multis relictis liberis, ætatis 30 ann. 14 mens. & 15 dier. sepulta Casellis.

ANNA AVGVSTA, nata Landouiæ die 31 Mart. anno Chr. 1608. Dechanissa in Gandersheim, postea nupta Johanni, comiti in Säyn & Witgenstein, Domino in Homburg & Valender, vltimo Jun. a.C. 1624. Ille modo electoris Brandenburgici Consiliarius intimus, atque vicarius comitatus Rauensbergensis, aulam hoc tempore habens in arce Petershagen, cis Viadrum, a Ludouico, comite VValdecco, tum temporis Episcopo Mindensi

ædificata, anno Chr. 1316. Illa comitiſſa adhuc gratia Dei viuens, viginti liberorum mater.

ELISABETHA, nata die 25 Apr. anno Chr. 1610. nupta VVilhelmo VVeinrichio comiti in Falckenſtein, die 26 Oct. anno 1634. Illa obiit Osnabrugi an. 1647. ſepulta in comitatu Broich.

putari poſſit repudiati oblatæ conuentionis colloquii, tum ne videamur impedire & remorari fortiora & maſcula, ſi qua in procinctu ſunt conſilia, h. e. πολεμικά, qualia principi Carolo & Ordinibus placere videmus. Ego certe ſemper iſta ſtatui, omnem illam negotiatoris monachi negotiationem nihil aliud eſſe, quam fucum, & perſonati hominis perſonatam & laruatam actionem ad hunc duplicem finem directam. Primo vt Anglorum conſilia, ſcopum, & quid quantumque in rebus Germanicis, & inprimis in cauſſa reſtitutionis Friderici regis nunc, poſtquam princeps Carolus ſpe matrimonii decuſſa ex Hiſpania rediit, plenus indignationis, & iniuria denegatarum nuptiarum in vindictam accenſus, facere parent valeantque. Deinde, ſi viderint, Iacobum reuera conſilia & apparatus belli inſtituere, & rerum Germanicarum curam generique cauſſam, renouato & centracto arctiore cum Batauis, aliisque amicis fœdere, ſerio defendendam ſuſcipere, eum auocent & ambiguum ſuſpenſumque teneant, propoſita vana fallacis compoſitionis ſpe. Si Bauarus & Imperator ex animo deſiderarent rem tranſigere incruentis conditionibus, & Palatinatum reddere, reconciliato ſibi Friderico, nœ propter ſolam illam abſurdam conditionem, & in qua non eſt poſitum rei ipſius fundamentum, quæ illis denegatur, haud e manibus elabi ſinerent optatam hanc occaſionem componendarum cum honore & vtilitate rerum, imo moderatiores & faciliores magisque comes ſeſe præberent, præſertim cum animaduertant, res hoc in regno ſpectare ad arma. Sed, ni fallor, non multum ſibi timere videntur ab Anglis, quorum ingenia & actiones perſpecta habent, & in ſpeciem atque in oſtentationem tantum validas & magnificas, ad rem vero emortuas & vanas, eſſe autumant. Ego quidem non dubito, quin breui rem viribus ſint geſturi, & Hiſpanis bellum illaturi: ſed haud ſcio, an multum inde vtilitatis vel nos & reſpublica, vel ipſi conſequentur; non tantum

tum propterea, quod bella non eo feruore continuantur, quo inchoantur: ſed, quia omnia nimis præcipitanter, & cum magno ſtrepitu, & cum inconſulto calore, prurientibus in bellum animis, deliberari & decerni video. O! vtinam efferueſcent, & importuoſo iſti ſtudio moderatiora & excoctiora conſilia adhibeantur, & prudentior rerum diſpectio & periculorum euentuumque matura conſideratio, voluntatem denique aliorum principum, quid ab eis nimirum expectandum ſit, exploratio accedat. Quicquid tandem ſit, ſi conſpexero regem & ordines ad bellum ſeſe accingere & apparare, dabo operam, vt Comitis Erneſti Mansfeldii ratio habeatur, & is ad ducendum e regno exercitum dux conſtituatur. Quis enim eo magis mereatur, quis eo dignior, qui ſecundarum ambiguarumque rerum ſciens, in omni genere belli a teneris annis varia fortuna verſatus eſt? Ipſius auctoritas & virtus & peritia rei militaris, tot indiciis probata, ſatis cognita eſt etiam apud Anglos, & plurimum æſtimatur. Non potes credere, quantum eum faciat noſter monachus: dicit, Bauarum a nullo ſibi plus timuiſſe, nullius conſilia, arma & machinationes magis reformidaſſe, neminem rebellium plus negotii faceſſiſſe Cæſareanis, quam eum. Contra Hiſpanos meliorem & aſtutiorem belli ducem reperiri non poſſe in Europa. Vehementer autem pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de imperatoribus exiſtiment, inquit Cicero.

Me pretium operæ facere arbitror, quod efficio, vt Seraphicus ille pater cum conueniente reſponſo & cum declaratione excuſationis dimittatur. Sane res ita geſta eſt, vt culpam rupti vel reiecti negotii compoſitionis non nobis, aut Sereniſſimo noſtro principi imputari queat. Intereſt autem noſtrum, vt hominis iſtius amicitiam nobis conſeruemus. Neſcimus enim, an ipſius opera non poſſit eſſe aliquando vtilis. Vt homo homini diabolus eſt, ita interdum etiam Deus eſt. Si ad

vos, vt plane conſtituit, venerit, humaniter & comiter velim excipiatis, & ei beneuolentiæ & amoris officia præſtetis. Sereniſſimum noſtrum & eius liberos videre & alloqui cupit; vt ei ad hoc viam muniam, & faciam, vt gratioſe & beneuole habeatur, literis meis commendatiis adſtipulabor. Tralatitia iſta humanitate efficiemus, vt non ſolum os calumniatoribus, obſtinationem animi, & præfractam ad res nouas fouendas pertinaciam, in nobis accuſantibus obturemus; ſed vt etiam modeſtius & æquius monachus iſte de noſtris actionibus & conſiliis iudicet, ſentiat & loquatur; Cæſarem etiam, Bauarum & alios de modeſtia noſtra, & quales nos offenderit & expertus ſit, informet. Hoc cum fecerit, quod ſine dubio non omittet, relaturus omnia ſingillatim, quæcunque viderit & audiuerit, eos in pudorem & ſilentium coniiciet, & nos hoc inde beneficium conſequemur, vt noſtra innocentia & manſuetudo manifeſtior, iniuſtitia vero & malitia inimicorum deteſtabilior fiat.

Quod Roberti Stuarti negotium attinet, ſcito, regem Jacobum, pro facilitate ſua motum importunis hominis precibus, non ſolum facultatem ei dediſſe conſcribendi in Anglia milites; ſed etiam conſenſiſſe, vt tyrones inſeruiant Polono contra quoſuis hoſtes. Hæc euangelia rex ipſe perſcribere & ſignificare volebat Polono, cui rem pergratam ipſum facturum eſſe Stuartus aſſerebat & inſtabat. Quid fit? literæ iam traditæ erant perferendæ cuidam famulo: hunc Jacobus Spenſius, de iſta colluſione certior factus, e via retrahi, & detineri facit, expoſtulans vehementer apud regem & regios miniſtros de indignitate facti, demonſtrando id eſſe contra fidem ſibi datam. Præterea valde abſurdum, & pernicioſum eſſe ipſi regi, ſi hoc tempore, quo Suecum & alios hoſtes Poloni ſibi demereri, & ad ſocietatem ſecum ineundam inuitare velit, rem tam indignam, ſuſpectam, & odioſam concederet, h. e. ſi permitteret, vt imperio ſuo ſubiecti contra quoſcunque Poloni hoſtes, at-

que ita contra Suecum etiam, arma ferrent. Ita hoc impeditum fuit. Etiamſi euidens erat, Stuarti conſilium de conſcribendo milite futurum nullum & inane, propter defectum pecuniæ, ſicut nuper ſcripſi, tamen plurimum referebat, ne talis a rege declaratio, qua propenſior in Polonum & alienior a Sueco voluntas declararetur, procederet.

Robertus Anſtrutherus, legatus ad Danum & alios principes Germaniæ deſtinatus, circa apparatus ad legationem iſtam neceſſarios occupatus eſt. Ille magna ſpe ebrius ſibi perſuadet, ſe ex animi ſententia negotium confecturum, & non tam Danum, quam omnes principes proteſtantes perſuaſurum, vt inita cum Anglis ſocietate, arma certatim ſumant pro reſtituendo Palatinatu, & ad Hiſpanos debellandos. Interea horum legati, qui adhuc hic tolerantur, & ad regem non raro accedunt, omnia ordinum conſilia, vt ſunt oculatiſſimi alienarum actionum & intentionum arbitri, obſeruant, & lynceo viſu in ſecretiora penetralia introſpiciunt.

Æneas oculis ſemper vigilantibus hæret.

Dum hæc partim ſcribo, partim dicto, regius ſcriba mihi legendas mittit literas, quas Rex ad Electores Saxoniæ & Brandenburgi ſcribit. O quam mutatæ ſunt ab illis, quas vel ego, vel Thomas Rhedus, qui eſt ab epiſtolis regi, præformauerat. Neutras enim meticuloſus & tepidus ſenex approbauerat, eas ſeueriori & confidentiori calamo ſcriptas, nimiumque ſpei dare & promittere clamitans; ideo, quæ in iis erant maſculius & aſſeuerantius dicta induci, & tepidiora atque ſicciora ſuccentuarri iuſſit. Quid dicam? ſuper arenam maris mœnia conſtruimus, & in aëre fundamenta ſpei noſtræ collocamus. Quid literæ iſtæ tanta cum timiditate & fluctuatione ſcriptæ, tam frigide & dubitanter conceptæ, nullum virilis & magnanimæ ſententiæ ſpecimen, neque adhortationem grauiorem, neque auxilii promiſſionem continentes, ponderis habebunt? Non eſt ergo

ſine cauſſa, quod quamplurimi ſtatuant & pro certo credant, Jacobum, etiamſi in gratiam ordinum & adoleſcentum ſimulet, ſe ad arma capienda, & ad exuendam, quæ ei intercedat cum Hiſpano, amicitiam inclinatum, animo tamen huic adhærere, & nihil minus, quam bellum cogitare; in ſpeciem tantum ordinibus ſuffragari & complacere. Sed ne vlterius progrediar aut indignationi meæ fibulam laxem, deſinc. Vale, vir optime, noſtræ lumen Germaniæ. Dabam VI. Kalend. Mart. cIↄ Iↄcxxiiii.

Epiſtola V.

Septima iam nitidum terris aurora diisque
Purpureo vehit ore diem,

cum ad omnes tuas literas, Ampliſſime Vir, reſponſionem dedi. Inpræſentiarum pauca occurrunt ſcribenda. Te enim ſemper remitto ad eas, quas Sereniſſimo noſtro regi ſcribo. Cum igitur illas tibi ſemper legendas & inſpiciendas tradi ſciam, nihil cauſſæ eſt, vt tædioſa & inutili repetitione te onerem, & mihi inanem & futilem laborem vltro accerſam. Comes Briſtolius, de quo nuper mentionem feci, in viam ſe dedit, propediem hic futurus. Scripſit & ſignificauit per literas prænuncias reditum ſuum, ſimul etiam addidit, Hiſpanum potentiſſimam claſſem, quæ hoc primo vere vela factura ſit, in parato habere: ſe itaque monere, vt ſibi Angli caueant & proſpiciant. Quamquam hoc ad perterrefaciendum regem & ordines inflatius & auctius, quam res ſit, ſcripta eſſe putentur: attamen rex ſtatim iuſſit naues aliquas prætorias, quanta fieri poſſet diligentia, apparare & inſtruere, vt non tam ad defenſionem, quam ad omnem aliam occaſionem præſto eſſent. Opus eſt viſo & cauto. Hoſtis enim vigilantiſſimus & aſtutiſſimus, momenta temporum circumſpicit, & in omnes partes excubat.

Samuel Weiſſius, comitis Mansfeldii negotiorum geſtor,

ſtor, huc venit: mecum confidentiſſime res ſuas communicat, & nihil cum rege regiisue miniſtris agit, in quo non prius conſilio meo vtatur: & ſic iuſſus eſt. Ego ei ſane fidam operam præſtabo, et negotia, quæ habet in commiſſis expedienda, omni cura, & quantum in me erit, promouere annitar, ipſo opere declaraturus, me præſtantiſſimi illius ducis, cuius interpres Weiſſius eſt, virtutes & merita permagni facere & æſtimare. Ipſum nonnullis proceribus, qui in non parua auctoritate & gratia apud principem Carolum ſunt, de meliore commate commendaui, indicans, eum vel maxime omnium mereri, vt ducatui præficiatur, ſi Angli aliquas copias in Germaniam ad recuperandum Palatinatum miſerint.

Scisne, mi Camerari, me libellum, exiguum quidem, & extemporaneum, in gratiam ordinum, qui flagitabant, confeciſſe? in eo breuibus & ſuccinctis rationibus & argumentis probare conatus ſum, regi nihil aliud nunc ſupereſſe, quam vt, inſidioſis conuentionum colloquiis repudiatis, rem viribus agat, Hiſpanos armis ad rationem cogat, & vltore gladio acceptas iniurias vindicet: paucis etiam κὴ ὀφθαλμοφανῶς demonſtraui, quanta fraude, tergiuerſatione, perfidia & dolo malo Hiſpani in colorandis pactis & promiſſionibus, & in protrahendis & eludendis compoſitionum colloquiis vſi, quamque ſcelerate & malitioſe bonitate & ingenuitate regis abuſi ſint. Quam primum libellus iſte impreſſus fuerit, ad te mittam: ſub prælo nunc eſt, & ex latino in anglicum ſermonem conuertitur.

Legatis Hiſpanis rex iterum copiam ſui fecit Hamptoncurii heſterno die. Frigidius præter conſuetudinem, hactenus obſeruatam, excepti fuere. Nemo enim purpuratorum ipſos deduxit, aut ad eſſedum, quo vehebantur, ſicut alias conſuetum erat, concomitatus eſt. Sed quid legati iſti fecerunt? cenqueſti ſunt de inſolentia & proteruia eorum, qui regem contra Hiſpanos incitare & in bellum perpellere ſatagant; multa fieri &

committi dicebant, quæ essent contra tabulas sacrosanctæ pacis & pactorum dotalium: se rogare, ne rex pro incomparabili probitate sua auscultet hominum impotentium, & priuatam vtilitatem quærentium, consilia præcocia & cruda, pœnitentiam allatura, neue rem in discrimen & ad bellum deduci sinat. Regem catholicum paratum esse, veterem necessitudinem sartam tectam conseruare, & regi Jacobo in omnibus, quæ a se iure peti & expectari possint, satisfacturum.

Legatos ordinum confœderati Belgii, qui heri aduenerunt, conueniam hoc vesperi. Ipsorum aduentus mihi profecto exoptatissimus est; me experientur promtum & fidum in ipsorum negotiis promouendis, modo opus habeant mea opera, quam eis addico. Non dubito, quin princeps Carolus & dux Bukinghamius valde sint gauisuri, ipsos aduenisse. Nam sibi persuadebunt, se scopum suum assecutos esse; cum tamen adhuc longe absint ab eo, quem res christiana ex ista coniunctione & fœdere, quod cum Batauis inituri sunt, consequi debet. Priuata magis mouent, quam publica. Olim dicebatur, quam iucundi sunt pedes annunciantium pacem: hic contrarium est. Nam isti legati non veniunt, mittere pacem, sed gladium: sunt tamen ὡραῖοι οἱ πόδες αὐτῶν. Vtinam autem iste gladius nobis afferat pacem! gladio quidem opus est, si velimus habere pacem & nostra recuperare, sed necesse est, vt is stringatur in tempore & cum prudentia. Multum interest, à qua manu telum torqueatur & emittatur.

Vienna nos certiores faciunt, regem Hispaniarum adhortari & suadere Cæsari, vt quibuscunque posset conditionibus cum Daciæ satrapa pacisceretur, & transigeret, quo paratior & instructior esset contra Anglum, Batauos, & alios res nouas & bellum in gratiam Friderici Palatini moturos. Romani apud Liuium lib. XXIX. pacem cum Philippo & Epirotis faciunt, quia, vero in Africam bello, omnibus aliis in præsentia leuari bellis vole-

lebant: hos imitari Auſtriaci probe norunt, dum infamem cum Turcis pacem tam religioſe colendo, & iniurias, quas cottidie ab eis accipiunt, diſſimulando, omnem armorum vim contra Germaniam conuertunt, & vnum id bellum eſſe volunt, cui totis viribus incumbunt. O miſeram Germaniam! quæ tam altum ſtertit, & exitium, quod ei apparatur, non cernit. Sed ſatis nugatum, claudenda eſt pergula. Vale quam feliciter, o decus & præſidium meum. Dabam poſtridie Kal. Mart. clɔ Iɔ c xxiv.

Epiſtola VI.

Jam ad illas tuas, quas idibus & poſtridie idus Februarii per Abrahamum Prau, adoleſcente ἀξιογάπητον, ad me dediſti, Vir ampliſſime, reſpondebo; ſed paucis & calamo deſultorio, quantum ſiquidem otium & amicorum interpellatio permiſerit. Pro ſcripto illo gallico, cuius me participem feciſti, tibi haud vulgares gratias ago; & ſane meretur, quia non vulgare eſt, nec vulgariter mihi vtile fuit. Nam & amicis, quorum non contemnenda eſt in comitiis autoritas legendum & deſcribendum dedi. Ordinum Batauorum legati ante triduum auſpicato huc venerunt: cum iis de negotiis rempublicam tangentibus pluribus egi, licet per tranſennam, ſicut fieri ſolet in primo affatu. Illos diffidentiæ & ſuſpicionis vmbella præoccupatos deprehendo: vereor autem, ne magis diffidere incipiant, cum rerum apud nos Euripum, vt ita dicam, & tot in vno corpore formas adſpexerint. Ego quidem omnibus viribus contendo, vt eximam illum, qui magnis & arduis negotiis obluctatur, ſcrupulum. In aliquam quidem ſpem regius me ſcriba Eduardus Conwæus, & alii eius ſocii erigunt, dum per omnia ſacra mihi atteſtantur & adfirmant, breui cum Batauis fœdus πρὸς συμμαχίαν καὶ ἐπιμαχίαν, modo æquæ conditiones in medium proponantur, concludendum: quamquam ſagaciores, qui teſtudineam & ſimulatricem regis Jacobi naturam cognorunt,

rem procraſtinatum iri, autument. Quæ de ducis Bauariæ inualitudine, deque eius ad bellum obſtinato animo ſcribis, illa mihi quoque Andreas Paulius perſcripſit: aliunde autem, nempe Monachio, ex officina deceptionum & perfidiæ ſcribunt, Bauarum ſubinde, & publice quidem, vt ſimulatius, quo iactantius, rem agat, declarare, ſe a reſtitutione regis Friderici nequaquam alienum eſſe, imo deſiderare ut reſtituatur, modo paci & tranquillitati publicæ ſimul proſpiciatur, & ſuo honori & exiſtimationi nihil decedat. Quid aliud hoc eſt, quam velle bellum, & ut Bauarus ſit & permaneat Elector, Fridericus vero excludatur collegio ſeptemvirali in perpetuum. O Bauare, quo aſcendit & progreditur tua ambitio? quanta adhuc mala, calamitates & ærumnas ac turbas Germaniæ tua impotentia & cupiditate conciliabis?

Quantus equis, quantusque viris in puluere craſſo
Sudor! io quantum crudele rubebitis amnes!

Quanta diligentia & induſtria vtar in procuranda inter Anglum & Dacum amicitia, aliorum iudicium eſto. Ex iis, quæ Sereniſſimo noſtro perſcribo, intelliges, quo vsque res perducta ſit. Nihil eſt, quod æque inculcem, & apud amicos, quibus ius eſt ſuffragii in comitiis, vrgeam. Soleo enim omnes, quorum opera nobis commodo cedere poteſt, diligenter de rerum in Europa ſtatu, de principum & amicorum & aduerſariorum conſiliis, actionibus & intentionibus informare, & illud cum requiſita & tempori accommodata circumſpectione. Crebras enim literas, ſingulis ſeptimanis, diuerſis e locis cum Germaniæ, tum Galliæ, tum aliunde accipio; eas legendas & inſpiciendas viris cordatis & reipublicæ deditis exhibeo. Non omnem me operam & oleum perdere animaduerto. Deus, ſine cuius afflatu miſeri mortales nihil poſſumus, noſtris conatibus adſpiret benignam auram. Suecica quod attinet, illa tali loco ſunt, quemadmodum nuper ſignificaui: ego ſane, quantum

in

in meo ſitum eſt robore, nihil omitto, quod cauſſam & emolumentum optimi iſtius regis promouere poſſe animaduerto, identidem demonſtrans, quantum damnum bono publico acceſſurum, quamue vehementer Anglus Sueci amicos, cum quibus noua fœdera inire anquirit, ſit offenſurus, ſi conceſſerit, militem pro Polono in regno ſuo conſcribi & contra Suecum duci. Jacobus Spenſius, vir ingenii dotibus & prudentia ornatus idem perurget; is me quoque non indiligenter obſecrauit, vt fidam operam eundem ad finem impendam. Spero me hactenus haud in caſſum laboraſſe: eius rei teſtem virum iſtum ſanctiſſimum eſſe malim, quam me deprædicatorem. Quid de amicitia & fœdere inter Gallum & Britannum ſperandum ſit, Sereniſſimo noſtro perſcripſi, eò me cum bona tua venia refero. Si quoque nihil addo & ſcribo de progreſſu & conſultationibus comitiorum regni. Literæ enim, quas ad eundem Sereniſſimum ſcripturio, te abundanter de omnibus informabunt. De vertumno Monacho nihil amplius ſermocinari volo: omnia, quæ ex ipſo ſciſcitanda & perſcrutanda petiiſtis, & ego explorata habere potui, iam dudum vobis per literas ediſſerui. Daniel Weiſſius, quem ſalutari iuſſiſti, te reciproca conſalutatione impertit: is comitis Mansfeldii negotia ſumma fide & diligentia tractat. Vtitur autem in minimis maximiſque meo potiſſimum conſilio, ac propterea eò attentius & fidelius ei præſto eſſe cogar. Meo me defungi munere arbitror, ſi fidem ei præſtem. Bonus ſcilicet conſiliarius non euentum, ſed fidem præſtat. Intelligo bellum Monachii prodiiſſe cum hac inſcriptione: Informatio Rusdorffii ad Palatinum, de legatione electorum & principum confœderatorum ad regem Daniæ. Additas eſſe complures tuas ad regem Fridericum literas. Si fieri poteſt citra moleſtiam, velim per te ejus mihi copia fiat. Habes nunc, Vir ampliſſime, breuem ad tuas vltimas reſponſionem: quam rogo æqui bonique facias. Bene vale, et me tuorum

rum meritorum imitatorem et estimatorem scito. Dabam Londini Prid. Kal. Martii anno bissextili post natum Servatorem cIↃ IↃ c xxiv.

Epistola VII.

Me nihil amplius de nostro monacho scripturum proximis significaueram: attamen iterum mentionem hominis facere cogor. Nam velim scias, Vir amplissime, eum telam negotiationis suæ iam absolutæ incipere retexere, dum obnixe et contentissime flagitat, vt compositionis negotium omne, quod hactenus proposuit, Anglus a se in Serenissimum nostrum remittat et transferat. Hoc enim modo et certius et facilius promtiusque compositum iri, ait. Nam Fridericum regem sui arbitrii et juris effectum, et ab Anglorum consiliis et imperio liberatum, sibi suisque rebus mature prospecturum, nec conditiones reconliationis repudiaturum. Quæ ea in re mea sententia et opinio sit, et quid illius causa egerim, disces ex iis, quæ ad eundem nostrum principem perscripsi. Mysterium subesse et scorpionem sub lapide abscondi, nullum est dubium. Metum quidem ab Oriente Cæsari et Bauaro incuti, certum est; sed non propterea trepidant, et compositionem proponi curant. Aiio fine et scopo faciunt; volunt nimirum Anglum, Batauos, principes Germaniæ, quorum interest, ne Bauarus in septemviratu constabiliatur, securos reddere, horum consilia et fœdera, ne progressum habeant, sufflaminari, impedire, euertere. Paulius noster vobis procul dubio significauit, Bauarum et Cæsarem per principem Eggenbergium duci Wittenbergico proponere compositionis et reconciliationis colloquium, atque desiderare, vt is partes interpretis et mediatoris vltro citroque agat. Si in Anglia consilia fortiora et constantiora arriperentur, et res cum fundamento et prudenti fiducia gererentur, aduersarii fortean ad aliquam moderationem et æqualitatem, et ad tolerabiles pacis conditiones subeundas cogi possent. Nisi vi et armis ex-

tor-

torqueamus ab iis ius et ſecuritatem, nobis medius fidius pereundum eſt, tanquam flori, quem tangit aratrum. Nihil moderati, nihil pacati, nihil æqui ſpirant iſti excidium et internecionem nobis, ariſque et focis noſtris iurarunt. Precibus, pactionibus, promiſſis ſe flecti non patientur.

Non ſic abibunt odia, viuaces aget
Violentus iras animus et ſæuus dolor
Æterna bella, pace ſublata, geret.

Ordines regni huius magno cum colore et impetu ad conſilia bellica prorepunt: niſi regis cunctato obſtiteret et retineretur, iam ſtatim bellum contra Hiſpanos denunciarent, proclamarentque. Nudius tertius inter Regem, Ducem Bukinghamiæ et principem Carolum acres et vehementes ſermones, conteſtationes, et iurgia reciprocata fuerunt, quorum cauſſam et originem Marchio Inoioſo et Carolus de Columna, ambo oratores Hiſpani regis, dederunt, Hi enim Bukinghamium ſiue ex odio, ſiue aliam ob rationem detulerunt, ac ſi pernicioſa contra Regem ſuum conſilia moliretur et hunc ſolio ac regno, interuentu et autoritate ordinum, abdicatum ad vitam priuatam, ruri et in villa degendam, cogere, et Carolum filium in throno collocare et inaugurare vellet præſumeretque. Quid factum? pater, filius, et gratioſus, omnes tres viſi et auditi ſunt ſub dio et in publico collacrymari, Deos deaſque obteſtari, inter ſeſe multum diſputare. Ille exprobrare ingratitudinem, obſequiorum et fidei violationem, beneficiorum obliuionem. Hi ſe excuſare, innocentiam laudare, delatores incuſare, pœnam et animaduerſionem contra calumniatores depoſcere. Finito colloquio et iurgio, diſceſſerunt, udis ex abundanti lacrymarum profuſione oculis. Princeps et Bukinghamius ira et odio in oratores concitati et inflammati, meditantur nunc et deliberant ſociatis conſiliis, quomodo iniuriam et criminationes, in ſe confictas, vlciſcantur, innocentiamque ſuam magis ac ma-

gis

gis regi comprobent, et infuſam huius animo ſuſpicionem eximant elidantque. Rex vero venatum iuit, multa ſecum turbata mente volutans, et gratioſi ſui inſolentiam et audaciam deteſtans. Hoc ſane exemplo diſcimus, principes, qui amicitias caſu, vt Barclaius ait, auſpicantur, et mutabili amandi dulcedine in diuerſa feruntur, tandem ad ſuos errores horrere, et quam condiderint potentiam, vltro metuere et exſecrari. Si ſenex ſalua exiſtimatione ſua poſſet aut auderet, iam nunc, dum graui tædio ebrius eſt, deponeret illam, quam ſibi ipſe impoſuit amicitiam, et nouo aſcito amore animum ex veteris conſuetudinis nauſea faſtidientem reficeret. Nimirum iuſto Dei iudicio fit, vt experiatur admonitorem ad contraria conſilia eum, quo hactenus tanquam inſtrumento vſus erat ad ſua excuſanda et pallianda.

Haud indiligenter impediuimus, quod literæ, quibus Jacobus Polono poteſtatem facit conſcribendi in regno ſuo militis, non fuerint in Poloniam miſſæ et delatæ: ipſe Jacobus rex aſſenſerat, vel potius conniuendo indulſerat, vt impediremus: attamen nunc permotus importunis cuiusdam comitis ſcoti precibus, qui Roberti Stuarti cognatus eſt, ſententiam iterum mutauit, et literas ſuas cupit transmiſſas. Robertus Anſtruterus et Jacobus Spenſius ea de re apud principem Carolum conqueſti ſunt; hic in ſe ſuſcepit, ſe impediturum, ne fiat. Ego quoque denuo interueni, et argumentis ſolidioribus demonſtraui, ingens et irreparabile præiudicium rebus et conſiliis Anglorum hoc præſertim tempore, quo Dani, Sueci, et aliorum proteſtantium ſocietate et opera opus habent, acceſſurum; adhæc Anſtruteri legationem in Germaniam ſine fructu futuram, et non modo Suecum, ſed et principes imperii, apud quos ille auctoritate polleat, quibusque ſanguine iunctus ſit, tam præpoſtera et præcipiti conceſſione offenſum iri, ac idcirco amicitiam Angli, ſi eum viderint ita fluctuare, et ſuſpectam Poloni temporaneamque amicitiam ſince-

re

ræ Sueci neceſſitudini præferræ, adſpernaturos. Comes Pembrokius, Eduardus Conwæus, et alii miniſtri regii ſpem dederunt, ſe omnem lapidem moturos, vt rex ab hoc propoſito auocetur. Quod ſi penitus et omnino impedire non poſſumus, quin Jacobus gratificetur Polono, dabimus operam, vt ſaltem ea cum conditione poteſtatem ei concenturiandi tyronis faciat, vt ſtipuletur, ſe milites in Britannia conſcriptos contra Suecum non ducturos. Libenter et alacriter impendo operam magnanimo illi et auguſto regi Guſtauo, quem perſuaſus ſum, futurum aliquando Germanicæ libertatis et melioris cauſſæ ac religionis vindicem ac reſtauratorem. Atque hæc hactenus. Vale, vir Ampliſſime, quam bene et feliciſſime. Dabam Londini IV. Non. Mart. cIↃIↃCXXIV. (a)

(a) *C. Miegii & Nobelii collectionem n. XIV. p. 291--92.*

Epiſtola VIII.

Diſcedit tandem hinc ſeraphicus noſter monachus, Vir ampliſſime; is ad vos iter inſtituit, propterea a me petiit, vt ſibi literis commendatitiis ad Sereniſſimum noſtrum præſto eſſem. Genus hoc officii homini, familiariter me compellanti, denegare non potui, propter plurimas rationes: inter quas illa præcipua eſt, quod velim eum in bona illa, quam de nobis noſtrisque conſiliis concepit opione, confirmare et autor ei eſſe, vt noſtram humanitatem, et promtum inclinatumque ad pacem animum, vbique, et maxime inter ſuos, qui nos ab omni quiete alienos eſſe vociferantur, deprædicet et dilaudet. Quapropter et vos ipſum humaniter excipietis: quis ſcit, qua olim in re nobis poſſit hominis prodeſſe opera. Si multum vtilis eſſe nequit; Saltem nocere et obeſſe poteſt. Nullus eſt vermis, animalculumque tam vile et abiectum, quod non poſſit homini nocere. Non igitur male interpretabimini, ſi humanitati et comitati nimium me tribuiſſe, nimisque facilem fuiſſe animadvertitis. Malui peccare in hoc genere

com-

committendo, quam omittendo. Sed quid quæso apud vos facturus dicturusque est? procul dubio exploratorem et consiliorum vestrorum obseruatorem, sicut eum archiepiscopus Cantuariensis hic fuisse ait, aget. Literas a rege Jacobo nullas defert. Responsi loco rex ipse ore suo declarauit, et Nuncio pontificio, a quo monachus venerat missus, suo nomine significare iussit, se numquam non propensum et paratum fore ad transigendum amice, modo honesta et vtrinque æqua genero suo imperentur et præscribantur. Ante omnia autem ignominiosum istud et inter principes Allemannos inauditum genus cautionis, quo nepotes sui in pignus demandentur, esse ex animo deponendum, et illius nullam vnquam mentionem faciendum. Turpe et impium vel de eo cogitare: sed nolle existimationem suam suorumque prostituere, ne posse consentire, vt tenellorum liberorum animæ exponantur periculo apostasiæ.

Ordines regni, præsertim inferiorum subselliorum, nihil nisi bella et enses crepant: in comitiis inter deliberandum et in congressibus Hispanum debellant. Magno impetu et pruritu feruntur ad classica. Rem scilicet se factam habituros arbitrantur, si arma induantur. Nam breui et vna classe vel expeditione in Hispaniam se potentissimum illum monarcham in ordinem redacturos credunt. Bellum igitur volunt, et sibi ac reipublicæ vtilissimum esse statuunt: attamen apparatus ad id feliciter et cum certitudine successus gerendum necessarios non faciunt, nec in mundo habent. Ne euager, sisto gradum et finio. Vale quam optime, Vir amplissime, et amicorum alpha. Dabam Londini Non. Martii cIↄ Iↄ c xxiv.

Epistola IX.

Res in comitiis eo iam deducta est, Amplissime Vir, vt ordines vnanimi consensu constituerint et decreverint, regem rogare et obsecrare, vt non solum renunciet,

ciet, & repudium mittat omnibus colloquiis, quæ cum Hiſpano, ſiue de matrimonio filii ſui, ſiue de reſtitutione generi, per tot annos cum magno reipublicæ detrimento, nec ſine imminutione honoris & exiſtimationis ſuæ agitauit; ſed etiam bellum pro vindicanda iniuria & recuperando Palatinatu denunciet & declaret. Princeps & Bukinghamius haud indiligenter ordinum cauſſam agunt. Nullam enim ſeni ſollicito quietem permittunt quin eum ſemper orent & inſtigent, vt ordinum conſilio, deſiderio, vt petitioni quamprimum ſatisfaciat. Verum rex, quam partem conſilii eligat, ambigens, hac ordinum declaratione non contentus, vult & præcipit, vt in ſpecie dicant & declarent, quid tam pro ſuſtinendo bello, quam pro defendendis regni finibus annuatim contribuere, & appendere velint valeantque. Belli enim neruum & fundamentum eſſe pecuniæ certæ conſtitutum, & apparatus perpetuos & iuges requiri ad id ex dignitate gerendum. Ordines offerunt vitam, fortunas, bona & omnia, quæ habent: at rex in ſpecie aliquid certi & conſtituti, vt dixi, vrget & flagitat. Non me hercules imprudenter; quamuis eo facto timiditatem & fluctuationem animi oſtendere plebs dicant & interpretentur. Aiunt, eum Iſraëlitis eductis per Moſen & Aaronem ex Ægypto e domo ſeruitutis eſſe conſimilem. Vt enim iſti in libertatem vindicati nihilominus deſiderio ſemper tenebantur prioris fortunæ, nec ollarum Ægyptiacarum obliuiſci poterant: ita regem Jacobum, licet e tenebris Ibericarum fraudum a filio & Bukinghamio, quos Moſi & Aaroni comparant, in lucem & veritatem eductum, ſibi tamen temperare non poſſe, quin ſubinde ad Erebi Hiſpanici atra limina conuertat oculos.

Quæ pro informatione quorundam amicorum, quibus in comitiis ius ſuffragii ferendi eſt & autoritas non contemnenda, contexui, illa hic habes. Opuſculum eſt tumultuarium, & vnius tantum noctis. Nam nihil præterea temporis concedebatur, imo ne horula quidem

 diei.

diei. Paucis autem & ſuccinĉte comprehendere voluì, quæ proprie ad Mercurium, vt aiunt, facerent. Cum quanto vero applauſu & adprobatione exceptum fuerit, non facile dixerim. Cunĉta exemplaria, quæ magno numero impreſſa erant, intra biduum diuendita fuerunt. Nemo inter ordines erat, qui eo carere vellet: ita omnes legere & habere volebant, quia ſuam eo ſententiam confirmari & ſtabiliri ſibi gratulabantur. Scenæ & tempori ſeruiri magnum ad impellendos in motu conſtitutos animos. Aliud in præſentiarum non poſſum ſcribere: Deum igitur rogo, vt te, Vir ampliſſime, ſoſpitem ſeruet & omnibus bonis concumulet. Dabam Londini Pridie Idus Mariii cIↃ IↃ c xxiv.

Epiſtola X.

Binas tuas ampliſſimas, IV. & prid. Non. Martii exaratas, hodie, Vir ampliſſime, redditas habui cum adiunĉtis ſchedis, in quibus tam legatorum principis Daciæ poſtulata, quam quæ in Germania noua coquantur conſilia, deſcripta erant. Ingentes tibi gratias pro tam exquiſita diligentia & fida informatione ago. Vereor autem, vt aliis tuis grauioribus occupationibus iniuriam facias, & tempus præripias. Quantum enim mihi tribuis, tantum aliis decedere neceſſe eſt. Nolim vero ignores operam tuam bene collocari, & fruĉtum ſuum habere. Cum enim interſit Sereniſſimi noſtri regis, vt ego, qui ipſius negotia in hoc regno procuro, de cunĉtis ad rempublicam & ad eius emolumentum vel damnum ſpeĉtantibus informer, hoc præſertim tempore, quo cauſſa noſtra in comitiis diſceptatur; ita non omitto iis vti, prout par eſt, & occaſio exigit. Non quidem promiſcue ea in vulgus ſpargo, imprudenti & tralatitia communicatione: ſed ſoleo excerpere, accommodare, concinnare, quæ communicata compendium & vtilitatem cauſſæ meliori afferunt. Veritatem autem nequaquam cælo, obſcuro vel corrumpo, falſa & confiĉta non aſſuo,

nec credi cupio. Quæ tacenda ſunt, taceo & prætereo; quæ dicenda, dico & inculco.

Quod legationem Dacicam attinet, non puto, res Gabrielis principis ad tam anguſtos cancellos, ſicuti ipſius legatus, procul dubio eo fine, vt tanto citius vos ad ſuppetias ferendas, & ad pecuniam repreſentandam commoueat, depingit, deductas eſſe. Haud uanis indiciis & autoribus compertum habeo, illum potenti & numeroſo milite, & rebus ad bellum inferendum, & in ipſam Auſtriam transferendum neceſſariis, ſatis inſtructum, & iam in procinctu eſſe, ut neceſſe ei ſit in cœpta expeditione progredi. Turca etiam impellit & ſtimulat, & ſuis auxiliis ſubfulcit, vt perire non poſſit: quamquam Cæſareani eum deſertum, & omni ſubſidio orbatum, in imperatoris Turcici odio & indignatione eſſe, dicant & comminiſcantur. Non propterea tamen nos negligentes & ſecuri eſſe debemus, ſed potius omnem operam adhibere, vt bellum circumferenti & ſuſtinenti præſto ſimus, eumque promta ope ſubleuemus. Quantum a me fieri in ipſius gratiam poterit, quantumque valuero in præparando regis Jacobi animo, vt amicitiam & fœdus cum eo inire ſatagat, lubens meritoque faciam.

Cum huc vſque ſcripſiſſem, accipio alias tuas binas, quarum vetuſtiores poſtridie Kalend, nouiſſimæ Nonis Martii ſcriptæ erant. Iterum dico, nimium diligens es in ſcribendo, & timeo, vt cum moleſtia tua facias, inter tot occupationes, quibus te mirum in modum diſtrahi & obrui ſcio. Vellem tibi paullum temperares, & me per alios, ſi otium non abunde ſuppetit, informari de rebus cognitione dignis curares. Edicti, in Jeſuitas promulgati, exemplum, ſicut petiiſti, hic habes. Reliqua etiam, quæ de conſiliis ordinum, deque progreſſu comitiorum noſſe cupis, ex iis, quæ in epitomen a me redacta & lingua tam Gallica, quam Anglica conſcripta ad Sereniſſimum noſtrum miſi, cognoſces. Ordines vtriusque curiæ,

riæ, vulgo ſuperioris & inferioris domus, aſſeſſores vocantur, ducem Bukinghamiæ, miſſa ſolemni & magnifica legatione, contra oratores Hiſpanicos apud regem, coram quo delatus erat, quod contumelioſe & irreuerenter de Rege Hiſpaniæ locutus eſſet, tutati ſunt, tum atteſtando, eum nihil temere proterue & ignominioſe in comitiis dixiſſe in Hiſpanum, ſicut calumniari auſi fuerint oratores; tum declarando, eum ſingulare & loculentum fidei, moderationis & circumſpectionis teſtimonium in eo dediſſe, quod de rei veritate, deque Hiſpanorum artibus, quibus hactenus in cauſſa matrimonii & reſtitutionis Palatinatus vſi ſint, plane ordines informarit & edocuerit. Rex cuncta approbauit, & grata habuit eleganti, & diſerta pro more ſuo oratione, cuius ipſe curioſus auditor exſtiti. Gratioſi ſui merita decenter extulit & dilaudauit: adhæc ordinibus de tali concordia & conſenſu, inter ipſos et Bukinghamium congratulatus eſt. O quam bene imprudentiſſimus ſenex nouit caudam iactare papello, & præferuidæ in bellum prurienti plebi occurrere! quam pulcre animos ordinum captare, ineſcare & cauponari callet! quam ſolerter & dextre diſſimulare didicit. Prælibatoria ſcilicet & prægustatoria ex dulci liquore propinat, mox infuſurus poculum auſterum e vino vappa. Nam intra biduum ſententiam ſuam ad ordinum petita dicere debet, ubi procul dubio ea poſtulata, quæ rei difficultatem ob oculos ponent, & quid in conſideratione habendum, quantumque pecuniæ contribuendum ſit, oſtendent, faciet & proponet. Medici, antequam poculum abſterſorium amarulentum miſcent, prius dulci antecurſoria, vt ita dicam, potione ſtomachum ægri præparant, & deliniunt: iunioribus cum abſinthium bibendum datur, labra poculorum melle inficiuntur. Scio equidem regem faſtidire & nauſeare ad potentiam, quam condidit, & tædio longæ conſuetudinis & amoris quærere nouos errores: ſed congrua id prudentia diſſimulat, ſimulando, ſe nihil

hil a veteri in gratiosum beneuolentia deflexisse. Fieri sane nequit, quin eum angat & mordeat, quod videat ordinibus gratum & deamatum eum, quem hactenus exosum & inuisum eis fuisse gauisus est, & vtile sibi duxit.

Cum legatis Batauis nihil actum adhuc est, nec aliquid vtiliter & cum fundamento agi potest, nisi prius rex mentem suam aperiat & decernat, an consilio ordinum auscultato, cum Hispano nihil amplius commercii habere velit, sed arma in eum stringere. Sæpe cum bonis illis viris conuersor, & fidos de republica sermones cædo. Tui crebram & honorificam, aliter non possunt, mentionem faciunt: te quoque plurima salute impertiunt. Henricus Rischius in Galliam ad explorandum regis animum, an ad sororis suæ nuptias cum principe Carolo contrahendas propensus sit missus, summo à purpuratis honore & beneuolentia cumulatur. Haud vanam inde spem felicis successus concipimus: alia etiam argumenta & indicia, quæ potentiora & probabiliora sunt, idem confirmat.

Insinuaui tum regi, tum ordinibus, variis non depretiandis rationibus deducendo et probando, ipsos rem se dignam, reipublicæ apprime vtilem, et ad recuperandum Palatinatum necessariam facturos, si sub ductu et imperio Friderici regis viginti militum millia, qui recta in Germania contenderent, et ibi belligerarent, alere vellent. Ista expeditione etiam Batauis satis consuli, dum negotium facessitur iis, qui alias metu soluti contra ipsos auxilia sint missuri. Cæsarem enim et Liguistas occupatos et in proprio nido turbatos, non satis animi viriumque habituros, vt egressi finibus suis aliena inuadant et diripiant. Præterea expeditionem talem cum ingenti Anglicæ nationis honore et gloria futuram, iisque acceptum referendum, quidquid illa perficitur. Posse duos tresue autoritate et experientia conspicuos adiungere duces, qui et regi Friderico a consiliis sint, et curam habeant, vt cuncta recte administrentur, et

nummi prouide expendantur, siquidem putent honoris sui interesse. Opus autem esse, vt expeditio ista nomine et ductu Friderici regis fiat, eique milites sacramento addicti sint, penesque eum omne imperium et potestas belli gerendi, et quo consultum ipse duxerit, transferendi. Si enim Anglus suis auspiciis rem hanc aggrediatur, verendum esse, ne principes protestantes se cum illo coniungere tergiuersentur pro prætextu et caussa allegaturi, sibi integrum per constitutiones imperiales non esse, extero bellanti in imperio sese associare. Verum si auspiciis et nomine Friderici, electoris principis Germani bellum moueatur, ita tamen, vt rex Angliæ et ordines regni repræsentent stipendia et sumtus alendo militi, atque eo fine per mercatores vel per anticipationem caueant et rem certam reddant: tum plurimos principum protestantium accessuros, alios spe erectos communi caussæ non defuturos, alios quorum æque referat, libenter de suo aliquid collaturos, alios clam, alios palam opitulaturos odio in Austriacos, quorum potentiam cupiant circumcisam et in ordinem redactam; alios, qui nunc hiscere non audeant ob imminentem metum, recepturos animum, et extrema coniunctis viribus conaturos, pro excutiendo iugo, et asserenda pristina libertate. Dacum quoque in amicitia confirmatum iri: ceteros amicos et socios, alios propter proprium ipsorum commodum, alios alia ex caussa adstipulaturos et patrocinaturos: adhæc suspicionem et diffidentiam, quam plerique de Anglorum præposteris consiliis, procrastinationibus, et effugiis conceperint, exemtum iri animis hominum, quibus ipsa euidentia rei commonstratura sit, rem serio, et constanter, et cum certitudine boni successus agi. Imperatorem quoque et Bauarum, si hanc pertinacem consensionem animorum inter Anglos, Fridericum et socios viderint, ad moderatiora consilia et ad conditiones æquiores permotum iri. Denique Fridericum in Germania, et illis in locis, vbi bellum geren-

rendum ſit, militem momento temporis et parabili ſtipendio conſcribere, et ſupplementa in locum decedentium tyronum facere poſſe; inprimis equitem, quo inſtructos maxime eſſe oporteat eos, qui inuadere hoſtes et amiſſa recuperare velint, eſſe in promtu; tum etiam tribunos et duces, fide et experientia perſpectos, adeſſe et iuſſa præſtolari. Quæ omnia Anglis difficiliora ſint: non tamen impediri, quin, ſi velint, et ad rei ſummam profuturum eſſe cenſeant, mari contra Hiſpanos expeditionem aggredi queant. His et ſimilibus argumentis diſputaui, eam maxime ob cauſam, quod animaduerterim, igneum illum feruorem recuperandi Palatinatus, quo cuncti ſe flagrare et inflammatos eſſe credi volebant, nonnihil imminutum, et cum tempore magis ac magis exoliturum eſſe, re ab ordinibus, poſtquam altius cogitarint, difficiliori, quam ab initio arbitrati ſunt, æſtimata. De inuadenda magno cum exercitu Flandria deſperant: adhæc expendere incipiunt, quantum ad defendendam Hyberniam, quantum ad portus communiendos, quantum ad claſſem parandam et inſtruendam contribuere opus habeant. Bene ſcio, quod mihi occentent adagium illud hiſpanicum: Facilius eſſe concionari, quam operari: non tamen ego propterea ſinam partem aliquam mei officii claudicare.

Cum iam calamum inhibere et hos obſignare vellem, ecce iterum binas nouas a te redditas habui: erant exaratæ Idibus et III Idus Martii. Tam felix fui, vt vno die ſex tuas diuerſas literas acceperim, et reſignarim. Stupeo ad illam tam exquiſitam diligentiam, et miror, vnde tibi tantum otii, tantumque materiæ ſuppetat, vt tam multa, tamque diuerſa, et cognitione digna ſcribere poſſis, et quidem tua manu. Vt ſunt cuncta, quæ a te proficiſcuntur, lectiſſima et merito ſuo gratiſſima: ita me tibi propter eorum communicationem æternum deuinctum eſſe fateor. Vereor tamen, vt hoc iterum dicam, ne cum moleſtia et erumna tua fiat, quod tam cu-

riose et exacte cuncta ad me perscribas. Vale iam, Vir amplissime, et me tuarum virtutum cultorem esse scito. Dabam Londoni XIIII. Kalend. April. cIↃ IↃ c xxIV.

Epistola XI.

Quomodo rex Jacobus, Vir Amplissime, sententiam & mentem suam ad ordinum suorum petita & consultationes de abrumpendis cum Hispano colloquiis, & de ratione belli suscipiendi declararit & manifestarit, illud ex agographo, quod his adiunxi, intelliges. Quid autem ego de eo dicere & iudicare debeam, ignoro & confusus sum. Si verba regis suspensa & in ambiguum incertumque implicato libro, si intimos meticulosioris animi recessus scrutor, si ingenium, naturam, & adsuetudinem senis prudentissimi considero, si facta et actiones contrarias replico & perpendo, haud scio, an mentem regis tam claram & apertam esse, idque ipsum dicere, quod ordines dixisse sibi persuadent, affirmare sustineam. Princeps & Bukinghamius in ista declaratione tantum sibi placent, vt regem per omnia ordinibus gratificatum esse, eorum consilia comprobasse amicitiæ hispanicæ nuncium misisse, & totum ad bellum propensum esse arbitrentur. Propterea etiam nobilem quendam iuuenem, qui regi & reginæ Bohemiæ euangelia ista afferat, ad vos mittent. Bone Deus quantum gaudii, quantum lætitiæ apud plebem belli expertem? Exultant & tripudiant non secus, ac si victoria potiti, Hispanum iam captiuum catenis ad triumphum ducerent. Vereor, vt ista imprudens, & immatura, ac ostentatrix sui lætitia, signum & omen sit sæuioris & tristioris successus. Et sane quis sibi secundi & solidi quid promittat, cum bellum prius declarari & denunciari, quam apparatus fieri videat. Si sapienter & cum fundamento rem gerere, & restitutionem Palatinatus promotam reuera cuperent, deberent nobiscum, quibus fortuna, omnibus bonis ereptis, vsum reliquit bene suadendi,

dendi, consilia sociare: deberent occasiones & adminicula, quibus ad scopum illum facile & prompte peruenire queant, amplecti: deberent cum Batauis ceterisque sociis eiusdem caussæ & religionis fœdera percutere, principes Germaniæ ad arma exhortari & animare, & similia bello gerendo necessaria prospicere.

Oratores Hispanici adhuc hic sunt: rarius quidem regem conueniunt, quia Bukinghamius aditus omnes obsidet: attamen tanquam Lyncei corycæi in cuncta penetrant & intima quæque perscrutantur. Nec Jacobus quoque suos ex Hispania & Flandria reuocauit. Heri in comitiis conclusum erat, vt leges ab antiquo rogatæ contra Pontificios, quos vulgo Recusantes, quia recusent sacramentum præstare, quo coguntur abiurare papæ superioritatem, & agnoscere regem supremum in omnibus causis tam ecclesiasticis, quam politicis rectorem, executioni mandentur. Rex de eo certior factus statim ad se filium, & Bukinghamium accersi iubet: ex illis sciscitatur, an & ipsi interuenissent isti deliberationi & adstipulati essent. Princeps se assensisse, nec aliter potuisse pro vtilitate regis & regni, ingenue confessus est. Tum rex ad Bukinghamium conuersus, & tu quoque Georgi? inquit. Omnino subiicit Bukinghamius, imo si calculum meum non addidissem, adderem adhuc, quia noui, & conscientia teste persuasus sum, e re id regni & tuæ Maiestatis esse: si aliter facerem, perfidiæ damnandus essem. Rex indignabundus, in diras & execrationes pro more suo prorumpit, & præceps ruit. At illi egredi, &, rege solo relicto, tempestatem desæuire pati. Regis igitur ira, sicut impetuosa & prona est, ita subito detumuit. Vocantur igitur, & regis animum mirum in modum placatum, tranquillum & propensum experiuntur. Ita nimirum solet cum purpuratis suis rex argutissimus, vt veluti per lusum eorum mentes & consilia exploret, intelligatque, quomodo

do ipsis cum reliquo populo conueniat. Atque hæc hactenus. Vale, Vir amplissime, & me te revereri inque oculis ferre scito. Dabam Londini IV. Kal. April. cIↃIↃCXXIV.

Epistola XII.

Hac occasione, quæ se hoc ipso temporis articulo offert, parum ad te scribere volui, & simul mittere legendum & censendum consilium politicum, quod rogatu amicorum scripto comprehendi, in quo Anglis viam & modum commonstraui, quem sequi habeant necesse, si velint hoc rerum statu aliquid solidi ad rei summam pro restitutione Palatinatus facere. De eo iudicium tuum, quod magni merito æstimo, velim audire. Rem tanti ponderis & momenti esse animaduertes, vt eam negligere ratio mei muneris non permiserit. Nolo autem, vt promiscue sciatur, me consilii istius auctorem esse. Talia enim pluris fieri & curiosius legi atque examinari solent, quando autor eorum ignoratur: adde, quod ea, quæ a nobis proficiscuntur, existimentur ira & studio composita, propterea qnod nostrum vel maxime interſit.

Ex iis, quæ Serenissimo perscribo, plurima consideratione haud indigna cognosces. Vt iis vero nunc insistam, non permittit otium. Vnum duntaxat vos velim, vt nimirum ea, quæ tam confidenter & sub sigillo religiosi silentii ad vos refero, cohibeatis intra fores vestras, ne ante tempus eliminata, efferant aliquid incommodi & indignationis, scribenti apud eos, qui stomacharentur, si scirent nos ad cognitionem suorum arcanorum penetrare. Jacobus Careolius se ad iter in Galliam accingit; in mandatis habebit, vt communicato consilio tam cum Henrico Ritschio, quem rex baronem Kinsingthonium maioris honoris caussa nuper creauit, quam cum Eduardo Herberto, qui ordinarii legati vices ibi obtinet, viam & gradum sternat ac decenter ambiendam & petendam in coniugem Caroli principis, Mariam Bor-

Borbonicam ſororem regis Galliarum. Stat ſiquidem Jacobo ſententia, vt velit filio ſuo copulatam connubio non inferioris conditionis feminam, quam erat Hiſpana. Cur autem pontificiam potius cum offenſione, quam comparis religionis cum bona populi ſui gratia malit, non caret, mea quidem opinione, myſterio. Ego ſæpius, cum iſta perpendo, mecum memoria recolo hiſtoriam Valentis imperatoris, qui ab initio orthodoxus erat, poſtea autem, ducta Arianæ ſectæ vxore, in ſervitutem erroris datus, & factus non captiuus ſolum, ſed etiam muliebrium fallaciis obſequens, vt ait Theodoritus IV. c. II. tandem ſe & totum imperium in exitium deduxit. Juſtiniani imperatoris cum Theodora, Eutychianæ ſectæ obnoxia femina, matrimonium quantas attulerit ærumnas, contentiones & incommoda in eccleſia & republica, hoc notum ex Euagrio. Legatus Gallicus Comes Tillierius in propatulo dicere, & Pontificiis in hoc regno fidem dare auſus eſt, regem ſuum in matrimonium cum ſorore ſua non aſſenſurum, niſi iisdem, aut melioribus conditionibus, quam quæ pactæ fuiſſent cum Hiſpanis pro religionis catholicæ romanæ emolumento & ſecuritate. Bukinghamius noſter plurimum autoritatis, fidei & exiſtimationis perdidit apud patres inferioris curiæ, eo, quod ante triduum palam curiatis comitiis retulerit, & pro vero credi voluerit, Hiſpanum maiorem claſſem, quam anno CIƆ IƆ LXXXIIX. inſtruxerit, apparare, eamque iam fere paratam tenere ad vela faciendum. Deinde innumeros in Flandria Pentones transuehendis militibus ad inuadendam Angliam conſtrui. Denique Regem Hiſpano ſignificari iuſſiſſe, ſe nihil amplius deinceps cum ipſo commercii habiturum, ſed alio modo ius ſuum perſecuturum, cum hactenus pactionibus & colloquiis nihil obtinere potuerit. Hæc omnia, quia manifeſte falſa ſunt, ordines interpretantur, ſtudio eſſe conficta & amplificata eum in finem, vt ipſi promtiores & liberaliores ad conferendam pecu-

niam

niam redderentur. Indecorum & contumelioſum eſſe aiunt, eiusmodi puerilibus commentis & ambaguis uti erga viros graues. Has eſſe aſtutias filo ſoloci conſutas & nimium apparentes. An ordines ignorent, quid rerum agatur, quidque ſui ſit officii? an circumueniendi ſint & mendaciis & confictis fabulis vanisque terriculamentis impellendi ad neceſſitates regis & regni ſublevandas? nihil aliud quæri, quam ut emungantur nummis & deludantur: merito diffidere & dubitare, an ſincere & ſerio agantur & intendantur, quæ ſecum hactenus acta. Hæc & ſimilia vario ſermone inter ſe, cum ſoli ſunt, eliquant. Ex iis apparet, ni fallor, cum quanta diffidentia, ſimulatione, confuſione & præcipitantia deliberationes de rebus grauiſſimis in comitiis inſtituantur & explicentur. Et nos nihilominus omne noſtræ ſpei & reſtitutionis fundamentum in iis collocare & ponere iubemur. O quam lubrico ſolo inſiſtimus! ſicut veſica, cui anima inſpirata eſt, tumet & diſpenditur in orbem, ſolidi vero nihil habet: ita conſilia & auxilia iſta plus habent in externo ſchemate, quam in receſſu. Recte compares cum nuce iuglande, quæ integro & rotundo cortice conſpicua nucleum habet vel nullum, vel putridum, vel eroſum. Aut, ſi mauis, cum pomo Palæſtino, quod aſpectu pulcherrimum, ad eſum inutile, imo manibus tactum in fumum & vaporem diſſoluitur. Qui tibi & Sereniſſimo has reddet, domeſticus & familiaris amicus eſt; rogo, vt meo ſaltim nomine eum beneuolentia amplecti velis. Vale, Vir ampliſſime & candidiſſime inter meos neceſſarios. Dabam Londini III. Nonis Aprilis cIↃ IↃ cxxiv.

Epiſtola XIII.

Qui cum meis literis heri ad vos diſceſſerat, hodie ex itinere in vrbem ad nos reuerſus eſt, propter ventos contrarios & alia impedimenta. Cogor itaque meas recipere & per tabellarium ordinarium, quod facio, transmit-

mittere. Ne autem ſine mantiſſa & corollario ſe tibi ſiſtant, hoc quamuis parum gratum addere volui, quod velim te ſcire, ordinum Batauorum legatos hodie, ſicut inter miniſtros publicos moris eſt, apud me fuiſſe, & conqueſtos eſſe denuo de faſtidioſa illa ipſis & ipſorum reipublicæ damnoſiſſima procraſtinatione & cunctatione regis: ſe non ſine opprobrio & contumelia tam diu detineri: patribus id ignominioſum eſſe: Hiſpanis hoſtibus hoc adſpicientibus rem gratam fieri, quibus ludibrio iſta detentione exponantur: autoritatem inſuper & exiſtimationem ſenatus populique Batauici contemni & vilipendi. Se non veniſſe ſponte; nec aliquid mendicatum aut petitum; crebris & inſtantibus precibus patres requiſitos & compulſos, vt ad fœdera ineunda mitterent legatos, ſpem eis & fidem a principe Carolo & duce Bukinghamiæ datam, fore, vt negotium feliciter & promte, ſi modo adeſſent oratores, conficeretur: in eorum potiſſimum gratiam legationem iſtam adornatam. Nondum autem ullum cum legatis de rei ſumma congreſſum habitum, vllamue tractationem inchoatam: plures ſeptimanas inutili contentione conſumtas: an expectare debeant, donec regi commodum fuerit, isue & Ordines inter ſe conuenerint, resue ſuas concinnarint? an ſalutem & dignitatem reipublicæ proſtituere & priuatis priuatorum hominum commoditatibus ſubiicere? moram iſtam nimis eſſe exitioſam & vituperoſam. Gallum etiam, dum ad Anglum reſpiciat, & hunc aliquid in auxilium Batauorum facturum ſperet, reddi ambiguum & tepidum, ita, vt & ipſe videatur incipere cunctari, verendumque ſit, ne tardiores & minores ſuppetias, quam rei exiget neceſſitas, ferat patribus. Se iam de ſucceſſu deſperare, & de reditu cogitare: animaduertere, regem incertum conſilii ferri, & nondum in animum induxiſſe pacem & amicitiam cum Hiſpano exuere, inito & percuſſo cum ſenatu populoque Batauico fœdere. Hæc & parilia, quæ vera eſſe negare non

poſſum,

possum, optimi isti viri mecum consermocinati sunt, pro ea, quae inter nos intercedit confidentia. Quid ego autem faciam? mouere parum, sed nihil promouere valeo. Licet indigner & stomacho Ciceronis assumto cum purpuratis expostulem; cogor tamen tandem, postquam quiritando & cohortando impatientiam exhausi, animum Catonis induere, & patienter, quae corrigere non possum ferre, spe quidem certa fretus praesagio, ipsos non dimissum iri re omnino infecta. Magnus regni thesaurarius de fortunis & dignitate sua periclitatur: mox illud Claudiani de Rufino in eo quoque verum experiemur: Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant: Hodie in comitiis de eo iudicium sumtum: vtraque curia nigrum praefigere theta parata est. Et haec hactenus. Vale, Vir amplissime, & me tui studiosum & amantem reclamare perge. Dabam Londini Pridie Non. April. cIↃ IↃ cxxiv.

Epistolae XlV.

Quaeso (a) ne posthac apud me vtaris excusatione, Vir amplissime, quod paruis a scribendo induciis sumtis tardius ad meas rescribas, sicut in tuis literis, quas ad me VIII. Idus April. exarasti, facis. Noui enim, quantis occupationibus obruaris & paene eneceris. Quod autem vos summo desiderio mearum teneri scribis, sub spe, vos inde aliquid iucundi & grati percepturos, cum tamen hactenus nihil eiusmodi intellexeritis: sed semper lectione mearum suspensi & magis anxii redditi sitis, non opus est vlla persuasione. Et ego sane indignor, quod nuntius tristium & illaetabilium rerum esse cogor. Verum si me libertate vti, & nihil veri apud vos celare vultis, scapha scapha, & ligo ligo vocandus erit. Spem & fiduciam certam, vbi nullam deprehendo, dare non possum. Non habeo in more, quod Placen-

(a) *Epistola differt nonnihil ab ea, quae apud Miegium & Nebelium p. 302, habetur.*

centini & Laudenſes aulici, qui etiam amara & auſtera veritatis melle mendacii illinunt, & dulcore adulationis inficiunt, ne quid dicant & referant, quod dominis diſpliceat. Optimus etiam Princeps Carolus, cuius vel maxime refert, ne conſilia, quorum ipſe Patri & Ordinibus autor cum Bukinghamio exſtitit, maneant imperfecta, fiantque irrita, plurimum ſollicitus eſſe incipit: ſicut palus, cuius vndæ ventorum impulſu concitatæ ſunt, ita illius animus variis diffidentiæ curis, & dubiis huc illuc agitatis conſiliis æſtuat. In Dano avunculo maximum permouendi, & confirmandi Patris fundamentum ponit: ſibi promittit cum autoritatis ſuæ pondere libram fluctuationum inclinaturum, & perſuaſione Roberti Anſtruteri permotum, in Angliam, ad conſilio juvandum Regem, ſi operæ duxerit pretium, venturum. Alii videant, quid judicent & ſperent: ego cum Buchanano, qui ingenium & indolem illius, quem erudiuerat, exploratum habebat, dico

Longo quod vſu in peius vsque induruit,
Multo facilius fregeris, quam flexeris.

Ordines regni in examinanda Præfecti ærario cauſa adhuc occupati ſunt; videntur aliquam inde voluptatem capere, ſicut vultur ille apud Virgilium, qui immanis Titii jecur roſtro rimatur adunco. Interea dum priuata iſta inter proceres fervent lites & jurgia, & Curia in iis auſcultandis & inquirendis cum delectatione vacat, altum de publicis totamque Europam tangentibus negotiis ſilentium. Sic in ſuperuacuis vita teritur, etiam inter Patres Reipublicæ. Cato ſemper contentiunculas aliquas aut diſſenſum inter ſervos callide ferebat, ſuſpectam habens nimiam eorum concordiam, metuensque, ſicut ſcribit Plutarchus: hic idem pæne, ſi fas eſt, dixeris.

Cum Ordinum Batavorum legatis in colloquium deſcendi cœptum: ante biduum mandata vltro citroque inſpecta fuerunt. Quæ Rex Jacobus ſuis conſiliariis ad

ad id negotium destinatis dedit, ea existimantur nonnihil tepida, hoc est, neque frigida, neque calida. Iis tamen potestas & autoritas datur non solum de confœderatione, sed quæ in defensione duntaxat consistat, cum oratoribus tractandi; verum etiam honestis cum conditionibus concludendi. Vno verbo ad certa & circumscripta pactis auxilia; non vero vlterius, neque ad fœdus, vt vocant formale, se obligari & adstringi pati vult. Quidquid vero in auxilia ista effusum & impensum fuerit, id omne ordines se suo tempore, & quando inducias vel pacem fecerint, reddituros stipulari cogentur. Sunt, qui loquantur de opidis pignori & hypothecæ loco constituendis, sicut tempore Elisabethæ factum commeminimus: sed non puto ordines, qui tanta nunc necessitate minime vrgentur, quemadmodum tum, tam sui oblitos fore, vt in rem tanti præiudicii consentiant. Cedo autem quid vtilitatis ad nos in caussa restitutionis Palatinatus ex ista cum ordinibus pactione auxiliorum redundabit? Nihil, vel admodum parum: quod vel ex eo satis liquet, quod nec cum Serenissimo nostro, cuius tamen caussa & bono illa fieri prætenditur, consilia communicentur, nec ego, qui eius nomine negotia publica in hac aula curo, & mandata eam in rem habeo, aduocer vt intersim.

Consiliorum & propositionum Comitis Mansfeldii summa in eo consistit, vt conetur omnibus rationibus & argumentis Anglis persuadere, necesse omnino esse, vt in Germaniam, tanquam ad caput & arcem belli, cum exercitu eatur, & expeditio fiat, si vel pro restitutione Palatinatus, vel pro conseruanda & tuenda peritura Principum libertate, aliquid re & nomine dignum effici & patrari debeat. Germaniam non nisi per Germaniam vinci aut defendi, & quæ ibi amissa, nisi per Germanos recuperari posse. Quapropter si Angli sibi sumtus aliquot subministrare, & vnam alteramue legionem Tyronum suo imperio & ducatui submittere velint,

se

ſe confeſtim iuſtum exercitum collecturum, & in Germaniam cum eo progreſſurum. Nam reliquam partem copiarum in finibus Lotharingicis & Helvetiis, vbi populationis & annonæ affatim ſit, ſe conſcripturum: inde luſtrato exercitu ſe deſcenſurum in agros hoſticos, tam Auſtriacorum in Alſatia, quam Liguiſtarum in confinio Rheni: illinc in ipſam Bavariam Bohemiamque aditum fore facilem: ſe, qui cognitas habeat, & vires hoſtium, & ſitum locorum, perſuaſum penitus habere, expeditionem hanc non carituram felici ſucceſſu. Si igitur Angli, quod ſui officii, ſuarum partium ſit, fecerint, tam Gallos & Venetos, de quorum procliui voluntate ſibi ſatis & per argumenta certiſſima conſtet, ſuam quoque ſymbolam collaturos. Aliena autem interea occupanda, invadenda & detinenda eſſe, donec reſtituantur ablata. Adhæc nihil certius eſſe, quam Cæſarem, Bauarum, & ſocios, tali expeditione in ordinem redactum, & ad æquas pacis conditiones coactum iri. Bukinghamius, Conwæus, & Princeps hoc conſilium palam approbant, & ſe illud promotum deſiderare præ ſe ferunt: interim haud obſcure innuunt, ipſis adminicula argentaria non eſſe in tam abundanti copia: erogandum enim plurimum in propria defenſione, in præparandis & inſtruendis nauibus, in præſidiis per Hiberniam conſtituendis, in portubus muniendis, in auxilio Batauis ferendo, inque aliis rebus non minus neceſſariis ingentes impenſas faciendas. Ipſos nihilominus de tota re vberius & profundius cogitaturos, & cum Rege deliberaturos, ejusque ſententiam & mentem exploraturos. Ante omnia vero requiri, vt quid Gallus in hoc negotio facturus, qualemue ſe geſturus ſit, ſciatur. Fieri enim poſſe, vt Anglis bello implicatis, omnem poſtea molem illius gerendi ſit relicturus, & ipſe ab armis quieturus. Ad iſta Mansfeldius ſubjiciebat: nec Gallum, nec Venetos, aliosue, quamuis cauſſæ foueant, quicquam moturos, & proprio marte geſturos, niſi prius

videant Anglos, quorum magis, quam ſui intereſſe autument, initium belli feciſſe, & reapſe manum operi admouiſſe. Expeditionis vero fundamento & exordio per Anglos facto, nequaquam eſſe dubitandum, quin Gallus & cæteri, quibus Auſtriacorum potentia ſuſpecta & odioſa ſit, eamque cupiant intra cancellos moderati imperii concluſam, ſe ſint coniuncturi. Nam ſe pro comperto hoc affirmare, vtpote cui promiſſio & ſpes eum ad finem facta ſit. Hæc vltro citroque diſputata & diducta fuerunt: non dubito, quin Mansfeldii ſententia, quia Regem in bellum directum, vt vulgo loquimur, non inuoluit, ſit præualitura. Nam bella illa, quæ ego vocare ſoleo metaphyſica, Regibus & Principibus hodie magis placent, quam vera & legitima. Hoc ſcilicet a Gallis didicerunt, qui, ſicut prouerbio quoque dicunt, vnguibus felis prunas calidas e carbonibus ardentibus extrahere, magnæ prudentiæ judicant. Lapide projecta, ictum facere, & ſtatim manum retrahere & abſcondere, ne videaris, ſcitum eſſe: ne ſcilicet alteri iuſtam cauſſam dent repetendi & reuerberandi, hoc eſt de bello ſibi illato conquerendi. Sub prætextu auxilii ſuorum cauſſam cuilibet licet defendere & tueri. Verum bella iſta ad rei ſummam parum vel nihil potius conferunt, imo maioribus bellis & calamitatibus eos inuoluunt, quibus tali modo opitulatum itur. O Germania tuum fatum agnoſce: Exteri Reges, magiſtri & editores ludorum ſunt; ipſi in arenam non deſcendunt & pugnam, ſed gladiatorum, myrmillonum, retiariorum, laqueariorum, eſſedariorum, andabatarum, commiſſiones exhibent. Sed in orbitam. Princeps Mansfeldium ſingulari humanitate & comitate proſequitur, & in ædibus ſuis hoſpitium aſſignauit, non amplius incognitus hic eſt; ſed promiſcue a quouis aditur, ſalutatur, et, quod verum eſſe noui, adoratur. Propediem ad Regem, qui in villa Theobaldi deliciatur, deducetur. Proximis eadem de re plura. Jam vale, Vir Ampliſſime, & me tui ſtudio-

ſum

ſum eſſe credere perge. Dabam Londini XIV. Kalend. Maji. cIↄ Iↄ cxxiv.

Epiſtola XV.

Comitis Mansfeldii propoſitiones & conſilia, Vir Ampliſſime, non modo prona aure auſcultata, ſed etiam ab ipſo Rege, ſicut antea a Principe Carolo, & Duce Bukinghamiæ comprobata ſunt. Omnes jam in hoc regno maximi, medio Xumi & infimi acclamant & accinunt io triumphe! io triumphe! Hoc ſe anno, ſi Diis placet, confidunt non ſolum Palatinatum recuperaturos, ſed & rationem cæterarum injuriarum ab Hiſpanis repoſcituros. Quod autem Rex tam facilis in præbendo aſſenſu, quem tamen non purum, ſed pactionatum dedit, fuerit, hoc non caret myſterio & argumento. Nimirum tolerabili & modico ſumtu, ita callidus in petendo Mansfeldius fuit, aliquid magni ſperat iſta expeditione efficiendum, ne tamen bellum contra Hiſpanum, vel vllum alium declaraſſe, dici poſſit. Eadem opera ſatisfieri etiam populo arma cupienti, cui os obturare queat, diceodo, ſe propter reſtitutionem Palatinatus expeditionem iſtam ſuſcipi juſiſſe, & Mansfeldium illius ducem conſtituiſſe: & ſimilia plebis auribus grata. Ad hæc ſibi perſuadet, alios etiam, de quibus Mansfeldius ſpem fecerit, propter proprium ipſorum & emolumentum aliquid contributuros. Denique ſi Mansfeldius ſuis velut auſpiciis bellum gerat, acceptis certis in menſem fomentis pecuniariis, tam ab Anglo, quam a Gallo, aliisque; tum Hiſpanum de pace ſecum rupta iuſte conqueri non poſſe. Mansfeldio enim non demandatur expeditio contra Hiſpanum directe, & ſi is hunc offendat, Anglo integrum fore a ſe culpam ſegregare, & in ducem, quod is vel limites mandati transgreſſus ſit, vel a ſe non omnino dependeat, transferre. Quid dicemus? Sane Mansfeldius eadem prorſus ratione, ſicut ſuperioribus annis, circumferet potius, quam inferet bellum; nempe ſuo ductu ſuisque auſpiciis cuncta ad-

miniſtrabit, nullius arbitrio & directioni obnoxius. Quod ſane reſtitutionem Palatinatus non promouebit, nec res lapſas Religionis & libertatis in priorem ſtatum reponet; ſed in majus exitium & diuturnius bellum adducet. Niſi enim ipſe Rex & cæteri, quorum conſenſu Mansfeldius arma capere debet, nomen dent expeditioni, palam profitentes ſuis auſpiciis & voluntate illam ſuſcipi & geri; Principes Germaniæ non tam facile in partes venient, imo quod vereor, alii ciuili excuſatione ſe tuebuntur, alii etiam aperte obnitentur. Mansfeldius timetur quidem ab hoſtibus, ſed non amatur a noſtris. Gallus vero, ſi quid in hanc expeditionem contribuet, proculdubio Mansfeldium in eam conditionem adiget, vt ſibi promittat, ſe non offenſurum Catholicos in imperio Principes, ſi quieuerint, inter quos Bavarum nominatim comprehendet. Sum enim perſuaſiſſimus, Gallum nunquam ſe quæſtioni & controuerſiæ de translatione Palatinatus oppoſiturum, quin novam Bauari amicitiam veteri cum Palatinis Comitibus prælaturum. Ad id eum tam zelus religionis Romanæ, quam Bauaro in ſella ſeptemuirali conſtabilito, & ſummo loco in ſenatu & comitiis imperii ſententiam dicente, ingens incrementum capturam videt, tam aliæ conſiderationes impellunt, inter quas non infimam illam reor, quod Friderico & eius liberis, qui e ſanguine regio Anglico orti eo ſemper reſpiciunt, Electorali dignitate & Palatinatu excluſis, Angli autoritas & potentia in Germania imminuatur & euileſcat: Galli vero, Bauaro & ſociis rerum potientibus & florentibus creſcat & conſpicua reddatur.

Nihil autem eſt, quod me magis ad indignationem moueat, quodue crebrius noſtris purpuratis exprobrem, quam quod nihil de tota iſta cum Mansfeldio facta pactione cum Sereniſſimo noſtro Rege, mecumue, qui eius nomine hic ſum, communicent. Quidquid ego de illa cognitum habeo, id ex ore Mansfeldii, qui nihil

me

me celare ſolet,haurio. Sed quid homines naſuti reſpondere ſoleant, te ſcire velim. Aiunt nimirum, Principem illum cum infelicem, infauſtoque ſidere natum eſſe, tum omnium animos tam procerum, quam plebis ab eo ita alienatos eſſe, vt parvam ipſius rationem habere dignentur. Adhæc tenacem nimis & parcum, vt ad magna negotia & ad bellum gerendum, non ſit tam aptus. Tribunos, centuriones, & promiſcuam turbam militum non tam promtis animis eum ſecuturos, eiusve imperio ſe ſubiecturos. Proinde conſultum minime eſſe, nec Anglos libenter conſenſuros, vt ei ſumma rei & belli adminiſtrandi ratio permittatur. Si Robertus Anſtrutherus ad vos venit, plura talia, quæ de induſtria ſilentio inuoluo, vobis referet, Ah quam aliter meritus eſt optimus iſte Princeps, quamque infelix eſt eius memoria apud eos, apud quos eſſe debebat feliciſſima, cum tantis ſibi eos obſtrinxerit beneficiis.

Ordines regni tria ſubſidia, ita vocant collationes ad neceſſitates regni & regis ſubleuandas, ſtipulati ſunt intra annum ſoluenda, ea cum pactione, vt prius palam declaretur, & in acta publica more majorum inſcribatur, Regem omnibus hactenus cum Hiſpano incaſſum agitatis colloquiis nuntium miſiſſe: ab eo ſatisfactionem deinceps ea via, quæ omnium optima judicata fuerit, repoſciturum. Subſidia illa, quæ ſummam duodecies centies millium thalerorum Germanicorum excedunt, ita diſtribuenda & expendenda ſunt. Rex habebit vnum: reliqua duo impendentur tum ad ſtipendia militi præſidiario in Hibernia ſoluenda, tum ad claſſem aliquot nauium inſtruendam: denique ad auxilia Batauis præſtanda. Hæc pecunia, ſi verum fateri velimus, parua & contemtibilis eſt, ſi reſpicias tantum tamque florens regnum: ea vix ſufficiet ad vnam aliquam iſtarum trium neceſſitatum pro dignitate ſubleuandam. Quid inde ad Palatinatum recuperandum? aut vbi nummi inuenientur ad alendum juſtum exercitum?

In Anglia certe minime, nec regnum profecto intra annum maiorem ſummam, præſertim ſi in plures annos continuandum eſſet, contribuere valet. Si auderem, applicarem huc illud, quod de Claudiani carminibus Lilius Gregorius Giraldus dixiſſe legitur: ea quidem pleno ſpiritu ordiri ingreſſum poëmatum, ſed ad extremum inſtar flaccidi ſinus deficere, qui vento dum turget, vberis & prægnantis molis ſpeciem præ ſe fert, ceſſante autem anima, conſidit in ſuas rugas, ventremque turgidum inani prorſus bulga commutat. Princeps Mauritius Naſſouius de Germanis Principibus dicere ſolet, eis plus ſatis pecuniæ & fructuum ſuppetere ad laute & ſplendide vivendum; nimis parum autem ad bellum gerendum: de Anglis ſane quam oppido vere dicere poſſumus, eis nunc ad oſtentationem ſatis nummorum adeſſe, ad vſum parum. O miſer ergo Palatinatus per quos tandem reſtitueris? non me hercules per eos, per quos te confidimus & ſperauimus reſtituendum, quosque tantæ molis erat ad id perſuadere. Fatum ſcilicet noſtrum fuit eos adire, tam, qui nobis opitulari non poſſent, quam per quos nobis pereundum foret. Ne his querelis & lamentationibus te pluribus onerem, ceſſo. Vale quam optime, Virorum optime. Dabam Londini VI. Kal. Maj. cIɔ Iɔ c XXIV.

Epiſtola XVI.

Cum quanta ſignificatione honoris, beneuolentiæ & prolixitatis Comes Mansfeldius a Rege, a Principe, & proceribus fuerit exceptus, habitus, ac dimiſſus, Vir Ampliſſime, hoc e diuerſis meis, quas ad Sereniſſimum Regem Fridericum dedi, intelligere pluribus potuiſti: aliquid etiam in ſuperioribus ad te ſcripſi. Jam ſibi Rex Jacobus gratulatur, & ſe magna cura leuatum ſentiens, ſuo ſe officio defunctum, & populi etiam expectationi & deſiderio ſatisfeciſſe putat. At prudentiores, qui res accurata judicii & proſpicientiæ in longum

gum acta decempeda metiuntur, iſtam expeditionem Mansfeldicam, etiamſi progreſſum habeat, non multum ad rei ſummam facturam arbitrantur; niſi accedant fortiora & ſolidiora ſtabilimenta & fulcra. Haud enim ignorant, quam perniciosum ſit in rebus arduis tepidum eſſe, & rem dimidiatim facere, hoc eſt, non ſatis audere, nec ſatis prouidere, vt loquitur Tacitus. Sed hæc eſt natura Principum meticuloſorum & fluctuantium, vt rem, ad quam agendam compelluntur inviti, imperfecte faciant, ea tantum intentione & ſcopo, non vt aliquid cupiant effectum, ſed vt prætextum habeant, ſpecioſa excuſatione tuendi, actiones ſuas apud populum, incurii ſucceſſus. Ejusmodi mutilis inceptis, & ambiguis ac moroſis conſiliis plus obeſſe ſolent, quam ſi quieſcerent, & armis abſtinerent. Hactenus Rex Jacobus non admodum bene de Mansfeldio ejusque actionibus, & de ratione belli gerendi, qua vtebatur, ſenſit: nunc mutato temporis momento mente & opinione eum vnum dignum judicat, cui ſumma poteſtas, & arbitrium ducendæ & regendæ expeditionis committatur. In diplomate regio, quo conſtituitur dux & imperator iſtius belli, expreſſis verbis inſertum legi, omnem illum apparatum armorum, totamque iſtam expeditionem, inprimis ad recuperationem Palatinatus eſſe directum, Mansfeldium præterea conſilio Regis in grauioribus vſurum. Ad eas conditiones ipſe ſe adſtrinxit, quod etiam tabulis confirmauit & conſignauit. Poſſum ego hoc ei teſtimonium perhibere, quod ſtatim ab initio propoſuerit & edixerit, ſe, ſi Regi & Anglis placeret, auſpiciis Sereniſſimi Friderici rem omnem ſuſcepturum & geſturum, ejusque nutum, juſſa, & conſilia in bello adminiſtrando ſecuturum, non alio, quam legati, vulgo Generalis locum tenens appellatur, officio ſibi aſſumto. Verum purpurati, & inter eos nonnulli, qui vel maxime noſtræ ſe cauſſæ ſtudioſos eſſe credi vulgo volunt, dicebant & euincebant, Fride-

dericum esse Principem infelicem, ac propterea timendum, ne iterum omnia ipso auctore & auspice suscepta, infauste succedant; euentum comprobasse, quam infelicia sint ipsius consilia, actiones, jussa, & imperia. Mansfeldius se miratum fuisse dicebat, cum hæc audiret, sibique persuasisse, homines istos modestius & sobrius sensuros & locuturos. Ipse sane non apud me solum, sed & apud omnes alios honorifice semper, & cum debita reuerentia, de Rege nostro locutus est: mihi sancte per omnia sacra affirmauit & contestatus est, se cuncta in hac sua expeditione ad commodum illius, tanquam ad præcipuum scopum conducturum, & directurum, ac proinde etiam confidere & sperare, hunc suo se favore prosecuturum, & accepta grataque habiturum, quæ ipse eius nomine aggrediatur. Sed quid officii nostri nunc esse putamus? ego censeo, nos consulte facturos, si bona verba apprecemur, & dissimulemus, quæ nos vel sollicitos reddunt, vel cruciant, quod in communionem consiliorum non fuerimus aduocati. Nostra contradictio, indignatio, obnisus, & curiosior sollicitudo emolumentum nullum, sed ingens potius & certum dispendium afferre potest. Contenti simus hoc Catone, & gratias Deo agamus, quod eo usque res deducta sit. Saltem inde amici & inimici, qui dicere solebant, Anglos & Regem Jacobum curam nostrarum rerum deposuisse, argumentum & testimonium accipient eos cordi habere Palatinatus recuperationem. Pro tua prudentia hæc considerabis, & Regi fido consilio aderis, vt eum se circa hoc negotium gerat, qualem expedit esse temporum, hominum, rerum præsens conditio exigit, & ipsiusmet interest. Patientia & dissimulatione cuncta, quæ grauia sunt, superantur, & levia fiunt.

Cum legatis ordinum nihil adhuc actum: occupationes, quas Comes Mansfeldius adventu suo Regi & Consiliariis attulit, impedimentum & remoram injecisse dicunt,

cunt, quo minus isti negotio vacare potuerint. Sed hæc excusatio non æstimatur sufficiens, nec satisfacit oratoribus, qui se postpositos, & alterum nouissime aduentantem sibi diu præstolationibus antelatum, non tam æquo animo ferunt. Ipsos tanti temporis spatio ne hilnm promouisse & impetrasse: illum intra paucos dies res suas ex voto, imo supra votum & spem confecisse, & a rege cuncta, quæ petere poterat, obtinuisse; cum tamen magis referat Reipublicæ, caussam ipsorum promotam & adjutam habere, quam noua illa & incerta Mansfeldii consilia.

Robertus Anstrutherus mihi dixit, se propediem iter ingressurum ad obeundam legationem suam ad Danum, & Principes Germaniæ: pari modo Isacum Wakium ad Venetos, & Sabaudum, & ad Helvetios profecturum: vtrumque exspectare tantum; donec fœdus cum Batavis percussum sit, quod mox futurum credant. Quo facto, sperare se eo facilius commoturos reliquos Principes ad idem, vel simile fœdus cum Anglo icendum. Vereor, vt rationes putent sine hospite. Comes Bristolius, legatus Britannicus in Hispania, domum a Rege reuocatus in singulos dies a suis expectatur. Jam Caleti, hoc est in portu Jecio, sicut Romani vocabant, esse nuntiatur. Si sapit, aduentum suum paulum differet, donec comitia soluantur. Nisi securitatem in fauore Regis inveniat; potens aduersarius, Bukinghamius, eum subvertet. Professas enim inimicitias & odia, quæ tandem erumpent in neruum, ambo inter se exercent. Cum jam vellem hos consignare, accipio binas a te, vnas per juniorem Bolsingherum, alteras per Henricum Hermannum: tempus nunc non permittit, vt respondeam. Pausam igitur dabis. Interea Deum, v iuificantem mortuos & vocantem quæ non sunt, tanquam sint, rogo, vt te cum coniuge, matrona sanctissima; & liberis optimis incolumem saluumque seruet & tueatur. Dabam Londini III. Kal. Maii. cIↃIↃcxxiv.

Epiſtola XVII.

Quid rerum in his cismarinis oris hoc temporis articulo agatur, id Sereniſſimo noſtro pluribus perſcripſi: ea, Vir ampliſſime, inſpicere & legere voles. Ah quam lenta & intricata ſunt omnia! quam fluctuant, quamque inconſtantes ſunt homines iſti, a quouis ſe vento impelli & transuerſum rapi ſinunt; Vtinam ad imitationem Poëtæ plumbum plantis adderent, ne ſubverterentur a turbine. Vt araneæ in perplexo telæ textu hærentes aura huc illuc impelluntur; ita illi faciles omni impulſu moueri & flecti, quo trahit eos præceps & ad rumores ſumta, & tempori accomodata opinio, ducuntur. Et vero explicare ſe ſe non poſſunt ex illis confuſis conſiliis, nec volunt, vt ipſis via ſe ſe explicandi monſtretur, ſed tanquam muſcæ aranearum filis, ita illi diffidentiæ inuolucro, & timoris rete vndiquaque inuoluti ſunt & manent. Literas Hyacinthi, magni illius inter ſuos Patris Seraphici, vidi, legi, & apud me reconditas aſſeruo. Vereor, vt in multis nimium verus Augur deprehendatur, & nos cum damno noſtro experiamur non eſſe mentitum. Italica, quæ mihi legenda miſiſti, remitto cum condigna gratiarum actione. His vale, Vir ampliſſime, & me tuarum virtutum ſtudioſum eſſe crede. Datum Londini XI. Kalend. Mai. cIↄIↄcxxiv.

Epiſtola XVIII.

Ordinum regni cætus ad vmbilicum perductus, Vir ampliſſime, intra biduum finietur: Veremur autem, vt lætis & feruidis principiis ſuccedat finis ſubtriſtior, qui primam hominum credulorum expectationem deludat. Quemadmodum enim conſultationes iſtæ, quæ hactenus totius Europæ oculos attinuerunt, feliciſſime cœperunt cum omnium applauſu & voto, cumque ingenti ſpe animis amicorum impreſſa: ita ad finem tendere videntur, cunctis anxio & dubio pectore peiora timentibus. Dici vix poteſt, quantum ipſi Patres comitia-

tiales diffidant voluntati Regis, quam pro more Principum obinitio vehementem, mox tepidam, tandem frigidam, hoc eſt, mutabilem, & ſæpe ſibi contrariam norunt. Metuunt nimirum, vt rex dimiſſo conceſſu ad ingenium redeat, & denuo ex ſua cuncta libidine adminiſtret, pecunia in certum vſum conceſſa & deſtinata ad priuatam vtilitatem abuſurus, inſuper habito Patrum decreto. Aiunt Regem nuperrime in familiari diſſertatione, quam cum Petro Molino ſummo illo Theologo habuit, de pia fraudis licentia, qua vti licitum eſſe Pontificii doceant ad plebem inſtruendam, & in veritatis viam ex erroribus deducendam, approbaſſe doctrinam illam, & locum in profanis & politicis negotiis habere aſſeueraſſe, dum minime male Regem vel Principem facere ſtatuerit, qui illa, ſed in rebus, vt dixi, Rempublicam concernentibus, erga ſuum populum, ſi hunc in bella & pericula prurientem & ruentem retinere, eiusue emolumentum promouere ſatagat, vtatur: licet eiusmodi pia fraude in diuinis & religioſis rebus uti impium dixerit. Quo hæc noſtri homines trahant, in proclivi eſt coniicere. Oratores Hiſpani ad reditum ſuum in Hiſpaniam iam dudum ſe compararunt, prout videri volunt: procul dubio exitum comitiorum prius expectare & ſpectare volent. Deinde quid de Rege ad ingenium, & ad ſemet, & ad priſtinam libertatem reuerſo ſibi promittere poſſint. Eum enim omnibus viribus & artibus iſti Gigantes adgredientur, ſpe non dubia confiſi, ſe hominem expugnaturos, & ad antiquum obſequium deducturos ac effecturos, vt prælata ſuſpecta & exitioſa cum Hiſpanis amicitia, vtilem & neceſſariam cum ſociis eiusdem cauſſæ & religionis coniunctionem adſpernetur & vilipendat, vel ſaltem differat, & procraſtinetur, interea ea tempora inciſura, quæ ipſum timore & metu perculſum deterreant a conſiliis fortioribus. Nonus orator ex Hiſpania in via eſt, vocant Mendozam Hurtado: eum venire oblatum & traditum in manus Re-

Regis Palatinatum, nec exacturum vllas conditiones, neque moras, quod alias Hiſpani ſolent, tracturum. Hoc vulgo quidem jactant, &, quod indigneris, ſunt quidam tam vecordes & bouini cerebri, vt id credant,

Diu eſt, quod nihil ex Gallia audimus, neque quomodo ibi res Mansfeldii ſuccedant: ſi ſuſpenſis & dubiis conſiliis Galli rem agere inſtituerint, & cum Anglis in eum ſenſum, quo hi cum Mansfeldio pacti ſunt, conuenire noluerint, næ omnia ea, quæ Mansfeldius ſpe concepit, tanquam floſculi, quibus ſuccus vitalis detrahitur, concident. Sed Galli ſapientiores facile commentum aliquod inuenerint, quo crudelitatem & ſimplicitatem Anglorum paſcant, deludant & promoueant, vt quorum ſpem dederint, ea exſequantur.

Milites ſuppetias ituri Batauis nondum concenturiantur, quamuis legionum agminum & cohortium ductores, hoc eſt, tribuni, uragi, centuriones, optiones, & id genus ducum ſint conſtituti, & denominati partim per ambitum, partim ex affectu & gratia. Habent hoc Angli nunc in more, vt omnia cum ſtrepitu & pompa agere, magna nomine ciere, munia pro inclinatione & ex vtilitate diſtribuere ſoleant. Comes Briſtolius poteſtatem adeptus eſt, manendi domi ſuæ & in villa, hoc eſt in honeſta & libera cuſtodia: ad affatum Regis, licet contentiſſime flagitarit, non eſt admiſſus, quod Bukinghamio æmulo ſuo acceptum ferre debet, quem Rex, quia cum filio & ordinibus coniunctum eſſe videt & dolet, offendere non audet, occaſione promendæ ſimultatis nondum circumſpecta, nec matura. Briſtolius interea ſperat tempus allaturum mutationem, ſeque ſatis tutum eſſe arbitratur conſcientia conſiliorum. Nihil enim abſque mandato ſe feciſſe, dixiſſe, ſcripſiſſe: ſe paratum reddere rationem omnium ſuarum actionum: exhibiturum etiam ad ſingula, in quibus accuſatur, quod male egerit, Regis iuſſum & mandatum, ſe non examinaſſe & ſcrutatum eſſe curioſa & arroganti præ-

præſumtione Domini ſui præcepta, penes quem ſit conſiderare et expendere, an praua, an æqua iubeat: ſibi obſequii gloriam propoſitam fuiſſe. Quæſtionem de eo inſtitui non poſſe, nec conſultum eſſe, coniiciunt plurimi: alias arcana aulæ in vulgus emanatura et addunt, quod ſicut reſicæ, vbi ſenſere ſe apprehendi, effuſo atramento, quod illis pro ſanguine eſt, ſe abſcondant aqua infuſcata; ita callidi, cum in ipſorum prauas actiones inquiritur, ſpecioſas excuſationes afferant, & crimine, quod patrarunt, iuſſis Regum colorato, et iuſtitia immixtione potentiorum turbata, euadant impune. Atque hæc pauca pro tempore ſuffecerint. Tu, Vir ampliſſime vale quam optime, et me, quod facis, amare perge. Dabam Londini IV. Kal. Quintil. cIↃIↃcxxiv.

Epiſtola XIX.

Comitia noſtra, Vir ampliſſime, tandem ad finem ſunt perducta, et quidem cum ſumma populi ſatisfactione et adplauſu, Rege pleraque et maxime ea, quæ maioris momenti erant, et videbantur non facile concedenda, approbante, et rata habente; præterea ſancte promittente, ſe operam daturum, vt cuncta in opus deducantur eo modo, quem patres comitiales præſcripſerint. Vtinam autem compleri videamus, reapſe, et ſine dilatione illa omnia, de quibus ſpes et promisſio facta fuit! Nam ſane verendum, ne jactantius et inflatius, et proinde ſimulatius condicta et promiſſa ſint. In eum ſenſum interpretantur nonnulli illud, quod Rex vehementiore et calidiore oratione zelum et ardorem ſuum, quo ſe inflammatum dicebat erga filium & nepotes, quorum reſtitutionem ſibi vnice curæ cordique fore proteſtatus eſt, inque eum finem ſe impenſurum nummos illos, quos tam liberaliter ordines conceſſerint. Milites pro Batauis nondum quidem concenturiantur: attamen res eo deducta eſt, vt intra vnum alterumue diem de mente Regis conſtiturum, et dilectus inſtituendus

dus sit. Anguilla comprehensa et subula caput affixa elabi amplius nequit. Ac propterea ordinum legati omnem lapidem moturi sunt, et vltimum velut experimentum facturi, sicut mihi dixerunt, ut Regem eo perducant, ne vllas morarum caussas imposterum prætendere valeat, præsertim cum iam a pecunia ordinum beneuolentia contribuenda instructus sit. Dilationem autem in isto negotio a Rege commissam purpurati Laudenses et Placentini ita excusant, dum dicunt, quod oratores Hispanienses Regi instillarint et persuadere ausi sint, Hispanos hoc anno in Belgio non egressuros in campum: ea persuasione Regem imbutum credere Batauos non indigere tam celeri auxilio, satis temporis fore, si duobus aut tribus abhinç mensibus suppetias suas submittat. Comitis Mansfeldii non omnem curam abiecerunt ministri regii: quin ei iam per collybum haud contemnendam pecuniæ summam remittunt, et hoc ideo faciunt, vt Gallos in pudorem coniiciant, et ad paria facienda proliciant. Hoc modo res geruntur: ars deluditur arte. Plura in præsentiarum nec habeo, nec possum. Vale, Vir amplissime, et scito me te venerari. Dabam summa cum festinatione. Prid. Kalend. Junii. Anno cIↃIↃCXXIV. loco et stylo consueto.

Epistola XX.

Omnes tuas literas, amplissime Vir, trinas simul bene accepi, unas nonis Maii, alteras XIV. Kalend. ultimas ipsis Kalend. Junii scriptas. Jam responsum ad eas dabo, sed confusum, pressim tamen perstricturus omnia illorum capita. Quod legatorem Batauorum negotia attinet, illa pæne confecta sunt, exantlatis maximis molestiarum difficultatibus, idcirco reditum boni viri in patriam parant. Spei ab initio amplissimæ factæ, sicut fieri solet in primordiis humanarum rerum, non respondet parilis euentus. Cuncta nimirum promissa fuerunt vberiora et fecundiora, antequam illi huc venirent,

rent, quam nunc opere et facto exhibentur. Illud Ouidii

Promittas, facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis diues quilibet esse potest,

valde commune hodie est inter Reges et Principes, quando alius alium vel in bellum, vel ad aliud quid aggrediendum, perpellere & inducere satagit. Quid vero nobis emolumenti ex illa cum Batauis inita suppetiarum stipulatione? Parua aut potius nulla. Nam ne mentio quidem in tabulis facta est Palatinatus, nisi in exordio, & perfunctorie tamen, dicisue duntaxat caussa. At legatis certe culpa minime est imputanda. Statim enim et velut in limine consuluerunt & proposuerunt, Regem consultius facturum, & fundamentum solidum recuperandæ palatinatus positurum, si percusso legitimo & formali fœdere, vires suas, cum communibus communis caussæ amicis, contra communes communis libertatis hostes coniunxerit, & iustum exercitum sub ductu Serenissimi Regis Friderici in Germaniam miserit, & ipse vndique mari & terra Hispanis bellum intulerit. Verum a Rege & proceribus tantum impetrare non potuerunt. Quod si cuncta expendo, & quæ cum ordinum legatis pacta sunt, libro, haud scio, an hi caussam habeant multum gloriandi, ac si magni & præclari aliquid obtinuerint: siquidem Hispanis eadem, quæ illis in effectu concessa videntur. Nam Vaussius Scotus æque a Rege impetrauit facultatem, conscribendi in gratiam Hispanorum aliquot peditum Britannorum cohortes. Illud fortassis Bataui loco beneficii præ Hispanis habent, quod Rex Jacobus sit stipendia numeraturus alendis auxiliaribus, quas ordinibus suppetias mittit, copiis: Hispani vero ex suo, vt conscribant et alant tyrones, necesse habeant. At Bataui quoque sumtus et nummos ab Anglis prænumeratos refundere et reddere coguntur, certo præstituto tempore, sicut id pactis cautum est. Hispanis autem turpe fuisset pecuniam mutuo petere

tere vel accipere, quod ipſi auri affluant abundantia, ſi Diis placet, neque pro dignitate tanti tamque opulenti Monarchæ fuiſſet, nomina facere. Interea in aliis etiam Rex eis gratificatur, adeo, vt ſi æqua lance trutinaueris, quæ Hiſpani et Bataui ex regni amicitia et fœdere conſequuntur, neſcias vtri potiorem et maiorem inde vtilitatem recipiant. Sed dicunt Angli, paucos admodum inter ipſos reperiri, qui velint ſtipendia ſub Hiſpanis mereri. Omnem enim plebem ſummo odio ferri contra Hiſpanos, quorum etiam nomen, et cauſſam, religionemque deteſtentur, et exſecrentur, vno aut altero vilisſimo mancipio excepto, quo purganda ſit Inſula: proinde nullam remoram aut impedimentum dilectui, quem Bataui ſint habituri in Anglia acceſſurum, etiamſi Hiſpani pari cum eis in conſcribendo milite vtantur poteſtate et licentia: Omnes enim e populo et plebe, ſponte, promiſcue, et agminatim aduoluturos, vt digni habeantur, qui ſub ſignis Batauorum ſtipendia faciant. Ponamus iſta eſſe vera, ſicuti premuntur, quis prudentiorum ignorat, quantum nihilominus conſternationis et diffidentiæ in animis exterorum et amicorum Principum, qui iam opinionem de alienata Regis et Hiſpani amicitia mente conceperant, res iſta concitatura ſit. Tabulas conuentionis, vulgo vocant fœdus, cum tamen fœdus proprie dici nequeat, quia nullum auxilium, mutuum pactum, nec vllus hoſtis denominatus eſt, ſed nuda tantum ſit conuentio et permiſſio conſcribendi militem, mihi inſpicere obiter licuit legendas traditas ab amico confidentiori. Angli ne verbum quidem vllum mihi de illis locuti ſunt, quia rem iſtam, nos et noſtram cauſſam vix attingere putant. Imo animaduerti, Conwæum indignari, cum interdum ex eo percontarer, quo loco eſſet negotii illius tractatio, aut quando vrgebam eius proſecutionem, vel mei admiſſionem. Si alius, cui tam exacte ſtylus, vt ita loquar, huius curiæ non eſſet cognitus, quique non eam, quam ego habeo, fami-

familiaritatem, & liberum ad quemuis acceſſum haberet, meo foret loco, ne hilum quidem vel gry de iis, quæ hic aguntur, cognoſceret. Quapropter, quod nobiſcum deinceps arbitramini purpuratos communicaturos & diligentius & confidentius de rebus Germaniam concernentibus, contrarium experiemini, ſicut etiam rationibus plurimis docere poſſem. Inſolentia nimirum, ignorantia, odium & inuidia, priuatæ vtilitatis ſtudium, noſtri contemtus, & ſimilia, impediunt, & obſtant. Et ſane, ſi verum admittitis, vos quoque cauſſam præbuiſtis, dum ab initio vos nimium faciles, & ad omne obſequium procliues exhibuiſtis, & cunctis præceptis & poſtulatis, quæ etiam improbare ſolebatis, aſſenſum promtum accomodaſtis.

Vt aliquis ſub prætextu priuatæ rei gerendæ mittatur a Rege Jacobo ad Principes Germaniæ, partim animandos, partim informandos, partim ad ipſorum conſilia exploranda, haud indiligenter petii. Sed, quod cum mœrore & indignatione proloquar, nihil promoveo: video res & cauſſam noſtram vbique vapulare & ſtultitiam pati. Aiunt legatione, quam Auſtrutherus obiturus ſit, ſatis conſuli negotio, nec opus eſſe nouis ſumtibus. Quin vero Saxo ſe mox promoueri ſinet, vt Bauarum pro collega agnoſcat & recipiat, ego non dudito. Noui enim, quam comparatum ſit ſaxum illub: adſpectu & mole magnum & immobile apparet. Sed ſtat lubrico in loco, & quod ad voluendum aptiſſimum eſt, rotundum & teres eſt; oculis inſuper & auribus, ſicut ſaxa ſolent, caret. Non enim poteſt præuidere periculum, quod in proximo excubias agens, ipſum manet & breui circumcingat; nec credere vult iis, qui demonſtrant & prædicunt. Sibi enim ſoli aquilam parciturani retur, o ſtupor! Robertus Anſtraterus a Rege dimiſſus, iter breui ingreſſurus eſt: mittitur petitum a Principibus Germaniæ conſilium, quomodo rebus collapſis ſubveniri, pax reſtabiliri, & vnusquisque ad priſtinam

 ſuam

ſuam fortunam & jura reſtitui poſſe putent; Viciſſim Principes certiores faciet, tum de conſtanti Regis Jacobi propoſito, in procuranda, ſiue armis, ſiue per compoſitionem, reſtitutione Palatinatus, tam de propenſa erga vnumquemque, qui opitulatus fuerit, operamque contulerit, voluntate, & grati animi declaratione. In cauſſa Mansfeldii Gallus tergi verſatur, & conditiones captioſas confingit: diffidit nimirum Jacobi ingenio. Finis & ſcopus amborum iſtorum Regum diuerſi ſunt; ita, vt valde difficile ſit conciliare & coniungere. Gallus contra Hiſpanos, a quorum nimium creſcente, & indies progrediente potentia, periculum ſibi, & reliquis in Europa Principibus, & regnis imminere animaduertit, bellum quidem ſuſcepi & geri deſiderat, ſed ipſemet illi, ſeſe implicare, ſociumue hoſtemque, publice & propalam profiteri, nequaquam intendit: adhæc imperii Principes Imperatorem, & vel maxime Bauarum, offendere, & provocare, temerarii & imprudentis eſſe judicant. Anglus autem prætexere & obtendere incipit, ſibi non tam cum Hiſpano, quem imperii negotia non ita arcte ligent, quam cum Imperatore & Bavaro negotium eſſe, ideo Gallum amicitiam & fœdus ſecum paciſci & ſociatis copiis anniti debere, vt libertas Germaniæ, reſtituto Electore Palatino genero ſuo, a ſitu & ſqualore vindicetur. Se enim ſolum non poſſe rem tanti laboris & ponderis attollere, & ad priſtinum ſtatum revocare: promtum quidem & paratum eſſe, quæ ſuarum virium ſint, in commune contribuere & conferre; illis vero culpam neglecti & omiſſi operis imputandam, qui in ſocietatem & communionem venire negligant. Sunt, qui ſibi perſuadent, Mansfeldium vel ideo electum, & ad hoc bellum deſtinatum, ne res procederet, ſed impedimentum remoramque reciperet ex odio & invidia, quo bonus ille dux vbique flagellatur. Hinc eo magis Regi Jacobo acceptum fuiſſe, quod a Genero non venerat miſſus, nec commendatus, tantoque pluris æſtimatum, quanto minoris ab hoc fieret.

De

De conjunctione armorum & confœderatione cum Sueco ineunda, ſicut in medium proponitur, dum Glorioſiſſimus ille Septentrionis dominator, ſuam ſibi certis conditionibus operam, & opem ſublevandæ Reipublicæ defert & pollicetur, ſæpe cogitavi, & rem conſideratione ac favore dignam iudico, nec factu arduam & difficilem, ſi homines, cum quibus id negotium curare debemus, ſana & meliora conſilia auſcultare potius, quam præconceptis opinionibus indulgere mallent. Si hic loci quidquam movemus, inſtamus, vrgemus, lapidibus loquimur, & ſurdos tintinnabulo ad mercatum convocamus. At vero haud eſt prudentis contra torrentem bracchia jactare, & tempori reſiſtere, vel vela in ventum & refluxum diſtendere. Non hæc ideo dico, ac ſi velim aliquid eorum omittere, quæ mei officii & muneris eſſe iudicavero: ſed ne imprudentiæ imputetur, aut me non prævidiſſe ex ſilentio arguar. Interea faciam, quantum in meis viribus erit, nec deſiſtam monere rogando, obteſtando, obſecrando. Ita me conſcientia, conſiliis & officii fideliter obſervati teget. De Stuarto nihil amplius ſcribo; Jacobus Spenſius, qui, rebus ſatis feliciter expeditis, cuncta plenius exponet, & refert. Præterea ſi alia ſcriptione digna deinceps occurrent, Sueci procurator, qui hic relictus eſt, ea ad te perſcribere poterit. Hoc modo ego ſublevabor ſcribendi faſce, qui alias meis humeris totus imponitur.

Comes Briſtolius animadvertens, ſe ad priſtinam potentiam, autoritatem, & dignitatem, æmulo Bukinghamio in aula potiente rerum, & Principe a Carolo ſe alienato, redire non poſſe, jam in rus ſecedere, & vitam procul a negotio degere inſtituit. Sapiens erit, ſi hoc conſilium executus fuerit, ſapientior ad huc, ſi quieſcere, latere, & tacere noverit: verum vereor, ne paulo poſt, raptis patientiæ vinculis, ſolitudinem faſtidire, & ad fumos aulæ oculos detorquere, & reflectere incipiat, & ſe a vindictæ, impatientiæque, ac ambitionis affectu

vinci patiatur. Ingenium enim hominis impatiens quietis, & amans vani honoris mihi cognitum eſt. Mirum erit, ſi in eo proverbium, anus ad armillam, fallit. Natura etiam habent hoc Britanni cum omnibus inſulanis, vt mutabiles ſint & inconſtantes in propoſito; levis occaſio ſive perſuaſio & exhortatio amicorum, ſive captandæ auræ popularis vel plebis, ſive præceps opinio, ſive alia ſimilis cauſſa eos facile de ſententiæ ſtatione deturbat & dimovet. Et ſane iam quoque non paucos Tritones in aula hac animadvertimus, vacillare & pendere animi, alii ne pereant & ejiciantur cum iis, qui primi autores & ſuaſores fuerunt novorum conſiliorum, alii reſumto priſtino Hiſpanis dedicato obſequio, quod non diſſimulant, res in priorem ſtatum convertere ſatagunt, alii ſpe obtinendarum dignitatum & munerum parati ſunt ſe accommodare illis, penes quos eſt autoritas conſequendi & impetrandi. Inter Dacum, Gabrielem Bethlenium, & cæſarem pax in Pannonia nondum ſtabilita eſt. Nam conditiones, quas Vienna transmiſſas legi, prius a Daco, & ordinibus regni Ungariæ, in comitiis capiatis confirmari & ratas haberi debent. Non poſſum permovere Jacobum, vt ad Principem iſtum, qui Auſtriacis maximo terrori eſt, literas, amicitiæ & neceſſitudinis parandæ & conglutinandæ obſides, ſcribat. Quid ad talia Regem, a quibus eius ingenium, mores, & mens abhorrent, adducere & perſuadere conatur, cœlum & terram, ut ita dicam, Archimedeo auſu movere aggreditur. Si literæ in eum ſenſum ad Hiſpanum, ad Infantam, ad Cæſarem ſcribendæ peterentur, tam facile foret, quam vulpes pirum comeſt. Quod ordines confœderati Belgii illic omnia citius per ſuos nuncios hic commorantes reſciſcant, & intelligant, quam vos ex me, non eſt in me cudenda faba. Auſſim hoc religioſe atteſtari, & confidenter aſſerere, me æque diligenter, ſi non diligentius, ac illi, ſcribere; verum, quia meæ, ſicut deprehendo, detinentur intra manus deferentium, donec ordines

dines accipiant ſuas, neceſſe eſt, vt illi prius, quam vos, cuncta cognoſcant.

Conſilium illud, quod Sereniſſimo noſtro Principi datum eſt de pignorandis, vel ut vulgo loquimur, arreſtandis Dunckerkianis navibus, quæ in portus Anglicanas a Batavorum epibatis & claſſiariis fugatæ, ab iisdem obſidentur, locum habere in Anglia non poſſe aſſeverant. Repreſſalia enim eſſe ſpeciem juſti belli, & in iis concedendis pugnam quodammodo offerri, vnde bellum ſequatur; & licet illud juſtum eſſe dici poſſit, infinita tamen ſecum trahere incommoda, & publicis ſcandalis viam aperire, quibus ſummus Princeps anſam præbere non debeat, maxime ſi ad priuatam utilitatem petantur repreſſalia, quæ publicæ quieti poſtponi debet. Sicut Gailius Juriſconſultus iſta omnia pluribus doceat. libr, ſingular. de pignorat. obſerv. 2. n. 2. & 3. At bellum contra Hiſpanos Anglum nondum decreviſſe, nec decernendi adhuc tempus eſſe. Deinde ajunt, datam fuiſſe navibus iſtis ſecuritatem a Rege, imo ex contractu & ſtipulatu fœderis illam deberi: ideo clarigationem & repreſſalias concedi nefas eſſe. Si pignoratio, ſive arreſtum fuiſſet petitum ſecundum præſcriptum legum civilium, conſultius fuiſſe, quia tali caſu, ſi repreſſalia fuiſſent conceſſa, pax læſa, aut hoilitas commiſſa haud dici potuiſſet. Adde, quod dicant, rem iſtam liberos & familiam regis concernere, idcirco circumſpectius eſſe agendum, & jura propter officia ſecunda, quæ vulgo rationem ſtatus dici, Caſaubonus ad Polybium notat, ſuſpendenda.

Princeps Anhaltinus Viennam, impetratam reconciliationem a Cæſare, profectus eſt. In itinere Bavarum, quem hoc tempore alpha & omega eſſe ſcit, apud Ferdinandum Imperatorem allocutus eſt. Non dubitat, quin ſibi Cæſar præteritorum veniam ſit daturus, & in priſtinam gratiam recepturus. Veriſimile ſane eſt:

Dat enim veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Quæ Norimbergæ de Comitis Mansfeldii expeditione ſermocinatus ſit & judicarit, procul dubio vobis quoque perſcriptum eſt. Vereor, vt Helenus ſit, nec mihi quoque, qui tamen toto animo propendeo & faveo, multum de illa lubrico fundamento inſiſtente expeditione promittere poſſum. Sed ne ſimus miſeri ante diem. Nam craſtinus dies ſollicitus erit de rebus ſuis. Sufficit diei ſuum malum.

Habes epiſtolam, Vir ampliſſime, per ſaturam & lancem ſcriptam: ignoſce & prolixitati & ſcriptioni ἀμεθόδῳ. Vale cum ſanctiſſima & lectiſſima familia. Dabam Londini VI. Idus Junii cIɔIɔcxxiv. (a)

(a) *Differt nonnullis locis ab ea, quam Miegius & Nebelius ediderunt n. XXIII. p. 319-24.*

Epiſtola XXI.

Ex iis, quæ iterum prolixius ad Sereniſſimum noſtrum perſcribo, cognoſces pluribus, Vir ampliſſime, verum rerum & conſiliorum in hoc regno ſtatum, & quid nobis in cauſa noſtra ſperandum ſit. Quis Reipublicæ amans non indignetur, & bile commoveatur, videns ordines & proceres, penes quos eſt autoritas & arbitrium conſiliorum, malle privatis & domeſticis, eisque frivolis diſſidiis & litibus operam impendere, quam vel minimam publicorum & maioris momenti negotiorum curam habere? Quis ſe cohibeat intra patientiæ cancellos, & infermento non ſit, cum eos & ſibi, & Reipublicæ, & nobis ita deeſſe, et conſilia illa, quæ vltro, et cum tanto fervore atque impetu, nobis etiam inconſultis, & fortaſſe aliud, ſi conſulti fuiſſemus, ſuaſuris, inierunt et concluſerunt, tam ſegniter et vecorditer exequi? Aiunt nimirum, nimis tardum eſſe, hoc anno arma capere; expectandum eſſe, donec Gallorum, aliorumque vicinorum in ſe voluntates explorent et perveſtigent. Operæ enim pretium eſſe prius cognoſcere, quid hi ipſis bello implicatis facturi ſint, quam incogi-

tan-

tantes bellum movere. At hæc, ſi prudentiæ rite litare voluiſſent, debebant ab initio, antequam abrumperent colloquia pacis cum Hiſpano, præcogitaſſe et in conſideratione habuiſſe. Jam, poſtquam Hiſpanum irritarunt, et bellum denunciarunt, quid aliud agunt, quam prodere tum præcipitantiam et inconſtantiam conſultorum, tum timiditatem animi, et quod non ſatis fortitudinis habeant; ſed ſibi ipſis diffidant et de rei ſumma deſperent. Humores in corpore humano non moviſſe præſtat, quam motos non removere. Melius et conſultius nunquam cepiſſe, quam in curſu deficere, et herbam ante conflictam dare. Quid iuvat ringere, et hoſti ſtrictos oſtendere dentes, cum mordere non ſit facultas nec animus? Improvidi et temerarii eſt, offendere et provocare adverſarium, cum ipſe in pugna comparere non audes, ſed tergiuerſaris, te abdis et refugis congredi. Aut bella non ſunt denuncianda, aut denunciata ſtatim et ſine cunctatione, ne hoſtis ex mora animos recipiat, et tempus conſequatur te præveniendi et occupandi, exſequenda. Plurimum intereſt, an hoſtem imparatum et trepidantem, an paratum et viribus collectis fidentem, adoriaris. Plus animi eſt inferenti, quam propulſanti bellum. Hanc ſuorum fluctuationem, et mobilitatem opinionum, ſagaciſſimus Rex non modo prævidit, ſed et inſtillavit et fovit. Hæc ſi conſidero, mihi in buccam venit illud, quod de Valente ſcribitur: eum nempe inutili contatione agendi tempora conſultando perdidiſſe, modo vtrumque conſilium adſpernatum, quod inter ancipitia deterrimum ſit, nec auſum ſatis, nec ſatis providiſſe. Verum ne nos excruciemus cogitatione iſtarum viciſſitudinum: relinquamus omnia divinæ providentiæ regenda et dirigenda.

Patrem Seraphicum adhuc apud vos commorari et novas propoſitiones compoſitionis et reconciliationis in medium afferre: ducem etiam Wirtenbergiæ eundem ad ſcopum ad Sereniſſimum noſtrum ſcripſiſſe additis

certis conditionibus in aula cæſarea præſcriptis, aliunde quidem, quam per veſtras literas, ſed perfunctorie intellexi, ita, vt quid proprie de eo credere debeam, ignorem. Spero autem, me propediem de omnibus per vos informatum iri pleniſſime. Interea velim ſciatis, qualia judicia noſtri, qui de compoſitione iſtius negotio aliquid rumore inaudiverunt, ferunt. Indignantur, et in ſequiorem partem accipiunt, quod Sereniſſimus Fridericus ſuſtineat auſcultare commentitias et fraudulentas monachi veteratoris, ita loquuntur, propoſitiones: quod homuncionem emiſſarium ad ſe admittere, cum eo non ſemel confabulari et ſermones cædere, quod eum tam diu ferre et ſecum commorari dignetur. *Si* credat, Bavarum ſincere agere, ſuamque amicitiam expetere, ac res inter ſe et ipſum revera compoſitas deſiderare, nunc denuo deluſum iri, qui toties deceptricibus pactionibus fuerit deluſus. Improbe facere, qui Neptunum accuſet, alterum naufragium faciens. Mirum autem eſſe, quod Fridericus ex ipſo tempore, quo Angli omnibus eiusmodi captioſis et ad circumducendum tempus excogitatis colloquiis nuncium miſerint, ſe illis ipſe involvi patiatur, cum tamen identidem conqueſtus ſit, quod Rex ſocer iis ſe circumveniri ſiverit. Hæc eſt talia auribus meis imbibere cogor; adde, quod Conwæus noſter mihi dixerit, Principem ipſum & ducem Bukinghamiæ nonnihil conturbari, & aliquam ſuſpicionis vmbellam inde concipere, ac ſi Sereniſſimus noſter diffidat Anglis, & parum fundamenti in ipſorum conſultis & concluſis ponat. Ego reſpondi: me quidem nihil certi affirmare poſſe de vllis pactionibus, quibus Fridericus inſcio et nolente Rege Socero ſe involui paſſus ſit: hoc tamen ſcire cum omnium optime noſſe, quid ſuis rebus conducat, quidque rerum Germanicarum ſtatus a ſe requirat. Si quid agat, id eum non incogitanter & inconſulte agere, nec eo fine, vt Anglorum fortiora conſilia impediat, & diuertat, ſed

po-

potius promoueat & excitet: rationem, si opus fuerit, redditurum actionum & consiliorum suorum: Angli modo progrediantur alacriter, nec se a proposito martiali dimoueri per incertos rumores sinant. Vides hinc, Amplissime Vir, nimis verum esse effatum illud, Anglorum plurimos velle, vt toti a suis nutibus & mente dependeamus, & nostras actiones & consilia, censuræ, & arbitrio, & directioni ipsorum submittamus. Hæc tamen, si viri estis, non impedient, quin vobis ipsimet optime sitis consulturi, & eam semper viam, quæ rebus vestris optima visa fuerit, electuri, non attentis, sed modeste refutatis oblocutionibus & argumentis contrariis. Consilia vestra non laudabuntur, nisi peracta. Interuentio Ducis Wirtenbergici meo iudicio non est vilipendenda nec rejicienda.

Sæpius a me flagitatum fuit, & quidem a viris haud exiguæ autoritatis, vt Serenissimo nostro consilium, quod ipsi non inuita Minerua reperisse se arbitrantur, proponerem: nempe eum consulto facturum, si a Rege socero petat, vt sibi potestatem & facultatem faciat, concedendi Anglis sub nomine et autoritate sua jus clarigationis & pignorationis contra Hispanos. Regem hoc non denegaturum. Inter Anglos quamplurimos paratos esse suis sumtibus & nauibus iustructis rem istam exsequi: prædas acturos, modo Rex et Regina Bohemiæ, in quorum commodum illud intendant, mandata eis, & literas repressaliarum, vt vulgo vocant, transmittant, & Rex magnæ Britanniæ assenserit aut permiserit. Quanquam ego æstimem, rem esse incertam, & minime a Rege Jacobo permittendam; nihilominus tamen, quia toties et tam enixe requisitus fui, eam ad Serenissimum nostrum retuli: vos jam potestis de ea deliberare, et consilium commodum capere. Ego, vt iterum dicam, quod sentio, castella hispanica in aëre ædificata ista omnia esse statuo.

Comes Mansfeldius propediem huc veniet, & qui-

dem incognitus, uno aut altero tantum familiari comite munitus. Bonaventura Desguierius hoc ei consilium instillauit, consuadente Cardinale Richelio, & cæteris sanctioris consilii purpuratis, qui sub honesto hoc prætextu eum amoliri satagebant, ne ad Regem veniret, sicut in animo habebat, et tum non longe aberat Lutetia Parisiorum. Desguierius igitur in hanc sententiam scripsit: Regem propter plurimas grauissimas considerationes desiderare, vt differat paululum suum ad se accessum: consultius vero facturum, si interea in Angliam excurrat, ibi præsentiam ejus hoc rerum statu utiliorem fore, cum ut consilio & suasu Anglos in nouis consultis confirmet, animet, & ad progrediendum cohortetur, tum ut de belli gerendi ratione edoceat, et permoveat, vt suo imperio et ducatui exercitum submittant, constituta ad alimoniam certa pecuniæ summa. Si hoc effecerit, eum tanto citius et felicius rem suam cum Gallo quoque confecturum. Offert enim vtrique Regi, Anglo, et Gallo, Mansfeldius operam suam, & se suscepturum expeditionem in Germaniam pro vindicanda contra Austriacos libertate Principum, si sibi ad conscribendum & sustentandum exercitum necessarii & modici sumtus subministrentur. Vale, Vir amplissime. Dabam Londini Idib. April. cIↃ IↃ c XXIV.

Epistola XXII.

Ad diversas tuas, unas XI. alteras, et quidem binas XIV. Kalend. ultimas IV. Non. Maj. exaratas responsum debeo, Vir amplissime: nunc dabo, sed diffusum et inconditum pro more meo: vestigia tamen tuarum premam et sequar. Ante omnia autem tecum calamitosissimum luctuosissima Patriæ et totius Europæ, religionis orthodoxæ & libertatis ad ultimas angustiæ & periculi lineas redactæ statum deploro, et exspem nostræ caussæ et fortunæ conditionem lamentor. Quod semper opinatus sum et iudicaui, illud vel nunc maxime

me ſentio, nimirum de nobis noſtrique reſtitutione plane actum fore, ſi Imperator et Liguiſtæ oportunitatem celebrandorum comitiorum, quam omnibus modis conquirunt, et ſe conſecuturos ſperant Electore Saxoniæ, ut Bavarum pro collega agnoſcat, permoto et ad partium ſtudia pertracto, nacti ſententiam & decretum ab Ordinibus fieri et pacis leges nemini non obſervandas præſcribi faciant. Definitiva autem ſententia in cauſſa Palatinata lata, & communibus Ordinum ſuffragiis, vel coactis vel volentibus approbata, non erit amplius locus, querendæ et procurandæ integræ noſtri priſtini ſtatus reſtitutionis, ſive per arma, ſive per compoſitionem obtinendæ. Nam ſtabunt ſcripta

- - molimine vaſto

Ex ære et ſolido rerum tabularia ferro.

Conſenſum vero ſuum nec Saxo, nec alii, qui ab eo dependent, diutius different; deſiderio aureæ pacis transverſum abrepti et excæcati. Et vel ideo tanto facilius ſibi imponi & verba dari ſinent, ignari graviorem ſub pace propoſita et perſuaſa martem abſcondi et celari. Vereor itaque, ne ſpecioſam & ſimulatam ad breve tempus duraturam pactionem pacis, etiam ignominioſæ et ſervilis, dubiis rebus & timori continuo præferre malint: ac propterea ad ea ſe adduci & flecti patiantur, quæ et ipſis et univerſæ reipublicæ internecinum bellum et extremam ruinam allatura ſunt. Saxoniæ ducis ingenium, impetus, et conſilia cognita ſunt. Princeps eſt, qui adfectibus ſuis indulget, et frena laxat: adhæc implacabili odio et pertinaci ſimultate contra Sereniſſimum Fridericum, quem certe ad priorem fortunam et potentiam reſtitutum minime cupiet, quin reſtituendum impediet et remorabitur, flagrat et ſtimulatur. Ni hoc eſſet, qui tam cæcus eſſe poſſet, vt non prævideat Bavaro in collegium ſeptemvirale recepto, & adverſam ſuffragiorum lancem inclinante, res imperii prorſus vorſus vertendas, & cuncta perpetuis diſſidiis, motibus, incendiis;

diis, querelis, & bellis commiſcenda et perturbanda. Hæc apud Regem et proceres continenter & ad nauſeam usque inculco, demonſtro, & vt tanto malo mature vel obvietur, vel ſufflamen injiciatur, moneo, obſecro & obteſtor quanta poſſum animi contentione: ſed ſurdis fabulam, et Ponto ſemina. Nam in pectus iſta homines non demittunt, nec conveniente tantæ rei ſcrutinio examinant et perpendent: ſed audita transmittunt et ſemper habent, ſuis duntaxat conſiliis et privatis commodis, ſecundum quæ publica negotia metiuntur, inhærentes. Quod Juventinus et Maximilianus ſatellites videntes perniciosa Juliani Imperatoris acta et conſilia, leguntur apud Theodoritum lib. IV. cap. VI. quem autorem nunc horis ſubceſivis evolvo, dixiſſe, idem mihi liceat apud te dicere. Hæc, inquiunt, etiam domi deflevimus, et nunc te præſente graviter conquerimur.

Comitia autem calata omnium Ordinum, quæ generalia et communia vocamus, inſtitui et celebrari non poſſunt, quamdiu motus et bella in Imperio vigent, resque ſurſum ac deorſum volvuntur, et vel Imperator potenti exercitu inſtructus imminet, cervicibus, vel arma pro Friderico et pro tuenda libertate et religione circumferuntur et continuantur. Nam nec Ordines convenire, nec libera ſuffragia mittere audebunt, Cæſare armato: nec Fridericum condemnari ſuſtinebunt, etiamſi conveniant, ſi ei ſpem aliquam in armis vel ſuis vel amicorum ſupereſſe, et rem fortunamque dubiam eſſe viderint. Quamdiu enim tali in alveolo vel fritillo ſtant, et neutra pars ludentium luſui renunciavit, nemo poteſt de exitu aleæ pronunciare et judicare. Sæpe vltima manus reſtauravit omnem præcedentem jacturam: ſæpe vincentem victus vicit. Electorum et paucorum Ordinum conventum celebrare quidem Cæſar et Liguiſtæ poſſunt, nec omittent, ſi commodum fuerit; ſed hi judices domeſtici, et in propria cauſſa ſecundum ſe pronuntiantes, don poſſunt decretum et ſententiam

iam legitimam et validam, quam omnes comprobare & ratum habere cogantur, condere: ad hæc Friderico ſemper remedium proteſtationis, et exceptionis nullitatis et injuſtitiæ ſupereſt contra eiusmodi manifeſte iniquam et præcipitem ſententiam et condemnationem: quod haud ſcio, an æque locum habiturum ſit contra vniverſos totius imperii Ordines, quos recuſare et judices pati nolle, aut accuſare iniuſtitiæ et partialitatis, incivile, durum, et inauditum foret. Quod Mansfeldium attinet, jamdudum per meas intellexiſtis, quid cum eo factum et transactum ſit: ne quid igitur amplius, aliquidque novi petatis aut exſpectetis, a Rege circa reſtitutionem Palatinatus. Contenti ſitis hoc Catone. Si ea progreſſum habuerint, ſicut habitura ſpero, ſaltem aliquem metum noſtris hoſtibus incutient, eorumque exitioſa conſilia et molitiones, ne tam cito et expeditim eos exſequi valeant, divertent et remorabuntur. Mansfeldius certe in ſua diligentia et induſtria nihil deſiderari patietur, modo Angli feſtinent, et nummos conſtitutos repræſentent: is utetur cognita ſolertia et requiſita libertate. Quamplurimos autem inter Ordines hujus regni, e quorum numero ſunt maxime ii, quæ noſtræ cauſæ inprimis favent, animadverto et deprehendo, quod animis veteri timore et diffidentia imbutis, continuo timeant, vt omnia illa cum Mansfeldio inita pacta in fumum abeant, et mens nunquam fuerit adimplendi promiſſa et condicta. Regem enim ita rem omnem adornaſſe ajunt, vt effugia quamplurima ſibi reſervarit, per quæ integrum ei ſemper ſit pœnitere, et a pactis recedere; ideoque eam conditionem addidiſſe, vt tum demum cum Gallus quoque aſſenſerit, et ſuam ſymbolam conferre paratus fuerit, plane obligatus habeatur, et conventa ex ſua parte implere teneatur. Si nunc Gallus differat, tergiverſetur, moras nectat, vel ſcrupulum difficultatemque moveat, vel graves impertinentesque conditiones admiſceat; ſic alii

Prin-

Principes sese opponant, vel dissuadeant, et dehortentur: si comitia regni re infecta dissolvantur, aut in aliud tempus prorogentur: si alia ejusmodi impedimenta et remeligines interjiciantur, Regem eas, tanquam exoptatas caussas, et prætextus recedendi cum honore a stipulatione ambabus amplexurum manibus, et sibi gratulaturum, quod tam votiva occasio, qua se tueri et e labyrintho extricare possit, oblata fuerit: tunc plausibili cum obtentu dicturum, se solum tantam molem sustinere non posse, nec consultum, ut quiescentibus, et inutilis sociis et amicis, bello se implicet, vel ad sublevandas alienas necessitates proprium regnum destituat, et adminiculis orbet, alia similia quoque prætexturum. Si mens ejus et intentio ab initio fuisset sincera, et destinata ad consummanda pacta, eum communicaturum fuisse consilia cum Ordinum Batavorum legatis, apud se commorantibus et operam offerentibus: nec omissurum fuisse cum generum suum, quem ea res unice et proprie concernat in societatem consiliorum vocare, tum Galli mentem et animum mature explorare. Sed nihil adhuc cum illis aliisve, sine quorum tamen ope, adnisu, auxilio, et favore, expeditio ista feliciter succedere nequeat, actum gestumque: nihil etiam Ordinibus regni, qui tamen nervum rerum gerendarum, hoc est, nummos contribuere tenentur, significatum et propositum: adhæc ne semel quidem consiliarios bellicos ad eum finem constitutos ad deliberationem adhibitos. Si animus et propositum esset serio aggrediundi et conficiendi opus incœptum, saltem etiamnum cum Ordinibus Batavis, qui meliores amici et potentiores vicini sint, quibusque omnium tutissime confidi et credi possit, consilia sociaturum et accuraturum, vt adstipularentur et circumadniterentur, quandoquidem sine ipsorum opitulatu et connisu res progressum habere vix queat. Bene enim nosse fundamentum rei feliciter gerendæ apud Batavos esse jaciendum; præsertim si hanc suam cum

Mans-

Mansfeldio, ut ita dicam, captam ſtructuram habere velit confectam. Præterea nullum Principum ſibi fidem habiturum, vel in ſocietatem ſecum ingreſſurum, antequam reapſe cum Batavis terra marique junctum et conſociatum videant. Omnes enim legationes, cuncta promiſſa magnifica, ſpes amplas, declarationes ſpecioſas et largas, et ſimiles oſtentationi paratas actiones cenſeri et haberi non ſecus, ac vitrea fracta et ſomniorum interpretamenta: quæ ſicut riſu, ludibrio, et damno plena ſint, ita quoque ſucceſſu caritura. Hæc judicia homines diffidentes, et qui Regis ſui ingenium et naturam penitiſſime perſpectam ſe habere putant, faciunt: ea, ne ignarus eſſes, Vir ampliſſime, operæ pretium duxi referre, quemadmodum auribus meis in familiaribus congreſſibus quotidie audio. Quid vero inde inferemus et nobis promittemus, quod Angli cauſſam reſtitutionis noſtræ a negotiatione, quam cum Ordinibus inſtituunt, ſejunctam et excluſam velint? Nam hoc expreſſe factum eſt, quod ſane miraberis et indignaberis. Nam cum legati innuerent, ſibi Regis et Reginæ Bohemiæ cauſſam non minus, quam eam, quæ ipſorum Rempublicam concernat, commendatum fuiſſe, ac propterea rogare, vt illius par ratio habeatur, et ea via eligatur, per quam illorum reſtitutio accelerari et promoveri queat; eum in finem, ſi Regi complacitum fuerit, Patres cum Anglis fœdus arctiſſimum πρός συμμαχιάν ϗ ἐπιμαχιάν inituros et vires conſociaturos, eosdem hoſtes, eosdem amicos habituros. Reſponſum fuit: negotium Palatinatus Principi Carolo, qui curam illius condignam habiturus ſit, relinquant: hunc nihil neglecturum eorum, quæ ad commodum et utilitatem affinis et ſororis fecerint. Regem fœdus cum Ordinibus ſeparatim paciſciturum, quod ad certa auxilia Batavis ferenda reſtringi, non autem ad alicujus offenſionem extendi cupiat. Ex plurimis enim et ſonticis cauſſis nondum exiſtimare conſultum, vt ſe vlterius illigari,

aut ad fœdus offensivum et defensivum, sicut vulgo loquimur, cum Batavis feriendum adduci patiatur. Quantum hoc damnum rebus nostris allaturum sit, quis non animadvertit? An eas separari permittemus ab iis, quæ indivulse et inseparabili nexu cohærent, & eædem sunt? an consortio fortunæ, quo colligamur cum fidissimis et constantissimis illis nostris Achatibus, nos privari sustinebimus? In eadem navi et freto vehimur, eosdem Deos, eosdem ventos, eosdem hostes habemus, ad eundem portum contendimus, divina denique & humana communia tenemus. Quo magis res nostræ ipsorum rebus et caussa colligantur et connectuntur, eo nobiscum agitur felicius. Absque illorum adjumento, ope, societate, armorumque opitulatione & conjunctione restitui ad pristinam nostram dignitatem et dignes, nunquam possumus; si res et spes nostras ad Ordinum fortunis seiungi nunc patimur; vereor, vt tandem ab eorum quoque amicitia nos avelli compellamur. At non consultum, vt vos de hac re mature cogitetis. Videbitis igitur, quid conducat et expediat fieri: ego munere me meo defunctum reor, si præmoneam & vos informem. Non committam certe, vt a me aliquid neglectum dici queat, quod ad plenam vestri informationem, & ad veram rerum in his oris cismarinis cognitionem fecerit.

Si denique suspicionem simulatæ & in speciem actæ conventionis evitare, & ex animis hominum sublatam & delatam cuperet, non foturum secreto studio privatas inter Proceres contentiones, & lites, nec eas Ordinibus examinandas commissurum: non protracturum eiusmodi processus de industria, & cum ingeniosa mora; sed breui manu, cum id nullo labore possit, compositurum, & litigantibus silentium impositurum et præcepturum, vt rebus severioribus et publicis vacarent, omissis istis cavillationibus et jurgiis. Præterea non ita neglecturum occasiones et adminicula, quorum beneficio

ficio et opera aſſequi et conficere poſſit id, quod a ſe expectari jubeat: non anſam diffidentiæ populo ſuo præbiturum, nec ſuſpicionem contra ſe aliturum, admiſſis in conclave, & ad intimum affatum oratoribus Hiſpanis: non tam diu & data opera legationes, qu as ad Danum, ad Principes imperii, ad Venetos, ad Sabaudum, & alios jam pride deſtinaverit comperendinaturum: non dilaturum exſequi ea, quæ in declaratione ſua ordinibus regni facta ſtipulatus ſit, & confienda promiſerit: adhuc a ſe amoturum Hiſpanicos ſuſurrones & contrariorum conſiliorum ſuggeſtores: facturum inſuper certiores amicos Principes ſui conſilii & propoſiti, eosque requiſiturum de fœdere & conjunctione virium ſecum ſocianda. Apologiam quoque illam, ad quam contexendam quosdam conſiliarios ſuos ſelegerit, publicaturum, vt orbi terrarum palam conſtaret, quomodo, & quas ob cauſſas, inſidioſis & ad deludendum ab Hiſpano propoſitis, & callide in longum productis colloquiis, nuncium mittere, & armorum viam arripere coactus ſit. Apparatus denique militares inſtructurum, & cetera omnia, quæ tantæ expectationi & ſpei a ſe oſtenſæ fecerint, exſecuturum, præſertim cum populus id tantopere vrgeat, & omnes ſuas fortunas ſe contributurum offerat, Addunt tandem vtramque illam declarationem, quam ad poſtulata ordinum fecerit, primam, in quæ colloquia cum Hiſpano abruperit, altera, quæ edicta in Jeſuitas & Pontificios recuſantes executioni demandanda jubet, ad ſpeciem & pompam potius, demulcendæ & ineſcandæ plebi, quam vt vires obtinere & obſervari deberent, factam fuiſſe. Quod Tacitus quodam in loco de Tiberii quadam oratione dixerit, in ea plus dignitatis, quam fidei fuiſſe, idem de iſtis ambabus declarationibus dici poſſe. Nam verba illa calidiora & vehementiora ardentem & tenacem propoſiti mentem præ ſe ferentia & extollentia ſuſpicionem ſimulati animi augere: quæ fiant jactantius, fieri quoque ſimulatius. Veritates orationem

ſimplicem eſſe, & nullas ambages, amplificationes & ſchemata ferre. Vaſcula magis tinnire, quo minus liquoris habeant. Præter conſuetudinem etiam faciliorem ſe ſe erga Proceres & populum exhibere, quibus aliquid denegare in civile putet: nihil omittere, quo ſibi magis ac magis plebis animos devinciat. Mutationem hanc & ſubitam & magnam & contra naturam & inveteratam adſuetudinem aſſumtam eſſe. Adſcititia ferme eſſe ſimulata. Inter alia & iſtud conſiderandum, quod altero ſtatim die, poſtquam declaratio de exſequendis contra Pontificios edictis facta eſſet, & Hiſpani oratores ab affatu Regis digreſſi fuiſſent, emiſſarius eorum Pater Magiſter Pontificius, quas propter iſtam declarationem triſti & abiecto animo eſſe animadverterat, in ſpem erexerit, & ponere metum timorẽmque juſſerit. Non enim exequenda fore, quæ Rex verbis fuerit comminatus, fulgura & tonitrua eſſe ſine fulmine & telo triſulco, terrere, non ferire: eſſe in ſpeciem promulgata, ad factioſos Puritanorum turbonum ſpiritus deliniendos & continendos: tempus allaturum remedia: in moderatione Regis fiduciam collocarent, & ſilentio ſpem foverent.

Quod porro ſcire cupis, Vir ampliſſime, an & quomodo contentio illa inter Principem Carolum, Ducem Bukinghamiæ, & inter Oratores Hiſpanienſes, de qua in ſuperioribus meis nonnihil ſcripſeram, compoſita & determinata ſit? velim noſcas Regem Jacobum diligenti adhibita inquiſitione cuncta, rimatum eſſe, ita, vt ipſemet ſub ſacroſancti jurisjurandi religione, præcipuos adminiſtros & intimos ſuos Conſiliarios examinarit, perſcrutatus, an aliquis illorum e numero eſſet, qui intellexiſſent aliquid, quod Bukinghamius eiusmodi ſceleſta conſilia de Rege, ſceptro & regni habenis exuendo, & privatis laribus includendo, collocato in ſolium cum aſſenſu & adjutu ordinum regni Carolo filio, animo volveret, volviſſetque? Sed nihil deprehendit, nec vlla in-

indicia ſuſpicionis percipere potuit. Bukinghamius ira & odio in Relatores tumens, & accenſus, ſubinde Regem interpellavit & obſecratus eſt, vt in iſtos falſarios & calumniatores, tanquam in perturbatores tranquillitatis publicæ, qui violato jure gentium, & munere legatorum abuſi, inter patrem & filium inimicitias ſerere, regem & populum invicem committere, regiam & regnum turbis, incendiis, cædibus implere conati fuiſſent, digna cenſura & pœna animadverteret. Legum etiam & jurisperitos, inter quos nec ego præteriebar, qua ratione contra legatos tales officii ſui immemores poſſit agi jure civili, anne rei Majeſtatis læſæ poſtulari, & a Rege in exemplum aliorum caſtigari pro merito poſſent, quoniam non ut legatos & pacis procuratores deceat, ſe ſe geſſerint, ſed turbones & ſeditionum conflatores exſtiterint. Reſponſum a prudentioribus, & qui adulari nolebant, legatos crimen læſæ Maieſtatis non committere in exterum Principem, alienamque rempublicam, nec ſubjectos eſſe juriſdictioni illius, ad quem mittantur, conveniri, accuſari, & judicari alibi non poſſe, quam apud ſuos Reges. Finibus & regno, ut intra præſtitutos dies decedant, aut domi ſuæ ſe cohibeant, donec revocentur, injungi & præcipi fas eſſe; interea ab eorum domino petendum, vt in eos pœnam ſumat & ſtatuat, ſi hoc omiſerit, bello juſtitiam denegatam vindicare licere. Verum de delatione illa varia ſunt iudicia: alii, qui caſidiores ſunt, diabolicam & veteratoriam criminationem & obtrectationem falſiſſimis & ſacrilegis calumniis refertam vocant: alii, qui moderatiores videri, & cuncta in benigniorem partem interpretari malunt, fidam ſub fide ſilentii, animo non calumniandi, ſed præmonendi factam delationem: alii, qui ſapientiores habentur, & Hiſpanorum dolos ſe noſſe putant, callidum & ad certum ſcopum excogitatum Politicum, quamuis craſſius, mendacium dicunt. Nam oratores hoc ſategiſſe; primo vt domeſticis diſſidiis & diſcordiis re-

regem & regnum involuerent, ne ad res Germanicas, aut ad restitutionem Palatinatus advertere possent, tempusve haberent, occupati intestinis malis curandis & medendis. Interea Austriacis & Regi Hispaniarum eo magis integrum foret, sine rumore in proposito progredi, & res suas in securum statum collocare. Turbato stagno anguillarum capturam, ex dogmate Aristophanico & faciliorem & certiorem esse. Deinde vt Bukinghamium & Principem deterrerent, & diverterent, ne regem ad bellum cum tanta importunitate & contentione incendere & exstimulare pergerent. Suspicionis enim ansam contra se aucturos, nisi intermitterent, & regem quiescere finerent. Denique vt civiles discordias inter hostes suos sererent, Regnum simultatibus intestinis affligerent perderentque, vt inde vtilitatem ipsi consequerentur. Bukinghamium simul & eos, qui odio in Austriacos flagrarent, everterent. An autem propter has causas oratoribus ignoscenda sit calumnia ista, an silentio involvenda & transmittenda, sicut Rex facere videtur, dum eos a se non repellit, nec apud Hispanum accusat, & ad pœnam deposcit, hoc non est meum disputare.

De Bukinghamio porro, de ejus ingenio, moribus, cultu, vita, consiliis & actionibus varia & diversa a me, Vir amplissime, sciscitaris, vt iis cognitis certius & exploratius judicium & de rerum in Anglia statu, & de hominis mente ac fato facere possis. Si laudabili tuæ curiositati satisfacere vellem, non epistola, sed integer liber esset componendus. Vt vno verbo multa dicam, & nihil veritati detraham, scito, illum esse ingenio & moribus, quibus sunt omnes gratiosi præpotentes. Legantur, quæ Tacitus de Seiano, quæ Polybius de Apelle, quæ Herodianus de Plautiano, quæ Hispani de Alvare Luna, quæ Angli de Tristane, quæ alii de aliis Administris, penes quos solos rei summa fuit, scripserunt: ex iis Bukinghamius descriptus & suis coloribus depictus

appa-

apparebit. Vereor autem, vt eius fortuna & potentia caſui ſit propinqua. Fit enim plerumque, vt ſenſus hominum hebetentur & obtundantur, quando fata manum iis injicere parant, adeo, vt verum ſit, quod vulgo dicitur, Deum conſilia corrumpere & mentem obnubilare eorum, quorum fortunam mutare conſtituerit. Idem in Bukinghamio manifeſte deprehendo, quod certe ſignum eſt imminentis & in proximo ſtantis ruinæ. Accedit ad id, quod ex pluribus indiciis conſtet, regem nauſeare longam illam amoris adſuetudinem. Prout ille mentem ſuam demutauit, & aliam, quæ Patroni menti contraria eſt, induit; ita dubitandum minime eſt, quin Rex quoque ſuum in eum adfectum mutarit, quanquam adhuc callide diſſimulet. Cum nuper Bukinghamius apud ordines regni commorari, & deliberationi in comitiis vacare in animum induxiſſet, Rex ad ſe vocatum tenerrime amplexus eſt, & multis in eum editis veteris, & velut ex intervallo renovati amoris ſignis, quæ intermiſerat ab aliquo tempore, apud ſe commanere, & ſibi ſolatio & adjumento eſſe juſſit. Scorpio cum ferire vult paululum, obliqua cauda præludit. Cur vero hominem ſecum habere cupit? an ut impediat, ne res ſuas cum ordinum & populi adſtipulatione conſtabiliat, ſibique illorum favorem nimium devinciat. Adde nunc, quod Rex inimicos & æmulos ipſius, quique neutrarum partium ſunt, crebrius ad ſe venire permittat, diligentius & familiarius cum eis converſetur, quam facere ſolebat, cum ſe Bukinghamio ſoli addixiſſet, & nihil, quod ei diſplicere poſſet, committere voluiſſet. Inprimis vero ſibi a Comite Briſtolio jam ex Hiſpania reverſo, qui manifeſtas cum eo exercet inimicitas, reumque magnorum criminum poſtulare conſtituit, caveat. Fundamentum, quod in autoritate & favore Caroli Principis poſuit, non eſt meo judicio ſolidum & ſtabile, quamdiu Rex Pater vivit. Cum enim Princeps filius ſit, & ſubditus quoque, ac proinde per omnia Patri & Regi

obediens esse cogatur, non satis potentiæ & animi habebit ad protegendum, quem Rex perditum voluerit. Adde quod cuncta consilia, quæ ei instillantur, originem a Patre sumant, qui confidentiores Ministros & familiares, quibus se Princeps totum concredit, sibi clam obnoxios habet, & per eos filium regit & flectit, prout lubet. Hæc si considero, persuasissimum habeo, Jacobum Regem, si unum alterumue annum supervixerit, tempus & occasionem circumspecturum, quomodo sine strepitu & invidia, pulcro cum prætextu & applausu, etiam populi, hominem impotentem a se removeat, & mercedem, quam plerumque Gratiosi Principum consequi & promereri solent, persolvat, sicut prioribus eius Ganymedibus contigit. Iterum me mones, Vir amplissime, omnem operam adhibeam, vt Principis Daciæ ratio apud nos habeatur, eique subsidio pecuniario subveniatur. eum enim per legatos & nuncios petere & contendere, vt sibi a sociis & iis, quorum intersit, auxilia præstentur, tum se in expeditione & bello contra Cæsarem restaurato alacriter perrecturum; sin secus, vitio sibi non datum iri, si in conditiones pacis oblatas consentiat, & rebus suis separatim prospiciat. Solum enim tantum belli molem sustinere non posse: nec fas esse, ut ipse suis telis Danaos ulciscatur ob nostras lacrimas, suisue laboribus & ærumnis aliorum quietem subfulciat illorum destitutus auxiliis. Ego hactenus, quantum potui et valui, feci, sicut ex meis literis potuisti intelligere: sed crede mihi, mi Camerari, laterem lavamus, & contra torrentem brachia jactamus. Nulla iam spes est aliquid ab Anglo impetrandi pro isto Principe. Is enim plus satis se fecisse arbitratur, quod conventionem cum Mansfeldio de adornanda pro recuperando Palatinatu expeditione inierit. Ad aliud genus auxilii & officii, vel subsidii pecuniarii, se non sinet persuaderi & adstringi. Quod vero ab ordinibus regni aliquid putas exterebrandum, vanum est: illi ultro vel a nobis re-

qui

quiſiti nihil dabunt. Rex autem eos non requiret; nec ipſi ſe a nobis requiri patientur. Adhæc video, ipſorum hominum animos & adfectus magis elangueſcere & intepeſcere. De alia re non cogitant, nec deliberant, quam de propria, intenti in privatarum litium & querimoniarum diſquiſitione. Cum enim exitium ſummi Præfecti ærario, Comitis de Middelſex, aliorum etiam fortunas involvat, & aliquam in aula regia & circa officia Palatina mutationem allaturum videatur, omnes conticeſcunt, attentique ora tenent, ſuſpenſis animis præſtolantes, quo res iſta evaſura ſit: nos nihilominus ea agamus, quæ agere noſtrum eſt, quæque poſſumus. Certiorem ſaltim faciamus Daciæ Principem de Mansfeldii propoſito, & quomodo cum illo transactum ſit: quod Anglus ad bellum ſumtus ſubminiſtret, & res jam fere in procinctu & motu ſit, exercitum jam conſcribi, apparatus fieri, Gallum etiam & alios circumadniti. Igitur nos rogare, ne arma ponat, ſed ſuæ ipſius ſecuritati & honori conſulat, brevi, vbi Mansfeldius in meditullium Germaniæ cum copiis progreſſus ſit, ſublevandus. Spes etiam aliqua de pecunia annummeranda fieri poteſt: interea nos operam dabimus, ut id præſtetur opere.

Cum Jacobo Spenſio, quem ego cottidie experior virum, ad optima conſilia capienda, & ad judicandum tum de domeſticis, tum de alienis rebus ſolertiſſimum, de iis, quæ ad Regis Sueciæ dignitatem & emolumentum ſpectent, creberrime & confidenter admodum confero. Ego gratulor mihi occaſionem dari, qua incomparabili illi & invicto Heroi, quem olim, tanquam novum ab arcto ſidus exorturum, & Leonem illum a ſeptentrione futurum, qui Aquilam increpaturus & res in Europa collapſus reſtituturus ſit, neſcio quo afflatu impulſus perſuadeor & prævideo, poſſim meam qualemcunque opellam & fidem, qua nemini cedo, teſtatam facere. Vt eum Rex Jacobus in numerum equitum aureæ Pe-

riſcelidis, qui honor apud Anglos ſummus eſt, cooptet, annitemur; ne dubitamus de ſucceſſu, quanquam nobis paulum expectandum erit. Quoniam Chriſtiano Duci Brunsvicenſi is honor iam pridem promiſſus fuit, quod precibus ſuis Rex & Regina Bohemiæ impetrarunt. Rumor ſpargitur, eum huc venturum: non male fecerit, mea opinione, omni genere honoris & benevolentiæ excipietur & accumulabitur.

Quod controverſiam & diffidentiam, quæ inter Danum & Suecum enaſci videtur, attinet, Jacobus Spenſius Regem, vt ſe interponat, diligenter deorat, ego quoque in eandem curam incumbo. Sed neſcio, quæ fatalitas obſtet, quo minus hæc tanti momenti negotia, ea, qua par eſt, animi promtitudine & zelo, advertantur & accurentur. Qui Regis Jacobi conſilia & actiones in ſequiorem ferme partem accipiunt, putant, eum non affligi & cruciari, etiamſi eiusmodi inter amicos & vicinos diſſenſiones & contentiones interveniant. Hoc enim inde beneficium conſequi, vt illi ad ſe tanquam ad arbitrum ſequeſtrumque pacis recurrere neceſſe habeant: ipſe etiam tanto excuſatior ſit, ſi interea quieverit, & ab armis abſtinuerit. Roberto Anſtruthero in mandatis datum iri, vt Regis nomine interveniat, & quidquid controverſiarum ſit, componat, intelligimus. At hoc, quantum ad perſonam Anſtrutheri, non omnino placet noſtro Spenſio. Se enim timere ait, vt Suecus eum habeat ſuſpectum, & in partium ſtudio, cum apud Danum a teneris annis enutritum, & huic variis nominibus obſtrictum eſſe ſciat. Et ſane ſi Anſtrutherus componendis illis litibus vacare, & ultro citroque inter Reges commeare debet, quomodo & quando defungatur legatione, quam ad Principes Germaniæ obire juſſus eſt, Omnia uni prudenter committere non ſolent, maxime quando diverſis in locis negotia tractanda ſunt, quandoque mora noxam affert. Sed me conſolatur, quod parum intereſſe putem, iſta legatio differatur an acceleretur.

Niſi

Nisi enim prius cum Batauis fœdus percussum, classis in mare adducta, expeditio Mansfeldii in procinctu, miles sub signis, & revera aliquid inchoatum sit, ne manum verterim, aut litivillitia Plauti æstimarim, omnes illos cum tanto strepitu, rumore & tumore decretas & apparatas legationes.

Habuimus hisce diebus hic Ernestum Vinariensem, Principem ab aureo seculo, cum fratre Bernhardo, incogniti esse volebant, ac propterea, nec Regem, nec Principem allocuti sunt, a me autem petierunt, vt ipsos, postquam fuerint digressi, apud vtrumque excusarem, non omissa salutatione & officiorum suorum delatione, quod feci. Simularunt, se tempestate in Angliam eiectos fuisse, non habuisse animum huc veniendi, ac proinde nullas a Regina Elisabetha, cum Haga discederent, literas ad patrem et fratrem accepisse: sine quibus Regi se sistere religioni duxerint. Me statim, ac Londinum pervenerunt, accedere dignati sunt; deinde unum atque alterum in proximo habitantem amicum, sed vt dixi more familiari et incognito. In meis ædibus occasionem habuerunt videndi Regis et Principis: eos enim prætereuntes, et ad Comitia in Senatum prodeuntes spectarunt.

Mansfeldius nuncium huc misit, Müllerum cum molente nomine & varis pedibus, significatum Regem Galliæ valde approbare & gratam habere initam cum Rege Angliæ conventionem, de apparanda expeditione & transferendo in Germaniam bello: pollicitum esse, se non defuturum occasioni, sed & quæ sui officii sint, & a se expectari possint, præstiturum, modo rem videat magis inchoatam & paulo vlterius promotam. Jam Regis Jacobi esse Mansfeldius ait, vt is progrediatur ad implendam stipulationem, & non modo Gallum exhortetur & animet, sed sibi etiam pecuniam constitutam repræsentet, ut initium dilectus facere, tyronem conscribere, et reipsa cunctis manifeste declarare, rem esse inchoatam et procedere pede constanti. Fi-

Filium tuum quod attinet, Vir Ampliſſime, cum Alberto Mortonio eius cauſſa diligenter & ſicut præcepiſti, egi. ait, ſe adhuc ignorare, an legati ordinarii munere in Gallia facturus ſit, propterea locum inter familiares ſuos Filio tuo promittere non poſſe: quocunque autem modo res eant, ſe curam habiturum illius. Ipſe ad te pluribus, ſicut mihi dixit, ſcribet: Antequam finiam, oportet, vt ad illa judicia & opiniones, quas homines curioſiores de Regis ſui conſiliis & actionibus formare & comminiſci ſolere ſuperius ſcripſi, addam, quod nuper ante paucos ſoles quidam inter Ordines inferioris ſenaculi auſus fuerit in publico conſeſſu cum verba faceret, mentionem illius apud Eccleſiaſten ſententiæ verſ. 13. cap. IV. facere, quæ dicit, pauperem puerum, ſi ſapiens ſit, præſtare Rege ſene, qui fatuus ſit, & ſibi cavere neſciat. Hæc eſt ſane nimis inſolens & effrenis ac mordens loquendi licentia, ad quam tamen prudentiſſimus & moderatiſſimus Regum callide connivet, bene gnarus, talia ſpreta exoleſcere, ſi puniantur, agnita videri & gliſcere.

Jam, ni fallor, ſatis amplum & ſufficiens reſponſum ad tuas literas dedi: dejugo igitur nunc equos meos, ſatis viæ hoc die emenſi ſunt. Deum vero congregantem diſperſum populum Iſraëlis, rogo, ut nos cum omnibus noſtris incolumes præſtet, & aliquando tandem exauditis noſtris ſuſpiriis Patriæ dulciſſimæ reſtituat. Vale optime, Vir Optime. Dabam Londini VII. Idus Maj. CIƆ IƆ CXXIV. (a)

(a) *Multum diverſa eſt ab ea, quam Miegius & Nebelius habent, n. XXI. p. 308. ſeqq.*

Epiſtola XXIIII.

Nobiliſſimus Vir Robertus Anſtrutherus hinc diſcedit, Vir ampliſſime; calamum igitur hac quoque occaſione arripere, & huic cartæ imprimere volui: ſed pauca ſcribam, quia ipſius relata omnia plenius cogno-

ſce-

ſcetis. Juſſus enim eſt, & in eum finem litteris fiduciariis a Rege Jacobo ad Sereniſſimum Principem noſtrum ſcriptis, inſtructus eſt, vt nimirum cuncta vobiſcum communicet, veſtraque conſilia & ſententiam exquirat & auſcultet. Confidentiſſimus eſt, ſe ex animi ſententia negotia ſua apud Danum, aliosque Principes Germaniæ confecturum: quod tamen ego credere non poſſum, quamvis non verſius nec ſim Judæus Apella. Sæpe fit, vt homines creduli ſpe et perſuaſione quadam abrepti ſibi rem faciliorem & expeditiorem imaginentur, quam revera illa eſt. Poſtquam vero illam tentarunt & aggreſſi ſunt, tum experiuntur, quantum differant verba ab opere, opinio a ratione, ſpes a conſummatione. Tabulas conventionis & fœderis cum Batavis initum Relationem Richardi Weſtonii & Ducis Bukinghamiæ in comitiis factam Patribus de Hiſpanorum callidis tergiverſationibus & deluſionibus, quibus vſi fuerunt in circumveniendo ſene Jacobo, tam in negotio matrimonii, quam cauſa Palatinica, idem ille amicus noſter Anſtrutherus communicabit. Quod mihi ſane non eſt ingratum, quia amanuenſes mei a moleſtia & onere deſcribendi liberantur. Cras vel die Sabbathi, hoc eſt Saturni more Romano Batavorum legati hinc diſcedent, ſicut ipſimet mihi valedicenti ipſis dixerunt. Vale, Ampliſſime Vir, & me tui cultorem eſſe cenſe. Dabam Londini XIV. Kal. Quintil. cIↃ IↃcxxiv.

Epiſtola XXIV.

Jacobus Spenſius communis Amicus noſter ad Regem ſuum revertitur, is, Vir ampliſſime, in tranſitu vos Hagæ ſalutabit & compellabit, cuncta quæ in mandatis habet, vobis expoſiturus. Inter alia tibi confidenter loquetur de fœdere, quod in medium proponitur inter Danum, Suecum & Anglum percutiendum. Rationes quoque & argumenta, quibus probatur & deducitur, nihil eo excogitari poſſe ſalubrius, nihil magis neceſſarium,

rium, nihil rebus religionis & libertatis in Europa conducibilius, ex eodem amico intelliges. Non omittet præterea referre, quanta cura & ſtudio, obſervatis temporum momentis, annitemur promovere magnanima conſilia, & propoſitum Regis Sueciæ promittentis, ſe vires ſuas cum noſtrorum Principum viribus conjuncturum, & rebus in Germania labentibus, accepta a noſtratibus certa in menſem pecuniæ ſumma venturum. Quemadmodum vero ingentes tibi gratias ago, quod me tanquam expoſitum myſtagogus & conciliator in familiaritatem tanti tamque amici Viri, qualis eſt noſter Spenſius, qui tibi has tradet, introduxeris: ita velim, vt ad vos venienti æque gratias agas, quod me tam amanter & promte in ſacrarium amicitiæ receperit, & tanta benevolentia complexus ſit. Quamdiu hic fuit, fide ſumma & diligentia non minore in eandem mecum curam promovendi Sereniſſimi tum ſui, tum noſtri, cauſſæque melioris emolumentum incubuit. Meretur igitur, vt etiam Rex Fridericus eum ſuo amore amplectatur, & benevolenti animi promtitudine ſibi magis ac magis devinciat. Jam vale, Vir ampliſſime, & me te in oculis gerere, crede. Dabam Londini XIII. Cal. Quintil. cIↄ Iↄcxxiv.

Epiſtola XXV.

Vltimas tuas vnas Idibus Junii, & alteras XIV. Kal. Quintil. ſcriptas bene redditas habui; nec dubito, quin etiam meæ interim ad te delatæ ſint. Longo vero reſponſo te non detinebo, quia in prioribus meis pleraque, quæ tangis, executus eram. In tuo equidem prudentiſſimo judicio acquieſco, quo ſtatuis, nulla alia ratione & via rebus noſtris adtritis & ad incitas redactis conſuli poſſe, quam armis & milite: verum enim vero vnde hunc, amabo, habebimus, quomodo parabimus, ex quo ſuſtentabimus? Opus enim eſt non parvo, ſed juſto, valido & numeroſo exercitu; qui omnibus rebus ad

ad bellum diu continuandum neceſſariis ſit inſtructus, quique cladem paſſus ocyus reſtaurari & renovari poſſit. Tenues & temporariæ copiæ, auxilia aliunde emendicata, potentia viribus precariis ſubnixa, parum momenti ad rei ſummam conferent, imo in majores & inexplicatiores difficultates nos noſtramque cauſſam involvent, ſimul etiam, quæ pacata adhuc ſunt & amica, conturbabunt, nec tamen reſtitutionem Palatinatus promovebunt. Pecunia, quæ tamen nervus eſt rei gerendæ, vnde, quæſo, comparabitur? Si in Anglia aut Gallia fundamentum ponimus, næ pulcre ſpe noſtra fruſtrabimur. O ſicut meum auxilium! Scilicet Reges ſunt Aegyptiaci, quos arundineo Scipioni comparant Profetæ; cuius fiducia bellum Palæſtini ſuſcipiebant alacriter, ſed mox experti fuerunt, eum confractum non modo innitentibus nihil profuiſſe, ſed etiam manus eorum perterebraſſe. Sed ita comparati ſumus, vt ſemper reſpiciamus ad iſtos ambos in Anglia & Gallia Reges, nobisque expectatione & ſpe magni auxilii blandiamur:

Agricola ſemper dives annum in proximum.

Cæſarem comitia convocaturum & cauſſam Palatinam Ordinibus decidendam traditurum, rumor ſpargitur. Non dubito, quin is & Pontificii Electores ſua conſilia eo dirigant, quomodo Sereniſſimum Fridericum, communi Ordinum ſuffragio & approbatione a reconciliationis & reſtitutionis ſuæ ſpe removeant, & imperiali in comitiis rogato decreto, a ſucceſſione electoratus ipſum & ejus liberos in perpetuum excludant. Verum, quamdiu motus, tumultus, & bella in imperio gliſcunt, haud arbitror Ordinibus integrum fore, convenire & comitium ſolemne celebrare. Si Rex Jacobus nunc dicit, ſe ſolum tantæ moli ferendæ & Palatinatus reſtituendæ parem haud eſſe, neque ſine periculo propriorum regnorum tantum bellum ordiri poſſe: quid dicturum eſſe putas, ſi imperii Ordines vnanimi conſenſu Gene-

rum

rum damnassent, & declarassent, se contractis in vnum viribus bellum gesturos.

Contra exteros, qui Palatini Principis caussa quietem Germaniæ turbare præsumserint? Nam si in comitiis caussa Palatinica dijudicatur & deciditur, tunc procul dubio hæc cominatio addetur, quod nimirum contra eum, qui sententiam & decisionē Ordinum impugnare & quietem Reip. in favorem condemnati & proscripti convellere conatus fuerit, arma & bellum tanquam in hostem publicum & perduellem sancitum sit gerendum consociatis omnium viribus. Sed ne simul miseri ante tempus: speremus & confidamus, donec telum non sit in nervo.

Vt plurima inter poculum ac labrum solet,
Vertisse fatum res agens mortalium.

Comes Bristolius nondum ad affatum Regis admissus est: per conjugem aliquoties Regem interpellavit, & obnixe petiit audiri: quid tandem de illo, qui innocentiæ suæ clypeo se inniti & confidere dicit, fiet, suo tempore videbimus. Marchio Inojosa Orator Hispanus hinc discessit, nullis muneribus, nec ea, qua Rex Jacobus erga gentem istam in propatulo hactenus vti solebat, benevolentia cumulatus. Quid clanculum factum, nescitur: de occultis enim non judicat Ecclesia. Rex Hispaniæ omnia dona & litteras, quas Infanta Maria sponsa a Principe Carolo sponso acceperat, Oratori Britannico, qui Madridi est, vltro restituit, ne exprobrari posset, arrham matrimonii retinuisse. In locum legati Gallici Comitis Tillerii inopinato domum revocati, Marchio de Fiat succenturiatus succedit. Rex Jacobus bonum se omen ex ejus nomine capere dicit: futurum enim, vt Fiat & effectum sortiatur, quod cum eo ratione matrimonii cum Galli sorore contrahendi transigetur. Albertum Mortonium tua caussa iterum compellavi, & legendum exhibui, quod mihi illi significandum scripsisti. Respondit se nihil certi adhuc de sua in Galliam legatione & profectione cognosse, se tui filii haud im-

memorem futurum, quando tempus & facultatem vobis gratificandi fuerit nactus. Vide ſis, ne fiat theſaurus carbones, ſed vale, Vir Ampliſſime, & me tui cenſe eſſe ſtudioſum.

Epiſtola XXVI.

Illas, quas IV. Kal. Quintilis cum quibusdam Italicis litteris ad me dediſti & miſiſti, bene redditas habui, Vir Ampliſſime. Quod de bello inter Danum & Suecum exoriundo, niſi ſtatim præveniatur, innuis & mones, in animum demiſi, nec deero in occaſione cum Rege & purpuratis in eam ſententiam, quam promis, colloqui. In hac aula ſpargitur, ac ſi jam bellum incepiſſet, & Suecus Danum inopinato ſuperventu oppreſſiſſet; & magna parte regni depuliſſet. Deo autem armipotenti ſit gloria, quod res eo extremitatis nondum pervenerit, is ne ea perveniat, rogandus quidem eſt: ſed ſimul etiam opera a nobis adhibenda, vt ſemina diſcordiarum in ortu ſuo extinguantur & ſuffocentur. Quod gratius ſpectaculum hoſtibus, quid pernicioſus Reip. Chriſtianæ & religioni & libertati publicæ contingere poſſet, quam ſi ambo iſti reges Proteſtantes, & Septentrionis moderatores, inter ſe hoc tempore, quo Auſtriaci felici ſucceſſu tumidi, & victricibus copiis inſtructi conantur dominationem Europæ conſtabilire, collidantur? Ne vero timeas, vt Rex Jacobus bello iſti ſeſe immiſceat, & Dano auxilio ſit contra Suecum: fluctuans, & in neutram partem inclinans ſenis ingenium vel noſtra calamitate perdidicimus. Robertum Anſtruterum in partium ſtudiis eſſe, & plus nimis Dano favere, Sueci actionibus condemnatis & traductis, doles & conquereris: ſed nihil impedit: quilibet enim affectus ſui decempeda res & perſonas metitur: an non & idem nos interdum faciamus, ex nobis ſciſcitemur. Dies emollit ingeniorum feritatem. Qui credit, Jacobum arma ſumturum pro recuperando Palatinatu, næ ille omnium rerum imperitus eſt, & ſue occiſa minus ſapit. Ego ſa-

tis hoc inculcavi, si quis aliud persuasus est, suo id credat periculo. Ii, qui rationes temporum et hominum examinarit, et diffidere in Epicharmi sententia noverunt, idem quod ego sentiunt. Exemplar litterarum, quas olim Rex Galliæ Henricus III. ad Electores & Ordines imperii scripsit, hic accipior: merentur sane, vt typis excudantur. Quis enim melius præsentem Reip. jamjam funditus perituræ faciem depinxerit? Quis planius et liberius dixerit, quid Galliæ Regem hoc perturbato Germaniæ statu deceat?

Cum Alberto Mortonio filii tui caussa iterum egi: verum cum semper respondeat, se ipsum tibi scripturum, nolo homini, cuius ingenium mihi notum est, importunius obstrepere, et eadem, vt dicitur, chorda oberrare. Consulto feceris, si ipse ad Cunctatorem scripseris. Vale jam, ocelle Germaniæ, & me tua merita magni facere crede. Dabam Londini Non. Quintil. cIↄ Iↄ cxxiv.

Epistola XXVII.

Relationem accuratam, quam in gratiam Serenissimæ Viduæ Electricis Palatinæ contexi, tibi, Vir amplissime, inspiciendam et relegendam mitto. Ex ea, ni me fallit ratio, hodiernum in hoc regno statum tam consiliorum, quam aliarum rerum præteritarum & futurarum, cognoscere poteris. Veritati autem vbique litavi, & ex conscientiæ meæ ductu cuncta sine adfectu descripsi; olim posteritatis, quæ vnicuique suum tribuit, intererit, vt hæc talia penitus cognoscantur. Serenissimo Principi nostro scriptum, vel potius libellum famosum Legatorum Hispanicorum contra Ducem Bukinghamiæ Jacobo Regi oblatum, misi: quæso, & ipse tu illum inspicias et expendas. Censuram & judicium meum jam perscribere non possum, quanquam multa habeam animadvertenda, & vobis, qui arcana & tropica huius aulæ non ita bene comperta habetis, exponenda: fortassis alio tempore, cum plus otii habuero, fiet.

Quæ

Quæ conſilia agitentur in colloquiis matrimonii, & arctioris confœderationis inter regna Angliæ & Galliæ contrahendæ, cognoſces ex iis, quæ ad eundem Sereniſſimum Regem noſtrum perſcripſi: inde velut per tranſennam iudicabis, quid ſentiendum de conſiliis iſtis. Vno verbo, Galli ſunt perſuaſiſſimi, Jacobum Regem haud ſincere, ſed omnia ſimulate, agere, nec ex animo cupere, vel Palatinatus reſtitutionem promotam, vel matrimonium conſummatum, vel arctius fœdus percuſſum. Quid inde igitur nobis ſperandum? iterum ad eundem lapidem offendemus. Matrimonii nunquam conſummandi colloquium, fundamentum hactenus fuit noſtræ ſpei, nunc aliud non minus incertum, ſi Regis Jacobi interiorem mentem inſpicis, quanquam inter partes contrahentes adſit conſenſus & voluntas, nova nos fiducia replere, & ſilentium noſtrum vanæ ſpei furfure paſcere debet. O miſeri, in quo collocamus ſpem noſtram! interimne compreſſis ſemper manibus ſedebimus, & nobis eripi patiemur, quod vnum miſeris reſtat, nullam ſperare ſalutem?

Electorem Moguntinum, & legatum Cæſaris Schleiſſingæ Ducem Saxoniæ pulcris & amplis, ſed fallacibus & verſutis conditionibus pacis propoſitis, invitare & perſuadere, vt Bavarum agnoſcat pro Electore, accepimus. Quin Saxo aſſenſum ſit præbiturus, & excluſionem Friderici Regis e collegio ſeptemvirali approbaturus, niſi jam pridem, quod ego credo, approbarit, quanquam Bavarum tamen nondum publice & ſolemniter agnominet & ſalutet collegam vel Electorem, non dubito. Chriſtianum Anhaltinum a Cæſare in priſtinum gratiæ & honoris gradum receptum haud vulgari honore affectum fuiſſe ſcribunt, & addunt eum inſtrumentum, jam pacis, ſicut olim turbarum fuerit, futurum; idque Cæſarem ab eo petiiſſe. Alia non occurrunt ſcribenda. Vale, Vir ampliſſime. Dabam Londini Pridie Idus Quintil. cIↄ Iↄ c xxiv.

Epiſtola XXVIII.

Quid ſcribam, neſcio; ita hoc aridiſſimo tempore omnia exaruerunt, vt nihil reſtet ſcriptione dignum. Adhæc conſilia ex alio & peregrino fonte, nempe Gallico haurienda ſunt: ſic, ut ibi aqua ſcaturit & fluit: ita nobis propinatur & bibenda eſt. Oratorem Gallicum, Marchionem de Fiat affatus ſum, Virum ambidextrum, tanquam gladium delphicum: natum certe, & moribus, ore, natura ad Aulam, & ad hodierna Principum ingenia factum & aptum. Eum, vt dixi, affatus duntaxat ſum. Nec enim licuit, aut decens fuiſſet, de rebus gravioribus & negotiis publicis in primo præſertim congreſſu, ſerius colloqui. τὸ πρέπον, (decorum) obſervandum erat: in ſecunda, tertia, & ſequentibus admiſſionibus, occaſionem quæram de omnibus accurate & diligenter, adhibita ſolerti circumſpectione, loquendi & diſſerendi, & quantum eius fieri poterit, penitiora ſcrutandi. Vicinus ille meus eſt, ex adverſo in ædibus Sommerſethanis ſplendidiſſimis hoſpitans. Interdum muſca ero, ſicut moris hodie eſt, acceſſurus ad ejus cereales dapes. Sumtu enim publico alitur, & quidem tam magnifice & largiter, vt affluat opimis dapibus & opulentia vtriusque elementi, terræ & maris, vt Symmachus ait, pollucibilem victum miniſtret. Cum vero ad ipſum acciſſem, eo honore, qui mihi propter munus meum competit, excepit, prolixe de ſuo, ſuique Regis, in nos, noſtramque cauſam affectu, proteſtatus, ſeque in mandatis habere dicebat, curam, quantam poſſit maximam, gereret, & ſatageret, quomodo Reſtitutio Palatinatus, junctis amborum Regum conſiliis, & ope, promoveri & obtineri queat. Sereniſſimos noſtros Principes nomine & titulo regio ſubinde cohoneſtabat, & appellitabat. Legatus Regis Jacobi Ordinarius, Herbertus, ex Gallia domum reverſus eſt: quis ei ſucceſſurus ſit in officio, an Albertus Mortonius, vel alius ſcire nondum potui. Per legatos interea extraordinarios procul dubio

cauſ-

caussam matrimonii pertractabunt, qua ad finem perducta, ordinarium iterum destinabunt. Ceterum vale, Vir Amplissime, & me tui cultorem cense. Dabam Londini XII. Cal. Sextil. cIↄ Iↄ cxxiv.

Epistola XXIX.

Tuas Idibus Sextilibus exaratas, Vir Amplissime, bene redditas habui; parvum eis responsum retribuam hoc ipso articulo temporis, quo accepi, nimirum antequam equos conscendam, & ad Regem, venationi pro more suo indulgentem, & procul hinc profectum, abeam. In procinctu enim constitutus sum; & sonipedes instrati ante fores mearum ædium stant, & spumantia frena mandunt, vt cum Poëta loquar. Optassem autem, vt paulo citius tuas accepissem; videlicet ante delicias illas venaticas, quas Rex non libenter sibi a quoquam interrumpi patitur. Quidquid tamen sit, non committam, vt aliquid in mea diligentia & fide prætermissum dici queat. Ad affatum Regis admissus, dicam quæ in rem erunt: omnes sane molestias citra molestiam & alacriter exantlabo in negotio tanti momenti. Quid in Gallia Jacobus Careolius agat in caussa matrimonii, nos medius fidius latet. Ajunt in fronte januæ domus, in qua hospitatur Lutetiæ Parisiorum, adscriptum fuisse carbonibus ab ignota manu hanc sententiam: Vigilate, & orate, nescitis enim horam & diem, quo venturus sit filius hominis. In quem finem illud factum sit, Delio natatore vel Oedipo conjectore opus est: ego sane conjicere non possum, quanquam haud carere mysterio credam.

Rex Jacobus admodum succenset Batavis, quod tam crudeliter & injuste, sicut Angli referunt, & interpretantur, negotiatores populares Anglos in insula Amboina tractarint, & per carnificem sub specie justitiæ occiderint. Rationem ille iam & vindictam exposcit; ni satisfiat, ad vim, & pignorationis ac clarigationis jura recurrere vult,

In Bukinghamiæ Duce, quemadmodum ex tuis deprehendo, magnam adhuc ponitis ſpem & fiduciam: ſed fallimini profectò, & decipimini. Res ſuas privatas, more omnium gratioſorum, agit.

Ad nutum & obſequium Regis, a quo paulum exerravit, iterum totum ſe componit, & ejus conſilia & mentem præfert cunctis aliis conſiderationibus, eaque tamen ad emolumentum ſuum callide detorquet, ſperans, ſe in priſtinæ gratiæ & amoris ſinum receptum iri. Vereor, ne ſit tandem Trojæ & patriæ communis Erynnis. Hæc confidenter & ſub fide ſilentii ad veſtri informationem ſcribo: quæſo ſis, ne reſciſcant illi, qui cuncta etiam bono animo dicta interpretantur in malam partem.

Quid vero ſperas, me apud regem affecturum? Nam pro explorato & cognito habeo, eum ab omni bellica expeditione alienum eſſe, & Bukinghamium cum aſſeclis, quo evidentiori nota fidem patrono comprobet, bellum germanicum disſuadere, hoc præſertim rerum ſtatu, quo periculoſiſſimum regno regique fore obtendunt, ſi arma caperet, antequam de Regis Galliæ ſocietate certus eſſet. Samuel Weiſſius, qui te reſalutat, hinc re infecta diſcedit: ipſi vulgatum illud occini poteſt; Turpe eſt & manſiſſe diu, vacuumque rediſſe. Oportet vt Mansfeldius robuſtius telum e validore catapulta emittat et detorqueat, ſi Jacobi animum permovere voluerit. Albertum Mortonium ſatis magno titulo cohoneſtaveris, ſi Nobiliſſimum et ampliſſimum in tuis ad eum litteris compellitaveris. Plura non occurrunt, nec tempus permittit. Vale ocelle Germaniæ. Dabam Londini V. Kal. Sextil. cIɔ Iɔ c xxiv.

Epiſtola XXX.

Ex litteris meis, quod ad Sereniſſimum noſtrum Regem ſcripturio, cognoſces, quid apud Regem Jacobum effecerim. Inde novo iterum indicio animadvertes, quid ab iſto Principe, qui recreationes ſuas ſerioribus turbari neutiquam ſuſtinet, ſperandum ſit.

In

In tranſitu per Cantabrigiam, vt hoc obiter adſcribam, ſiquidem nihil aliud occurrit, Vicecancellarium Academiæ allocutus ſum, et inter cetera, quæ vario ſermone miſcuimus, ei ſtudioſe commendavi noſtrum Rutilium, adoleſcentem probum et morigerum, vti ſcis, et rogavi, vt apud ſe litteras commendatitias, quas Sereniſſimus Rex Fridericus in ejus gratiam ſcripſerit, pondus habere ſineret; ille omne quidem ſtudium et operam pollicitus eſt, ſed hoc genus commendationis, addebat, novum eſt, et in noſtra Academia inauditum. At & Palatinatum, ſubjiciebam ego ex abrupto, deſtructum et exciſum eſſe, novum quoque eſt & inauditum. Quid enim mirus dici, quid magis inſolens eſſe poteſt, quam nos, qui olim receptatores exulum fuimus, nunc ipſos eſſe exules; qui quondam veſtratibus, ob conſtantiam in vera religione a patria extorribus actis, aſylum præbuimus, jam apud vos aſylum quærere? Viciſſitudinem rerum veremini, & pii eſtote erga eos, qui veſtra ope ſublevari petunt, ne per auſteritatem, iram Dei, et eiusdem fortunæ pœnam in vos provocetis. His dictis homo rubore ſuffuſus conticuit & obmutuit, ſicut piſcis, qui turbato ſtagno, ſe abſcondit in profundum. Plura ſcribere non poſſum: nam nunc demum ex itinere illo meo tædioſo, & faſtidioſo Londinum revertor, & equis frena detrahere jubeo. Dabam raptim IV. Non. Sextil. cIϽ IϽ CXXIV.

Epiſtola XXXI.

Vltimas tuas III. Non. Sextil. ſcriptas, Vir Ampliſſime, bene accepi: quin & meas redditas habueris, non equidem dubito. Quid de matrimonio Gallico judicandum ſit, ex diverſis meis ad Sereniſſimum litteris cognoſces, alia addere non poſſum. Adhuc

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Duo inprimis ſunt, quæ me attonitum & ambigentem ac timentem reddunt. Primum quod matrimonium il-

illud prius concludendum ſit, quam fœdus et conjunctio pro Reip. incolumitate ineunda. Hæc, ſi recto tramite & ſecundum rationem res procederent, præire; illud tanquam conſequens ſequi deberet. Prius enim amicitiæ & fœdera inter Principes tractari & coire, ſalusque Reip. curæ eſſe ſolet, ad quam omnia conſilia & actiones ſunt dirigenda: matrimonia vero tanquam ſigilla ſunt, quæ in confirmationem obſervandorum pectorum contrahi conſueverunt. Sed hic contrarium fieri videmus. Nihil aliud hoc eſt, quam velle tabellas obſignare, antequam conditiones ſcriptæ ſint. Præpoſterus ille ordo, cujus procul dubio Rex Jacobus autor eſt, felicem ſucceſſum ominari haud ſinit. Quaſi vero Reip. ſtatus talis eſſet, vt nullum damnum ab inutili mora ei accidere poſſet? Hoc habent nimirum Principes et Proceres in conſuetudine, ut civile et honorificum putent, indulgere procraſtinationibus, tricis, recreationibus, voluptatibus, rebus maxime neceſſariis tempori ſequeſtratis. Alterum, quod me commovet, eſt, quod animadvertam ambos iſtos Reges, Gallum & Anglum, in rebus Germaniam tangentibus nihil agere communicato conſilio, ſed utrumque ſeparatim attendere, quæ ſibi privatim vtilia & commoda videntur. Conditiones pacis, quas Pontificios ad pacandum Germaniæ ſtatum in medium proponere vulgo ferunt, vidi & legi: eas fictitias & falſas eſſe reor, et vel ex eo argumentor, quod inter alia caveatur & præſcribatur, Philippum Ludovicum, fratrem Sereniſſimi Friderici, poſt mortem Bavari in dignitatem Septemviralem ſuccedere debere. De civitate Frankendalia noſtri purpurati capita conferunt, & hærent, non ſecus ac mus in pice, aut avicula in pedicis, vel muſca in tela aranea. Quid ego conſilii promere & ſuggerere poſſem, ex me identidem quærunt: mihi non liquere, reſpondeo, nihilominus parvo libello conſignari rationes & argumenta, quæ in conſideratione habenda eſſe judicabam, illa tu inſpicere & mihi tuum deſuper

per iudicium dicere potes. Haud ſcio, an cuncta approbaturus ſis: ſi quid peccatum deprehendes, ſtudio & zelo boni publici peccatum eſſe ſtatues. Negotium illud certe labyrinthus eſt inextricabilior illo Cretenſi; nullus enim inde datur exitus, nec filum Ariadnes quidquam adjuvat. Sed vale, mi amiciſſime Camerari, amicorum apex. Dabam V. Idus Sextil. cIↃ IↃ CXXIV.

Epiſtola XXXII.

Vix ſcripſeram ad te priores meas, Vir Ampliſſime, ecce trinas tuas eodem temporis articulo redditas habui: illas tertio Nonarum, has V. Iduum, vltimas & quidem geminas Idibus Sextilibus exaratas. Omnium veſtigia preſſo pede legam, & diſtincte, paucis tamen, ad potiſſima rerum capita reſponſum dimetiar. Et primo quidem, quod litteras meas ad Jacobum Spenſium apud te retinueris, haud conſultum arbitratus eas transmittere, quia liberiore calamo confuſum rerum & conſiliorum in hoc regno ſtatum deſcriberent, & verendum eſſet, ne Rex Sueciæ illo cognito conturbaretur, & parum ſibi ab Anglo in communi cauſſa relevanda promitteret, me nonnihil, vt verum fatear, commovit. Sed, ne vel imprudentiæ me accuſare, vel de mea tot indiciis & teſtimoniis obfirmata fide dubitare poſſis, velim tibi in mentem revoces, quæ Suecus conſilia animo volvat & præmeditetur. Nimirum in ſpem erectus eſt, fore aliquando, nimirum poſtquam colloquia matrimonii cum Hiſpano et Gallo, prout exoptat, abrupta & irrita fuerint, vt conjugis ſuæ ſoror, quam ſolam hodie in Germania dignam putat, quæ Carolo Principi elocetur, petatur in vxorem & ſponſam. Eam in rem mandata dudum dederat Jacobo Spenſio, et juſſit eum circumſpecte & dextre occaſiones obſervare, & ad conſilium flectere. Is re tota mecum fideliter communicata rogavit, vt et ego aſellam meam conſociarem, et proptcrea vel ad ſe, vel ad ipſum Regem diligenter, libere, et vere ſcriberem et referrem, quidquid quovis tempore fieri animadverte-

rem, ſpernandumve & judicandum eſſe cenſerem de progreſſu et exitu colloquii de matrimonio cum Gallo. Hanc ob cauſſam neceſſe duxi, Jacobum Spenſium candide et ſincere de omnibus pro captu meo informare. Quid vero melius vtiliusve facere potui, quam veritatem dicere, et Suecum amicosque noſtros a falſa opinione et errore liberare? Deinde ſcis, ni fallor, mi Camerari, Suecum brevi magni aliquid, quod in communem Reip. ſalutem decretum eſt, tentaturum et aggreſſurum: at ſi viderit, et ſpem conceperit, fore, vt Jacobus Rex ad pecuniam in iſtam expeditionem contribuendam permoveri poſſit, veriſimile eſt, procraſtinaturum et exſpectaturum, donec id fiat: interim occaſione agendi amiſſa, et conſiliis ab hoſtibus cognitis, et præventis, egregii ejus auſus in fumum abibunt. Verum, ſi nullam ab Anglo ſpem ſocietatis et conniſus adeſſe cognoverit, nihilominus in propoſito pro magnanimitale ſua progreſſurus, nec neglecturus eſt, ceteras occaſiones, quæ premunt, impellunt, ſtimulant. Felicius, promtius, et majore cum honore res geret, quando ad ſe ſolum, minime vero ad Anglum aliosque reſpexerit. Puella illa in fabulis, dum ad aureolum pomum oculos deflexit, decepta et victa ſuccubuit, ni feciſſet, victrix ſine dubio exſtitiſſet: ſic Principes dum in amicitia & conjunctione aliorum ſpem, fundamentumque rerum gerendarum ponunt, plerumque magno ſuo malo falluntur. Ob hanc etiam cauſſam libere dicendum erat, quid Suecus a Jacobo poſſet in ſui gratiam expectare, hoc eſt, nihil, præter verba, legationes, promiſſa, procraſtinationes, et effugia. Adhæc Spenſio noſtro natura, ingenium, mores Jacobi Regis, tum rerum in hoc regno ſtatus ita cognita ſunt, vt, ſi quid inflatius et jactantius ſcriberem, ilico fidem meam proſtituerem. Ne dicam jam alios non minus, quam me veritatem perſcribere. Si igitur præfidentiori calamo majora et ampliora omnia facerem, quam Rex Sueciæ et Jacobus Spenſius noverunt eſſe, næ ſuſpicionem vel adulationis, vel mendacii, vel impoſturæ incurrerem. Et quid ſane rebus

bus noſtris magis obfuit,quam quod apud amicos res noſtras lætiores, certiores, et ſtabiliores fecerimus? Ferdinandum Imp.nihil æque juvit,quam quod ſuas res apud Hiſpanum,Papam, et ceteros ſocios fere deſperatas, apud hoſtes vero lætas proclamavit.Et hoc Eggenbergiū Baronem, primarium Cæſaris conſiliariū,confeſſum eſſe, ipſe audivi. Apud amicos & fœderatos, quorum ſine periculo vinci ſubiugarique non poſſumus, nihil celandum, diſſimulandum, & palliandum: ſed diſcrimina & mala, quæ vrgeant, veris coloribus depingenda, & ſcapham ſcapham dicendam eſſe,Politicorum monitu,& Mithridatis exemplo diſcimus,qui Arſacem Regem rebus ſecundis et pace fruentem, in ſocietatem belli tracturus & illigaturus, nullo majore argumento vſus eſt, quam quod diceret res ſuas parum proſperas, ſi vera æſtumare Arſaces vellet, eum maxime hortari, Conſiderari enim debere, vtrum, ſe oppreſſo, ipſe firmiorem ſe ad reſiſtendum, an finem belli futurum putet. Quare? vt nimirum ii, quorum interſit, auxilia in tempore ferre, & præſto eſſe valeant, ipſa neceſſitate, & ſui præſervandi cauſſa admoniti & compulſi, Quamdiu enim hi, aliquid virium & ſpei, in Amico, bello involuto, ſupereſſe perſuaſi ſunt, eum ſibi ipſi haud defuturum eſſe, imo ſatis adhuc potentia ad ſubſiſtendum, & ad continuanda arma habere in parato, arbitrantur. Hinc fit, vt armis abſtineant, aliorum ſe laboribus tutos fore rati. Sic ſcribunt Regem Galliæ pœnitere, quod non citius rebus Germaniæ concidentibus manum admoverit; ſed florentiores eas & firmiores credens, cum ſuo periculo conquieverit. Hæc idcirco pluribus exſequor, vt videatis, me non tam inconſulte & promiſcue, ad Amicos ſcribere; ſed cauſſas graves mei inſtituti habere, omniaque mea conſilia ad ſcopum boni publici directa eſſe.

De compoſitionis negotio cum Bavaro nihil amplius dicam. Quod vero illud, quamvis dolis & fraudibus circumſeptum, haud tamen omnino rejiciendum judicaverim, rationes minime contemnendas adducere poſ-

ſem. Inter quas non poſtrema hæc eſt, quod perſuaſus fuerim, Saxonem & Brandenburgicum, inſtituto cum Bavaro compoſitionis colloquio, excuſationem habituros, ut aſſenſum ſuum, in agnoſcendo pro Electore Bavaro, ſaltem differant, donec viderint, qui exitus eſſet futurus illius colloquii. In apographo adjuncto vide, ſis, quid monachus noſter Seraphicus huc ad quendam virum ſummatem de ſimulata illa ſua, quam hic obtruſit, & velut inſtitor venum expoſuit, negotiatione. O impudentia! o fraus!

Vt Rex Jacobus ad bellum pro recuperando Palatinatu movendum permoveatur, aut ad ſumtus in illud ſubminiſtrandos; Hercule Celtico & perſuaſore Theſſalo opus eſt. Euphormio cicada, aut ego nihil effecerimus. Vel inde documentum, quod ſperandum ſit, capite, quod civitatem Frankendaliam, finito nunc ſequeſtrationis tempore, tam turpiter deſeri & deſtitui videatis, & quidem nullam aliam ob cauſſam, quam quod ſervari non poſſit absque milite & armis.

Quæ de Sueco eiusque copiis, deque oportunitate invadendi Sileſiam, & de neceſſitate ac vtilitate fœdus & ſocietatem cum Daniæ Principe ineundi ſæpius ſuggeſſiſti, illa monere, inculcare, & vrgere non omiſi: imo & hoc addidi, ſi Angli parum pecuniæ modo repræſentare vellent, vt tribunus militum, Michaël Obertrautius, flos noſtræ nobilitatis, aliquod turmos in omnem occaſionem excubantes & paratos conſcribere, & ſub ſignis in procinctu habere poſſit, Reipublice non malum conſultum iri. Sed quid noſtri purpurati reſpondeant, amamabo, audi. Dicunt, res noſtras nullo fundamento inſiſtere, ſed inſtar flammæ eſſe, quæ in ſtramine accenſo ſubito & apparenter conſurgat, cito autem divaneſcat & evaporet, Et licet repræſentatas habeamus illas, quas petimus pecunias, nihil tamen nos effecturos. Superioribus enim annis, cum inſtructi eſſemus, exercitu, & aliis ad bellum neceſſariis, ſatis declaraſſe, quid valeamus, quid poſſimus. In felices nos eſſe, timidos & parum

rum providos, & constantes, insuper imbellem militem, & ad fugam, quam ad pugnam promtiorem, & duces inexpertes, avaros, & direptores habere. Verum si Rex magnæ Britanniæ bellum suis viribus & consiliis moverit, quod futurum somniant, postquam res regni constabiliverit, & cuncta ad bellum requisita prospexerit, tum res certo quippe fundamento innixas, aliter & felicius successuras. Solos scilicet Anglos a fato destinatos, solos viros fortes esse, qui res collapsas restituere, Hispanum in ordinem cogere, Palatinatum recuperare valeant: cæteros volitare tanquam vmbras.

Persuades tibi purpuratos nostros, exemplo & impulsu Gallorum excitatiores nunc fore, & maiorem, quam hactenus, dum immersi Hispanico veterno fuerunt, Reip. curam habituros: sed falleris, mi Camerari. Non enim credere potes, nec ego tibi edissero, quantum a serioribus abhorreant, dediti deliciis & voluptatibus corporis. Si vnum aut alterum e Proceribus accedo, & de Rep. sermonem auspicor, ringunt, oculos & aures avertunt, vultum & supercilia contrahunt. Cum heri, ruri, in dumo cuiusdam optimatis occasionem sæpius captarem de civitatis Frankendaliæ negotio, quod homini commendatum esse noveram, deque aliis rebus publicam salutem competentibus, colloquendi, illa subinde interrumpere, & ad amicos conversus de rebus levioribus blaterare cœpit. Mecum tunc erat Stephanus Lesurius, vir optimus, & Reip. amantissimus: is non minus, quam ego indignabatur.

Quid de Principe Carolo, deque eius animo & consiliis sentiendum sit, quæris, vno verbo tibi dicam, filius est & subditus: Patri & Regi morem gerere tenetur, & obsequii gloria ei se approbare. Indoles ipsius proba est & obsequens. Suo marte & ductu non multum potest; nisi Patris accedat consensus, instar avis est, quæ vna ala, vt Celtæ proverbio dicunt, subvolare conatur. Quæ ei inculcari & imprimi consultum judicatis; ea per alios, vt maiorem fidem habeant, peragi curo. Nobilem virum,

rum, qui mihi tuas attulit, vidi: missus venit a Christiano Brunsvigo, quem ipsum vellem huc venisse. Illius virilior & audacior adspectus, & persuasio martialis, aliquod fortasse momentum ad perpellendum Regem adferre posset. Vis autem, vt dicam, quæ Angli promiscue de eo sentiunt & loquuntur? improvidum & præcipitem juvenem vocant, cui ducatus, & administratio belli non sit committenda. Pro Barone Winnenbergico, quem tu & Serenissimus Princeps noster mihi tantopere commendatis, feci sane, quantum hactenus potui, nec omittam imposterum etiam facere, quæ mearum erunt virium. Sed vereor, vt oleum & operam perdam. Atque hæc hactenus. Vale quam bene & feliciter, Vir Amplissime. Dabam Londini XV. Kalend. Septembr. cIɔ Iɔc XXIV.

Epistola XXXIII.

Ex aula, Vir Amplissime, quo hisce diebus profectus eram, negotiorum tibi cognitorum caussa, reversus sum: quid egerim et effecerim, id meis ad Serenissimum nostrum literis discere potes. Vrbem Frankendaliam, omni humana ope, destitutam et orbam, statuo et conspicio: ipsa salus et prudentia eam asserere et vindicare non potest. In manibus enim hostis est, non nisi armata manu illi eripienda. Et vel hinc apparet, quam sapienter fecerint illi, qui vrbem hosti sequestrarunt, nobis omnibus indignantibus et reclamantibus. Quid autem restat infaustis et sola fide, sicut olim Saguntini, perituris civibus, quam vt eligant ex duobus malis necessariis alterutrum, vtrum nempe in potestate hostis cum aliquibus conditionibus et pactis manere, sicut spes est fore, si se cæsari vel Hispano in tempore submiserint, an sine conditionibus misericordiæ et voluntati hostis se dedere velint, quod continget, si diem et tempus sequestrationis elabi siverint, antequam pacisci inceperint. Quid ab Anglia spei consequi, et quæ auxilia exspectare possint et debeant, jam probe norunt: certe miseri homines sibi nihil reliquum vident, nisi vt supplices

fiant

fiant Cæſari, et obſecrent, petantque recipi in fidem et obedientiam ſub æquis moderatisque conditionibus. Sed hoc in æternum opprobrium et ignominiam miniſtrorum Anglicorum redundabit. Poſteritas ipſa eos exſecrabitur et deteſtabitur, quod tam turpiter et ignaviter deſeruerint et prodiderint ſuos clientes, in patrocinium nolentes volentes receptos: quod depoſitum et pignus tam carum et pretioſum redimere, et ſequeſtro liberare neglexerint. Indignatio et dolor plura agere non ſinit. Si alia quoque ſcribere adgrederer, non minus ſtomacharer: præſtat igitur tacere, quam affectui frena laxare. Vita potius et preces fundamus, ut Deus ὁ ὑπερασπιστὴς καὶ σωτὴρ σωτηρίας, ab alto ſpiritum prudentiæ, fortitudinis et pii zeli, donet Regibus, quibus competit res collapſas reſtituere, et eccleſiæ laboranti, et in diſcrimine poſitæ opem ferre, vt ea conſilia præferant, eas vias eligant, per quas communem ſalutem, libertatem, et rem religionis conſtabilire, augere et præſervare ab exitio poſſent. Vale, Vir integerrime, et me te in oculis ferre crede. Dabam Londini Prid. Kal. Sept. cIↃ IↃc xxiv.

Epiſtola XXXIV.

Quas mihi ſcripſiſti et transmiſiſti per nobilem, qui evangelia de felici Reginæ noſtræ partu, Vir Ampliſſime, tardius accepi, ſicut fieri ſolet, quando illi, niſi interpellati reeddere conſueverunt literas, deferunt amicorum epiſtolas. Per tabelliones, quorum munus id eſt, ſemper citius eas accipimus. Quod vero me in tuis illis tantopere commendas, laudas et extollis, quod tanto cum ardore et zelo, cumque tanta diligentia et conſtantia bono publico invigilem, et res Sereniſſimi noſtri mihi curæ eſſe ſinam, illud me hortatur et excitat, vt indefeſſe et gnaviter in iſto inſtituto pergam, omnesque vires contendam, vt continuis experimentis conſtet, quantum cupiam Reip. ſalutem defenſam et aſſertam. Qui monet, vt facias, quod jam facis, ille monendo laudat et hortatu comprobat actu ſuo, Mansfeldius

cx-

exercitum et copias brevi habet collectas et in procinctu. Ne igitur intempestiva et nihil profutura oppositione remoram injiciamus. Committenda Deo sunt, quæ corrigere non sunt nostrarum virium. Perspicio enim jam omnes plebem & populum favere conatibus, consiliis, & inceptis Mansfeldii: eaque promota habere velle. Pruritus ille in bellum & præceps fervor capessendi arma, non caret omine & mala scæva. Vtinam vtinam expeditio illo maturiori consilio regeretur! Nisi enim aliter res administretur & conducatur, felicem & secundum successum haud sperare licet. Sed quid nos, vt id fiat, præstare possumus? Monita & suggestiones nostræ locum non inveniunt; verum vilipenduntur & exploduntur. Simus igitur contenti hoc Catone, & arripiamus, quæ dantur & obtruduntur, talia, qualia, offeruntur. Nostro arbitrio & ductu nobis non licet fingere & formare homines, qui in consiliis & sententiis suis obstinati callum obdurarunt. Levius fit patientia. Quidquid corrigere est nefas. Jacobus quidem cuncta hactenus effugia, quibus pacta conventa cum Mansfeldio vel retardaret, vel eluderet, circumspexit, & sub latibulis gallicis latibula quæsivit: jam se videns incassum laborasse propius accedit, & pactiones adimplere paratus est. Vt vero Comes Mansfeldius sibi a Serenissimo nostro quosdam fidos amicos & familiares adjungi patiatur, obtinui sine difficultate. Sed an Bacchofium nostrum tam libenter inter suos domesticos asciscere velit, non nihil ambigo. Non enim vsque adeo bene sentit de hujus fratre, a cujus ingenio æstimat illius. Sed annitar tamen, & efficiam, vt homini, cui aliena culpa & mores imputandi non sunt, de commodo loco & munere apud ipsum prospiciatur. Matrimonii cum Galla contrahendi colloquium quod attinet, illud eo adductum est, vt brevi hic habituri simus Villaclerium regium scribam et silentiarium e Gallia, qui tabulas connubiales subscribi, & sigillis impressis communiri, atque solemni per juramentum conceptis verbis jurandum

dum ſtabilienda ratihabitione confirmari petet. Idem & majora in matrimonii cum Hiſpana ineundi colloquio ipſi oculis noſtris vidimus: nec tamen propterea celebratæ ſunt nuptiæ, aut domi ſecuta eſt. Quæ de præclaro invicti Regis Guſtavi propoſito, deque menſtrua ei ad alendas copias pecunia procuranda mones, valde dubito, an conſultum ſit hic in Anglia, hoc præſertim rerum ſtatu, proponere: tum quia nulla eam in rem mandata a Sereniſſimo noſtro habeo, tum, quia mihi res nondum ita matura & certa eſſe videtur, denique ne Comitis - - Cætera deſunt.

Epiſtola XXXV.

Ludovico Camerario Oratori Suecico.

Propter duplicem cauſſam his te literis, Orator illuſtriſſime, adire, et velut ex itinere ſalutare operæ pretium duxi. Primo vt tibi iterum, & antequam me Oceano committam, & vltimos, vt ita dicam, fines orbis noſtri terrarum egrediar, valedicerem, & quidem ſcripto, ſicut antea coram feci lingua. Optaſſem vero nobis Dordracenæ affuiſſes, vt graviſſimis tuis admonitionibus & præceptis Sereniſſimum noſtrum Principem, qui ſi vnquam, hoc maxime tempore, quo ſui juris factus in hanc mundi ſpectantis ſcenam aſcendit, tot juvenum (qui ſæpe præcipitia, ſibi invicem contraria, parumque excocta & tuta ſuadere, & flexibilem auſcultantis animum transverſum rapere conſueverunt,) ſodalitio circumvallatus, opus habet exhortatore & rectore tui ſimili, emunire, inſtruere, & ceu aliquo prophylactico amuleto providere potuiſſes. Suaſus & commonefactiones eiusmodi a gravibus viris, quorum autoritas et reverentia loco magni argumenti eſt, profectæ, & adoleſcentibus, aliquid egregii operis ſuſcepturis, aut aliud vitæ genus auſpicaturis, vel peregre abeuntibus inſinuatæ, ſuum habere pondus, memoriæque tenacius inſidere ſolent. Si mihi compertum fuiſſet, Electorem Dordracenæ integrum diem ſubſtiturum fuiſſe, ſicut ſane

ſub-

ſubſtitit, te vtique reddidiſſem certiorem, vt ad nos excurriſſes, quod profecto commode facere potuiſſes. Sed fluctuatio et inconſtantia in conſiliis, quæ non capiuntur, ſed rapiuntur juvenili modo, et ad omnem ex obliquo venientem ſuggeſtionem mutantur, nequaquam permiſit aliquid certi ſcribere. Nam cum Dordracenam circa crepuſculum veſpertinum veniſſemus, protinus decretum, nobis quidem inconſultis, et contrarium, ſi conſiliati fuiſſemus, ſuaſuris, altero die diſcedendum eſſe in Zelandiam. Mane luceſcente diſceſſus, neſcio qua re, dilatus primo in meridiem, poſtea in diem inſequentem. Ferentius, tribunus militum, præcipuus iſtius conſilii autor, præceſſit, apparaturus, ſicut præ ſe ferebat, quæ ad trajectum eſſent neceſſaria. Nos iter per Zelandiam ſtatim ab initio, et propter plurimas rationes diſſuaſimus; tum, quia illud incommodum, difficile, laborioſum, inprimis autem loculos noſtros eſſet exhauſturum et inaniturum; tum quod Dunkerka piratarum domicilium propius accedenda et præternaviganda, ac exinde propinquiora futura eſſent diſcrimina: tum ſi ventus ſecundus Vlyſſiponæ expectandus eſſet, Dunkerkanos vicinos cognituros, Electorem ibi eſſe, et obſervaturos eius egreſſum; quo circa e ſtatione Gorcana in Batavia, vbi meliores pluresque naves deſtinatæ ad transvehendum Principem in ancoris præſtolarentur, trajectus præterea æque brevis et facilis eſſet, eodemque cum vento, ſicut ille ex Zelandia, perfici poſſet, ſolvendum, atque interea vel Hagæ, vel alibi in vicina, ſine tantis impenſis, quæ in diverſorio hoſpitantibus, et ex vno in aliud commeantibus, faciendæ ſunt, opportunitatem venti exſpectandam eſſe, conſultius judicavimus. Hic Vlyſſiponæ duæ tantum naves bellicæ, et quidem e numero minorum adſunt, mediocri tormentorum copia inſtructæ, quæ Principem noſtrum vel devehere, ſi eas conſcendere, vel concomitari, ſi Anglica, in navi ire malit, juſſæ ſunt. Nam ex Anglia hiſce diebus navis regia adpulit; eam ab Electore conſcendi

An-

Angli, qui comites itineris ſunt, volunt, tum quod in ea ſecurior & tutior ſit navigaturus propter Dunkerkianos & Hiſpanos, qui non auſuri eſſent, adoriendo regiam navim communia pacis fœdera rumpere: tum quia genus ignominiæ et contemtus foret, ſi Bataviam præferre, & huic ſe, quam illi confidere mallet: alii, præſertim, qui Ordinibus confederati Belgii ſacramento obſtricti ſunt, disſuadent: navem Batavicam maiorem velis aptiorem, & ad confligendum, ſi neceſſe foret, expeditiorem eſſe pertendunt: anglicam, immundiorem, et inhabiliorem, neque nautas tam agiles et expertos; tum non pugnaturos, ſi hoſtis aggrederetur. Quid Princeps in hoc diverſarum opinionum conflictu facere debeat, ſuaſu eſt difficile: ego, cuius prima conſilia neglecta ſunt, quæ tamen ſaniora fuiſſe confiteri coguntur, pœnitetque fortaſſe non auſcultaſſe, haud me ingero, neutrum, nec ſuaſurus, nec disſuaſurus. Animadverto tamen Electorem conſtituiſſe in Batavia, concomitante altera, quæ ambæ quidem parvæ ſunt, transfretare. Neſcio, quid debeam dicere & augurari de toto hoc noſtro itinere, ejus apparatu, & comitibus. Præpoſtere ferme omnia agi, &, quia recta atque ſalubria conſilia floccipenſa et neglecta fuerunt, ex vna in aliam difficultatem res implicari deprehendo. Sic fit, quando deteriora et placentia vtilioribus & tutioribus præferuntur: tum plerumque malus eventus conſequitur. Hinc eſt, quod neſcio, qua animi ſollicitudine tactus, nihil fauſti et ſecundi de hac profectione, cujus ſcopus & forma mutata, alium quoque ſucceſſum, quam prævidimus, producere neceſſe habet, ominer, ac proinde eo ardentioribus votis Deum deorem, vt Electorem, & ejus comites, bene ac feliciter ducat & reducat. Ad alterum argumentum hujus ſcriptiunculæ devenio, quod in eo conſiſtit, vt te, Vir illuſtris, oppido valde, & pro ea, qua me ſemper complexus es benevolentia, rogem, vt parvas & levidenſes meæ, majori ex parte deperditæ, ſupellectilis & bibliothecæ, reliquias & tabulas e naufragio conſervatas, quas mihi Ampliſſimus Vir Caſparus Vosbergius

gius nuper Colonia Agrippina, vbi delitescebant, attulit, in tuas ædes & tuitionem recipere velis, vsque dum bonis avibus revertar. Hoc genere officii meritorum in me tuorum cumulum accumulabis, & me tibi, tuisque, magis atque magis, ad omne grati animi debitum nullo non tempore testificandum et declarandum devincies. Vale quam optime, Amicorum et Patronorum summe. Dabam Vlyssiponæ eo ipso die, quoad navim conclamabatur, III. Kal. Novembr. cIɔ Iɔ c xxxv.

Epistola XXXVI.

Quas ad te, Orator Illustrissime, nudius octavus, illo ipso die, quo nobis navis conscendenda & vela facienda erant, dederam, solas et vltimas futuras arbitrabar, quas ex his oris ad te essem scripturus. Sed fors aliter tulit. Postquam enim vnam noctem & biduum ferme in alto navigassemus, vento zephyro, cum quo ingressi eramus, subito in Austrum, & turbinem pluviosum mutato & præcipitato, redire in Zelandiam coacti fuimus. Vt autem scias, quomodo hoc factum sit, paucis sic habeto. Princeps Elector impatiens moræ, tum pudore et pœnitentia ductus, quod neglecto salubriori consilio, profectionem & iter per Zelandiam instituerit, falso sibi persuadens, quovis cum vento inde in Angliam trajici posse, pertendebat omnibus modis, vtcunque ventus esset, dum non foret totus contrarius, & tempestuosus, enavigare. Cum itaque postridie Kal. Nov. ventus Favonius, qui quidem Vlyssipona in Angliam soluturis, & transfretaturis, non est secundus & a puppe ferens; talis attamen, cum quo in altum egredi, & obliquatis sinubus, adjuvante reciprocantis maris æstu, trajectionem suscipere, & perficere licet sudo cœlo; spiraret, confestim Princeps, consilio vnius aut alterius Placentini vsus, navim conscendit, nobis contrarium sentientibus, & ex aspectu ætheris prædicentibus, ventum illum & subdolam aëris pellaciam seu seritatem haud diu duraturam; sed brevi spatio in turbinem & tempestatem exituram: adhæc evidentissimum fore periculum a piratis Dunkerkianis, qui

co-

cognito Principis egreſſu, occaſionem & tempus eſſent nacturi, eum venandi & perſequendi. Si ſcilicet obliquando ſinus, & noctu in ancoris ſtando, mora in mari facienda eſſet. Vix in altum perveneramus, ventus zephyrus magis ac magis increbreſcebat, nubes denſabantur, & nimbum ciebant: ſub crepuſculum ancoræ projectæ navim per totam noctem, qua continenter pluebat, attinebant. Imber effuſiſſimus, repreſſo & pulſo Favonio, Auſtrum procelloſum, a quo mare decumanis inhorruit fluctibus, produxit. Orto die, ancoræ levabantur, & vela expandebantur; interea a longinquo, & velut e ſpecula prævidebamus ingruentem tempeſtatem, quam effugere & evitare aliter non licebat, quam vt mutato navigationis curſu, in eundem, vnde eſſemus egreſſi, aut in alium vicinum, pro temporis & ventorum ratione commodum portum, rediremus. Princeps exagitatione impetuoſiore et irremiſſibili, navis ſurſum ac deorſum euntis, mirum in modum defatigatus & fractus, non poterat diutius perferre violentiam volutationis, quæ ei nauſeam & vomitionem ſatis periculoſam ciebat ſine intermiſſione. Vento igitur vela accommodari, & curſum retroflecti jubet. Terveram denique, quia ingreſſus in hunc portum facilior & expeditior judicabatur, appulimus, inopes quidem conſilii, neſcio quid porro nobis faciendum ſit, inopes etiam nummorum, ſolliciti, vnde hi comparandi ad neceſſarios ſumtus faciendos, præſertim ſi nobis per aliquot dies, quod veroſimile eſt, expectanda eſſet venti faventis conſpiratio. Altera navis, quæ impedimenta & famulos noſtros devehebat, Vlyſſiponæ in portum, non ſine diſcrimine exantlato pervenit. Dum hic hæremus, opportunæ nobis redduntur tuæ literæ. Quas ad me ſcripſiſti, prælegi Sereniſſimo noſtro Carolo; viciſſim ille mihi & legendas, & ſibi prælegendas & explicandas dedit, quas ad eum ſcripſeras. Bone Deus quam ſapientes & ſolertes! quanta rerum & ſalubrium monitorum & conſiliorum copia graves! Ego certe Principi gratulor, & tibi ingentes gratias dico, quod tam candide, exacte, & accu-

rate ſententiam tuam, quam in omnibus, maxime vero in ejusmodi genere rerum ſalutem publicam, & Palatinatus emolumentum concernentium, permagni merito facio; ad Principem Carolum, qui moneri & duci opus habet, de toto hoc ejus itinere, deque ſcopo, ad quem cuncta ſua conſilia & actiones dirigere debeat, perſcribere volueris. Prudentiſſimas illas tuas commonefactiones pectoris mei armario incluſi, ad eas attente in capiendis & dandis conſiliis reſpiciam, eruntque mihi inſtar cynoſuræ, ad quam curſum mearum actionum et rationum in hoc itinere dirigam. Non omittam præterea, ſicut deſideras, te ſubinde de ſucceſſu negotiationis noſtræ certiorem facere, quem haud ſcio an felicem & proſperum ſperare audeam, ita multa indicia et omina non vſque adeo fauſta me terrent, et anxium ac timidum reddunt. Plerisque enim noſtrum non is, quem omnes habere deberemus, propoſitus eſt ſcopus: privatus quisque cupiditates, libidines, et ſpes potiundi cupidis amoribus animo volvit, et in voto habet; cætera, quæ gloriam Dei, aſſertionem oppreſſæ religionis et libertatis in Germania, contingunt, πάρεργα æſtimamus. Miraculum ſit, ſi perpetuus hic et aſſiduus congreſſus, convictus, et conſuetudo cum adoleſcentibus, ex quibus comitatus noſter compoſitus eſt, non transverſum rapiat, et e via regia virtutis et honeſti, in avia vitiorum ſeducat, Principis noſtri, tam bene educati et morati, cereum adhuc et mollem animum, præſertim quia magiſter et rector abeſt. Multa noſtris oculis intueri, plura noſtris auribus audire cogimur; quæ nobis videntur dictu et factu parum honeſta, gravia, nedum ex dignitate. Quæ tamen nobis haud fas eſt reprehendere, objurgare, et de iis admonere, multo minus emendare et coërcere. Quin indignari, et vultu ſaltem declarare animi averſionem καὶ ἀντιλογίαν, crimen habetur. Tacere ergo, et intus dolere, ac ſuſpirare conſultius, quam redarguendo et commonendo crabrones irritare, et ad intendenda mala obſtinatis, quæ callum in perverſitate obduxerunt, mentibus anſam dare. Tanta

enim

enim eſt inemendabilinm juvenum pravitas, ferocia, impotentia, et faſtus, vt quo magis eos officii admoneas, et in viam virtutis reducere annitaris, eo audacius et pertinacius illi recalcitrare, iterumque et cumulatius perpetrare ſoleant, quæ male commiſſa edocti fuerint: ni fecerint, exiſtimationis ſe jacturam ſuæ feciſſe autumant. Si ſupremus ille ſcelerum vindex nobis parcit, & incolumes e mari evadere, ire ac redire patitur; eius nimirum clementiæ, miſericordiæ καὶ μακροθυμίας opus erit: non medius fidius noſtræ probitatis & integritatis, quæ nulla eſt; quin loco illius inter nos corruptiſſima, diſſolutiſſima, & contaminatiſſima regnat & dominatur vivendi ratio: adde iam contemtum bonæ diſciplinæ & morum modeſtorum, αἰσχρολογίαν, ἀσωτίαν, ἀσέλγειαν, ἀσέβειαν, βλασφημίαν, & id genus vitia, & peccata, quæ inter decora & ornamenta, quibus homines affabiles, gratioſi & comes, quique ad Regum & Principum miniſteria apti haberi & promoveri volunt, condecorati eſſe debeant, reputantur. Mihi ſæpe in mente eſt horrendum illud exemplum, quod apud Pariſium, ſcriptorem transmarinum, aliquando me legiſſe memini, de quodam Regis Angliæ filio naufragium paſſo, & cum omnibus ſociis itineris & in eadem, qua ipſe, navi vectis, qui pari, quo noſtri vivebant, modo, demerſo. Si eadem nos, qui mare transfretamus, pœna afficeremur, & piſcibus eſca nataremus; nulla nobis injuria fieret. Sed averruncet a nobis mala iſta clementiſſimi Dei commiſeratio. Miſeret autem me optimi, & tanta cum cura ac felicitate inſtituti noſtri Principis, cuius aures & oculi, abſit vt animus quoque, imbuuntur, & conſpurcantur iſta adoleſcentum, perditis moribus præditorum, converſatione & collocutione, quæ ſane bonæ frugis ſemen inſitum non ſinit eſſe καρποφόρον; ſed ſuffocat, ſi emergere & prodire conatur. Ignoſce vero, Vir Nobiliſſime, quod hæc talia ad te tam libere & confidenter ſcribam, & partem mearum ſollicitudinum apud te, pro veteri inter nos conſuetudine, deponam. Perſuaſus ſum, & experientia cognovi, perplexum hominis, gravi one-

onere depreſſi, animum, haud parum recreari & focillari, quando faſcem curarum & moleſtiarum, quo premitur & degravatur, apud fidum amicum ſequeſtrat, & deponit. Vale, amice & patrone maxime, atque dege quam proſperrime. Sanctiſſimæ tuæ familiæ pro ſuaviſſima, quam mihi tuis verbis nuntiarunt ſalute, gratias ago maximas : eam viciſſim amice et reverenter conſaluto, omniaque fauſta et ſecunda comprecor. Iterum vale ſeculi noſtri ocelle. Dabam Terveræ in Zelandia Prid. Non. Novembr. cIↃ IↃ c xxxv.

Epiſtola XXXVII.

Terveræ in Zelandia Prid. Non. Novemb. ad te ſcripſi, Orator Illuſtriſſime; ab illo tempore in hunc diem conticui, & ad neminem mortalium aliquid literarum exaravi: quanquam non defuiſſet ſcribendi materies. Significare enim debuiſſem, quam inauſpicato ſecundam noſtram navigationem ſidere inceperamus, quæ non magis ſucceſſit, quam prima. Poſtquam enim Terveræ ſubſtiteramus triduum, blandiente, ſed ſubdole, vento Japyge invitati ſumus ad conſcendendam navim. Elector vix eam ingreſſus, nec dum ancoræ, quod in fortunam ceſſit, levatæ, nec vela ventis expanſa erant; ecce ſævus & væſaniens Africus conſurgit: e comitibus quidam, quia videbant commorandum eſſe, confeſtim ad litus lintribus redibant; Elector vero in prætoria pernoctare voluit: altero mane circa crepuſculum decumanis fluctibus inhorruit fretum, adeo vt Princeps & nemo noſtrum auſus fuerit abnavigare phaſelo in vrbem. tota igitur illa die & inſequenti nocte in puppi cubandum erat. Reverſi tertia luce ad nota hoſpitia; ibi iterum per triduum manſimus: Ex improviſo tandem per centuriones et claſſiarios jubemur navim conſcendere: nec mora, vela facimus, & ſecundo veto ſubſolano, qui in veſperam tantum durabat, profecti tantum viæ illo die emenſi fuimus, vt certi eſſemus, nos quidem altero die in Angliam vento qualicunque, ſi non eſſet tempeſtuoſus, per-

ven-

venturos; ſed in alium et remotiorem portum delatum iri. Subſolano in Zephyrum, ſed leniter flantem mutato, curſus flectendus erat Doveram verſus, quo etiam commodum pertigimus. E portu naves regiæ, quarum magnus numerus erat, infinitis nos ænearum machinarum fulminibus, in ſignum lætitiæ et adgratulationis, ſalutabant; ſed tam ruditer & inconſiderate, vt e ſuis tres, e noſtris duos ſubitanea morte vivis exemerint; pluribus vulneratis. Cum quanto vero Princeps applauſu et exultatione populi, cum quanta expreſſione benevolentiæ, quam Rex, et Regina, atque purpurati certatim declaratum eunt, ſignificatum, quam gratus ipſis ſit adventus tam cari nepotis, cognati, et amici, exceptus ſit, et quanta cum humanitate et comitate continenter tractetur: hæc et ſimilia ad te, Vir incomparabilis, referre debuiſſem: ſed invaletudo mea, quæ etiamnum durat, & me ſtrato plus ſolito continet, et ad negotia haud parum torpentem et languentem reddit, impediit: hæc eadem nunc cauſſa erit, vt brevior ſim futurus, quod vtrumque, prout tua perſpecta æquanimitas eſt, ignoſces. Medicus, ſub cuius curam me collocare fui coactus, bono iubet eſſe animo; recepturum propediem priſtinam ſanitatem.

In rebus noſtris gravioribus, quarum cauſſa huc venimus, vltra limen progreſſi non ſumus. initium quidem factum eſt ab examinatione formulæ petendæ Inveſtituræ, quam paulo aliter, atque ea quæ Rhenæ præſcripta fuerat, concipere et formare iuſſus ſum: eam ipſe Rex revidit et me præſente, cui rationes ſuæ ſententiæ dixit, correxit; ac præterea cum Henrico Martinio, JCto, legum civilium perito, in idem argumentum prolixius colloqui iuſſit. Jam in eo ſunt, vt miſſo curſore Viennam, authenticas et manu Electoris deſcriptas literas illas petitorias Cæſari offerant, er reſponſum extorqueant. Quod ad cætera attinet, Principis nomine, qui rationum adducturam pondere ſe ad id permoveri paſſus eſt, libellum memorialem confeci, in quo omnia præcipua

ca-

capita, adventus eius caussas et necessitatem, et quid hoc rerum tempore a Rege in sui gratiam factum velit, exhibentia, complexus sum. Eum Princeps Regi obtulit. Hic diligenter perlecto se super omnia deliberaturum et tum animi sui sententiam declaraturum respondit. Si verum, prout debemus, promere volumus, confiteamur necesse est, Regem maiorem diligentiam, curam et ardorem in nostris negotiis exhibere, quam nosmet ipsos. Ni impelleremur et excitaremur, altum fortasse somnum in lecto deliciarum aulicarum sterteremus, parum solliciti, quid de rebus gravioribus fiat. Similes sumus iis, qui purulento acuto et mortifero ulcere affecti, illud quidem curatum et expressum cupiunt, sed non tractatum. Horrent ad motas vulnera cruda manus. Προβουλεύματα mea, quæ vobis in consilio Rhenæ prælegi, oracula esse magis de magis experimur. Pleraq., ne dicam omnia, quæ in iis continentur, et in medium allatum iri prædixi, nobis occinuntur: inde pro singulari tua sapientia, et pro ea, qua res totius Europæ et huius regni metiris perspicientia, iudicare potes, quis finis futurus sit argonauticæ nostræ expeditionis: an aureum vellus simus relaturi, nec ne? Aliquid certe reportabimus; sed an illud voto et expectationi vestræ sit responsurum ignoro. Cætera ex Theobaldo Mauritio, cui quantum licuit per languorem, pluribus scripsi, velim cognoscas. Si molestum non fuerit, rogo, vt lectissimam et honoratissimam familiam tuam, cum bellissimis nepotulis, meo nomine quam reverenter et amanter consalutes. Vale quam bene Europæ nostræ Sidus. Dabam IV. Idus Decembr.

Londini IↃCXXXV.

* * *

In superscriptione dictatoris Thomæ Cardinalis, dele vocabulum epistolarum, *quod præter editoris mentem, a nescio quo adiectum est.*

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

)o(

XXXX [112] VIII 96

Bayerische StaatsBibliothek
Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hahn, Simon Friedrich,

D. Simonis Friderici Hahnii, Historiarum In Academia Iulia Professoris Publici Ordinarii, Collectio Monumentorum, Veterum Et Recentium, Ineditorum Ad Codicum Fidem Restitutorum, Selectiorum, Et Rariorum, Diplomatum Nempe, Sigillorum, Litterarum, Chronicorum, Aliorumque Insignium Scriptorum, Antiquitates, Geographiam, Historiam Omnem, Ac
Bd.: 1

Brunsvigae (1724)

Germ.g. 179-1
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10016000-4
VD18 90036980